COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

LXII.

PATRES QUARTI ECCLESIAE SAECULI.

S. AMBROSIUS ET PRUDENTIUS.

IX.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI,

Apud **VIRENQUE**, bibliopolam,

PARISIIS,

Apud **BIBLIOPOLAM**, cui nomen gallice :

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES.

Rue des Saints-Pères, 16.

AQUIS SEXTIIS.

Apud MASSIE et JEAN,

Via vulgo dicta du Pont-Moreau, 2.

PARISIIS. — E TYPOGRAPHEO BOURGOGNE ET MARTINET,

via vulgo dicta Jacob, n° 30.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS SEXAGESIMUS SECUNDUS. 62

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

Pluribus extraneorum ordinum insignibus decoratum,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXX

S. AMBROSII
MEDIOLANENSIS EPISCOPI

PARS V.

EPISTOLÆ

IN DUAS CLASSES DISTRIBUTÆ.

PRIOR EAS CONTINET, QUAS IN ORDINEM CHRONOLOGICUM LICUIT DIGERERE: POSTERIOR CÆTERAS SECUNDUM ARGUMENTI RATIONEM DISTINCTAS COMPLECTITUR.

PARS VI.

HYMNI

INTER QUOS PLURES RECENS EDITI.

S. AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

EPISTOLÆ.

EPISTOLA XXXVIII[1].

Sapientem esse divitem, neque hic ullum sexum excipi se didicisse ex Petri Epistola, cujus locus enucleatur. Pacem aliasque virtutes divites esse, divitumque ordini Enoch atque Eliam annumerandos. Post quæ Achab et Nabuthe inter se comparatis, propositum problema confirmatur.

Ambrosius Simpliciano salutem.

I. VIDEBAMUR proxime in disceptationes incidisse philosophiæ, cum de apostoli Pauli sumentes exordium, tractaremus quod omnis sapiens liber. Verum postea, cum Petri apostoli Epistolam legerem, adverti quod omnis sapiens etiam dives: nec sexum exceperit, qui fœminas ornatum omnem non in pretiosis monilibus, sed in bonis moribus habere scripserit: « Non enim, inquit, extrinsecus capil» lorum implicatio, aut auri circumpositio, aut habitus » vestimentorum ornamentum, sed ille absconditus cordis » homo[2]. »

[1] Scripta circa ann. 387. — [2] 1 Petr. III, 3, 4.

II. Duo sunt igitur et esse hominem in homine, et illum esse divitem, qui sibi nullarum divitiarum usum requirat. Pulchre autem cordis hominem dixit, eo quod totus sapientiæ sit absconditus, sicut ipsa sapientia, quæ non videtur, sed intelligitur. Nemo ante Petrum tali expressione usus est, ut diceret cordis hominem; exterior enim homo plurima in se membra habet : interior autem cordis homo totus plenus sapientiæ est, plenus gratiæ, plenus decoris.

III. «In corruptione, inquit, quieti et modesti spiritus, » qui est ante Deum dives[1]. » Et vere dives, qui in conspectu Dei potest dives videri, in cujus conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est : sed solum illum Deus divitem novit, qui sit dives æternitate, qui non opum, sed virtutum fructus recondat. Quis autem ante Deum dives, nisi quietus et modestus spiritus qui nunquam corrumpitur? Nonne tibi videtur dives, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis; ut nihil concupiscat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec vetera fastidiat, et nova quærat, et semper desiderando, fiat in summis divitiis inops?

IV. Ea est pax vere dives, quæ superat omnem mentem[2]. Dives pax, dives modestia, dives fides; «Fideli enim to» tus mundus possessio est[3] : » dives simplicitas; sunt enim et divitiæ simplicitatis: quæ nihil discutit, nihil contractum, nihil suspectum, aut fraudulentum putat, sed puro se fundit affectu.

V. Dives bonitas, quam si quis servaverit, pascitur in divitiis cœlestis hæreditatis; et ut antiquioribus exemplis Scripturæ utamur : « Beatus, inquit, vir, quem arguit » Dominus. Admonitionem autem Dei ne recusaveris.... » In fame liberabit te a morte, in prælio de manu ferri

[1] I Petr. III, 3, 4. — [2] Philip. IV, 7. — [3] Prov. XVII, 6.

» liberabit te, et a flagello linguæ te abscondet.... Feræ » bestiæ pacificæ erunt tibi, et scies quod in pace erit do- » mus tua[1]. » Mitigatis enim carnis hujus vitiis, et passionibus, quæ militare adversus animam solent, tabernacula tua sine perturbatione erunt, domus sine offensione, semen sine defectu, posteritas sicut odor agri pleni, sepultura sicut messis. Siquidem quando alii suum defectum arbitrantur, tunc adversus tritici tui supernis maturus infertur apothecis.

VI. Merito justus semper fœnerat, iniquus indiget. Ille justitias fœnerat, fœnerat mandatum Dei pauperibus et egenis[2]: at vero insipiens et quod putat se habere, nequaquam possidet. An putas illum possidere, qui thesauro suo die ac nocte incubans, avara et misera torquetur sollicitudine? Ille vero eget, et si aliis dives videtur, sibi pauper est, quia non utitur eo quod habet, qui adhuc, alia rapit, alia desiderat: Ubi enim nullus cupiditati modus, qui fructus divitiarum? Nemo est dives, qui quod habet, secum hinc auferre non potest: quod enim hic relinquitur, non nostrum, sed alienum est.

VII. Dives Enoch, qui quod habuit secum transtulit[3], et omnem illum bonitatis suæ censum cœlestibus intulit receptaculis: qui ideo « Raptus est, ne cor ejus malitia » mutaret[4]. » Dives Elias, qui virtutum suarum thesauros curru igneo sublimis sedibus ætheri invexit[5]. Et tamen iste non mediocres divitias hæredi reliquit, quas ipse non amitteret. Quis hunc pauperem vel tunc dixerit, cum victus quotidiani indigens alimonia, mitteretur ad Viduam, ut pasceretur ab ea[6]; quando ad ejus vocem cœlum claudebatur et aperiebatur, quando ad ejus verbum hydria farinæ et vas olei non deficiebat per triennium, sed abundabat:

[1] Job. v, 17. — [2] Psal. xxxvi, et seqq. — [3] Gen. v, 25. — [4] Sap. iv, 11. — [5] 4 Reg. ii, 11. — [6] 3 Reg. xvii, 9, et seqq.

nec minuebatur usu, sed replebatur? Quis illum pauperem dixerit? ad cujus voluntatem descendebat ignis[1], quem invia aliis flumina non concludebant, sed in suum fontem recurrebant; ut sicco Propheta transiret pede?

VIII. Duos finitimos vetus historia describit, regem Achab, et pauperem Nabuthen[2]; quem horum pauperiorem, quem ditiorem credimus? Alter regali fulcro divitiarum præditus, inexplebilis insatiabilisque opibus suis, exiguam pauperis vineam desideravit: alter despiciens animo βασιλέων τὰς πολυχρύσους τύχας, imperialesque gazas, suo erat contentus palmite. Nonne videtur hic magis dives, hic magis rex, qui sibi abundabat, suas regebat cupiditates; ut nihil alienum concupisceret? ille autem egentissimus, cui aurum suum vile, alienus palmes pretiosissimus æstimabatur? Sed qua ratione egentissimus, cognosce: quia divitiæ injuste congregatæ evomuntur[3], radix autem justorum manet[4], et ut palma floret[5].

IX. An non egentior paupere is, qui tanquam umbra præterit[6]? Hodie impius exaltatur, cras non erit, nec invenietur aliquis locus ejus[7]. Quid est itaque divitem esse, nisi abundare? Quis autem abundat, qui sit animo contractior? Qui autem animo contractior, utique angustior: quæ in igitur in angustiis abundantia? Non ergo dives, qui non abundat. Unde pulchre David: « Divites, inquit, » eguerunt et esurierunt[8]; » quoniam cum haberent Scripturarum thesauros cœlestium, eguerunt qui non intellexerunt, et esurierunt qui nullum spiritalis gratiæ gustarunt cibum.

X. Nihil igitur affectu sapientis ditius, nihil insipientis egentius. Nam cum regnum Dei pauperum sit[9], quid esse

[1] 4 Reg. I, 14, et II, 8. — [2] 3 Reg. XXI, et seqq. — [3] Job. XX, 15. — [4] Prov. XII, 11. — [5] Psal. XCI, 13. — [6] Id. CXLIII, 4. — [7] Id. XXXVI, 35, 36. — [8] Id. XXXIII, 10. — [9] Matth. V, 3.

locupletius potest? Et ideo præclare Apostolus : « O altitudo, inquit, divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei[1] ! » Præclare etiam David, qui in via testimoniorum cœlestium, quasi in omnibus divitiis, delectabatur[2]. Expresse Moyses qui ait : « Nephthalim satietas accipientium[3]. » Nephthalim abundantia significatur latina interpretatione, vel dilatatio. Ibi ergo abundantia, ubi satietas : ubi autem fames cupiditatum, ubi inexplebilis appetentia; ibi utique paupertas. Sed quia vix ulla rei pecuniariæ vel mundi hujus cupiditas satietatem habet; ideo addidit : « Et replebitur benedictione[4]. »

XI. Secundum hæc Petrus apostolus definivit non in auro et argento et indumentis fœminarum esse ornamentum[5], sed in occulto cordis homine atque abscondito; unde nulla se exuat cultum pietatis, ornatum gratiæ, vitæ æternæ hæreditatem. Vale, et nos dilige, quia nos te diligimus.

[1] Rom. xi, 33. — [2] Psal. cxviii, 14. — [3] Deut. xxxiii, 23. — [4] Ibid. — [5] 1 Petr. iii, 3.

EPISTOLA XXXIX [1].

Faustinum propter sororis mortem hominum consortium fugientem arguit, hoc ipsi sorori injurium, ac interitum non hominibus solum, sed et civitatibus communem esse monens. Nihil ergo illi jam deberi nisi preces; vetare siquidem Apostolum, ne quem secundum carnem jam cognoscamus, at novam creaturam. Quænam illa sit, et quomodo illum solari Ambrosius ipse teneatur, expenditur.

Ambrosius Faustino salutem.

I. Acerbo [2] te doliturum dolore obitum germanæ tuæ non ignorabam; non tamen ut a nobis te ablegares, sed ut nobis te redderes : nam etsi minus jucunda solatia mœrentibus, tamen nonnunquam necessaria sunt. Tu autem abiisti in secreta montium, et inter ferarum diversaris spelæa, omni humanæ conversationis usu abdicato, et quod gravius est, judicio suo.

II. Tantum-ne de te commeruit germana tua, ut propter quam excellere apud te debuit conditio humana, quæ tam egregiam fœminam tulit, propter eam apud te minoris prærogativæ sit? Illa certe vita excedens, hoc se mulcebat solatio, quod te sibi superstitem derelinqueret, parentem nepotibus, præsulem parvulis, auxiliatorem destitutis: tu ita te et nepotibus et nobis abnegas, ut consolationis

[1] Scripta haud multo post ann. 387. — [2] Vide D. Guillon, tom. IX, p. 376 et 377.

illius fructum non sentiamus. Illa te chara pignora vocant non ad dolendum, sed ad consolandum; ut cum te vident, matrem sibi non credant obiisse: in te eam recognoscant, in te ejus præsentiam teneant, in te vitam ejus sibi manere arbitrentur.

III. Sed doles quod dudum florentissima repente occiderit. Verum hoc nobis commune non solum cum hominibus, sed etiam cum civitatibus, terrisque ipsis est. Nempe de Bononiensi veniens urbe (1) a tergo Claternam, ipsam Bononiam, Mutinam, Rhegium derelinquebas, in dextera erat Brixillum, a fronte occurrebat Placentia, veterem nobilitatem ipso adhuc nomine sonans, ad lævam Apennini inculta miseratus, et florentissimorum quondam populorum castella considerabas, atque affectu relegebas dolenti. Tot igitur semirutarum urbium cadavera, terrarumque sub eodem conspectu exposita funera non te admonent unius, sanctæ licet et admirabilis fœminæ, decessionem consolabiliorem habendam; præsertim cum illa in perpetuum prostrata ac diruta sint: hæc autem ad tempus quidem erepta nobis, meliorem illic vitam exigat?

IV. Itaque non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor: nec mœstificandam lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus Domino commendendam arbitror.

V. Verum forte asseras securum te de meritis ejus ac fide; nequire tamen ferre desiderium, quod eam jam non videas secundum carnem, idque tibi summo dolori sit. Nec illud te movet Apostolicum, quod ait: « Quia neminem » novimus ex hoc secundum carnem. Et si cognovimus se» cundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus[1]? » Caro enim nostra perpetua esse ac diuturna non potest, necesse est occidat, ut resurgat: necesse est resolvatur, ut

[1] 1 Cor. v, 16.

requiescat, ut fiat quidam finis peccati. Et ideo multos cognovimus secundum carnem, sed nunc jam non novimus. Ipsum Dominum Jesum cognovimus, inquit Apostolus, secundum carnem : «Sed nunc jam non novimus.» Jam enim carnis deposuerat exuvias, jam specie hominis non videbatur, jam pro omnibus mortuus erat, et omnes in illo mortui; sed ut per ipsum renovati, et vivificati spiritu, jam non sibi, sed Christo vivant. Unde et alibi ait idem Apostolus : « Vivo autem jam non ego, vivit autem in me » Christus[1]. »

VI. Meritoque qui ante cognoverat secundum carnem Christum, jam operationes ejus invisibiliter agnoscens[2], jam non carnem ejus, sed potentiam scrutans, qui ante persecutor discipulos hominis[3], et pedissequos carnis infestis odiis urgebat, postea doctor gentium factus, veneratores majestatis ejus ad prædicationem Evangelii instruere atque informare cœperat. Et ideo addidit : « Si » quis in Christo nova creatura[4], » id est, qui perfectus in in Christo, nova creatura est; quoniam qui caro est, imperfectus est. Denique ipse Dominus ait : « Non permane» bit spiritus meus in istis hominibus, quoniam carnes » sunt[5]. » Carnalis itaque non est in Christo : sed si quis in Christo est, nova creatura est, non naturæ novitate formatus, sed gratiæ. Vetera itaque quæ secundum carnem erant, transierunt : facta sunt nova omnia. Quæ illa, nisi quæ scriba doctus in regno cœlorum novit[6], similis illius patrisfamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera: neque vetera sine novis, neque nova sine veteribus? Ideo et Ecclesia dicit : « Quia nova et vetera servavi tibi[7]. » Sed transierunt vetera, id est, Legis mysteria abscondita, in Christo facta sunt omnia nova.

[1] Galat. II, 20. — [2] 2 Cor. V, 16. — [3] Act. IX, 1, et seqq. — [4] 2 Cor. V, 17. — [5] Gen. VI, 3. — [6] Matth. XIII, 52. — [7] Cant. VII, 13.

VII. Hæc est nova creatura de qua Apostolus ad Galatas ait : « In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid » valet, neque præputium : sed nova creatura, per quam » jam renovata caro floret, et fructum invenit gratiæ, quæ » ante inveterati flagitii spinas habebat[2]. » Quid ergo est quod mœreamus, si jam ad animam dicitur : « Renovabi» tur sicut aquilæ juventus tua[1] ? » Quid est quod ingemiscamus pro mortuis, cum jam reconciliatio mundi apud Deum Patrem facta sit per Dominum Jesum[3] ?

VIII. Quoniam ergo Christi beneficia tenemus, cum apud omnes, tum apud te pro Christo legatione fungimur[4]; ut noveris irrevocabilia ejus esse dona, ut credas, quod semper credidisti : nec nimio mœrore tuam in dubium adducas sententiam; quia ideo peccatum factus est Dominus Jesus, ut tolleret peccatum mundi[5], et essemus in in illo omnes justitia Dei[6] : jam non culpæ obnoxii, sed justitiæ remuneratione securi. Vale, et nos dilige, quia nos te diligimus.

[1] Galat. v, 6. — [2] Psal. cii, 5. — [3] 2 Cor. v, 18. — [4] Ibid. 20. — [5] Joan. i, 29. — [6] 2 Cor. v, 21.

EPISTOLA XL[1].

Ab Imperatore audiri se postulat, affirmans in principe laudari facilitatem : tacere se sine utriusque periculo non posse : nec regibus displicere libertatem : illum vero, quamvis pius sit, decipi posse : sententiam de synagoga reparanda esse periculosam; cum episcopum martyrio vel prævaricationi exponat. In hanc rem exemplo Juliani proposito, rescripti causæ refelluntur; maxime quod Judæi plures usserint ecclesias. Hinc agitur de Valentinianorum, qui gentilibus pejores declarantur, fano; ac donariis, quæ dicebantur sublata, extenuatis, januam ad calumnias Judæis aperiri : triumphumque de Christo dari demonstratur. Hac de re allegorica instituitur Domini expostulatio : postquam deterretur Maximi exemplo Theodosius, neve Judæos aut hæreticos ulcisci velit, admonitus, denuo stimulatur ad clementiam.

Clementissimo principi, ac beatissimo imperatori Theodosio augusto Ambrosius episcopus.

I. Exercitus semper jugibus fere curis sum, Imperator beatissime[2] : sed nunquam tanto in æstu fui, quanto nunc; cum video cavendum ne quid sit, quod ascribatur mihi etiam de sacrilegii periculo. Itaque peto ut patienter sermonem meum audias. Nam si indignus sum, qui a te audiar; indignus sum, qui pro te offeram, cui vota tua,

[1] Scripta sub fin. ann. 388. — [2] Vide D. Guillon, tom. IX, p. 361-368.

cui tuas committas preces. Ipse ergo non audies eum, quem pro te audiri velis? Non audies pro se agentem, quem pro aliis audisti? Nec vereris judicium tuum, ne cum indignum putaris, quem audias; indignum feceris, qui pro te audiatur.

II. Sed neque imperiale est libertatem dicendi denegare, neque sacerdotale, quod sentias, non dicere. Nihil enim in vobis imperatoribus tam populare et tam amabile est, quam libertatem etiam in iis diligere, qui obsequio militiæ vobis subditi sunt. Siquidem hoc interest inter bonos et malos principes, quod boni libertatem amant, servitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat, non libere denuntiare. Siquidem scriptum est: « Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar[1]; » et alibi : « Fili hominis, speculatorem te posui domui Israël, in eo, inquit, ut si avertatur justus a justitiis suis, et fecerit delictum; quia non distinxisti ei, » hoc est, non dixisti quid sit cavendum, « non retinebitur memoria justitia ejus, et sanguinem ejus de manu tua exquiram, tu autem si distinxeris justo, ut non peccet, et ipse non peccaverit justus vita vivet; quia dixisti ei : Et tu animam tuam liberabis[2]. »

III. Malo igitur, Imperator, bonorum mihi esse tecum, quam malorum consortium; et ideo clementiæ tuæ displicere debet sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentii mei periculo involveris, libertatis bono juvaris. Non ergo importunus indebitis me intersero, alienis ingero : sed debitis obtempero, mandatis Dei nostri obedio. Quod facio primum tui amore, tui gratia, tuæ studio conservandæ salutis. Si id mihi vel non creditur, vel interdicitur; dico sane divinæ offensæ metu. Nam si

[1] Psal. CXVIII, 46. — [2] Ezech. III, 17-21.

meum periculum te exueret, patienter me pro te offerrem, sed non libenter; malo enim te sine meo acceptum Deo esse et gloriosum periculo. Sin autem silentii mei dissimulationisque culpa et me ingravat, nec te liberat; malo importuniorem me, quam inutiliorem aut turpiorem judices. Siquidem scriptum est, dicente sancto apostolo Paulo, cujus non potes doctrinam refellere : « Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni » patientia et doctrina[1]. »

IV. Habemus ergo et nos cui displicere plus periculi sit; præsertim cum etiam imperatoribus non displiceat suo quemque fungi munere, et patienter audiatis unumquemque pro suo suggerentem officio; imo corripiatis, si non utatur militiæ suæ ordine. Quod ergo in iis libenter accipitis, qui vobis militant, num hoc in sacerdotibus potest molestum videri; cum id loquamur, non quod volumus, sed quod jubemur? Scis enim lectum : « Cum » stabitis ante reges et præsides, nolite cogitare quid lo» quamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini : » non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris » vestri, qui loquitur in vobis[2]. » Et tamen si in causis reipublicæ loquar, quamvis etiam illic justitia servanda sit, non tanto astringar metu, si non audiar : in causa vero Dei quem audies, si sacerdotem non audias, cujus majore peccatur periculo? Quis tibi verum audebit dicere, si sacerdos non audeat?

V. Novi te pium clementem, mitem, atque tranquillum, fidem ac timorem Domini cordi habentem : sed plerumque aliqua nos fallunt. Habent aliqui zelum Dei, sed non secundum scientiam[3]. Ne igitur hoc etiam fidelibus animis obrepat, cavendum arbitror. Novi pietatem tuam erga Deum, lenitatem in homines : obligatus sum

[1] 2 Tim. IV, 2. — [2] Matth. X, 19, 20. — [3] Rom. X, 2.

beneficiis tuarum indulgentiarum. Et ideo plus metuo, amplius sollicitor: ne etiam ipse tuo me postea judicio condemnes, quod mea aut dissimulatione aut adulatione prolapsionem non evitaveris. Si in me peccari viderem, non deberem tacere; scriptum est enim: « Si frater tuus » in te peccaverit, corripe illum primo, deinde increpa, » duobus aut tribus testibus[1]. Si te non audierit, dic Eccle- » siæ. » Causam ergo Dei tacebo? Quid igitur sit, quod metuam consideremus.

VI. Relatum est a comite Orientis militarium partium (2) incensam esse synagogam, idque auctore factum episcopo. Jussisti vindicari in cæteros, synagogam ab ipso exædificari episcopo. Non astruo expectandam fuisse assertionem episcopi; sacerdotes enim turbarum moderatores sunt, studiosi pacis, nisi cum et ipsi moventur injuria Dei, aut Ecclesiæ contumelia. Sit alioquin iste episcopus ferventior in exustione synagogæ, timidior in judicio: non vereris, Imperator, ne acquiescat sententiæ tuæ; ne prævaricetur, non times?

VII. Non etiam vereris, quod futurum est; ne verbis resistat comiti tuo? Necesse erit igitur ut aut prævaricatorem aut martyrem faciat: utrumque alienum tempoporibus tuis, utrumque persecutionis instar, si aut prævaricari cogatur; aut subire martyrium. Vides quo inclinet causæ exitus. Si fortem episcopum putas, caveto martyrium fortioris: si inconstantem, declina lapsum fragilioris: Plus enim astringitur, qui labi infirmum coëgerit.

VIII. Hac proposita conditione, puto dicturum episcopum quod ipse ignes sparserit, turbas compulerit, populos conduxerit; ne amittat occasionem martyrii, et pro invalidis subjiciat validiorem. O beatum mendacium (3), quo acquiritur sibi aliorum absolutio, sui gratia! Hoc est,

[1] Matth. XVIII, 15, et seqq.

Imperator, quod poposci et ego; ut in me magis vindicares : et si hoc crimen putares, mihi ascriberes. Quid mandas in absentes judicium? Habes præsentem, habes confitentem reum. Proclamo quod ego synagogam incenderim, certe quod ego illis mandaverim; ne esset locus in quo Christus negaretur. Si objiciatur mihi, cur hic non incenderim? Divino jam cremari cœpit judicio : meum cessavit opus. Et si verum quæritur, ideo segnior fui, quia non putabam hoc vindicandum. Quid facerem, quod nullo ultore sine præmio foret? Tangunt hæc verecundiam, sed revocant gratiam; ne fiat quo Dei summi contrahatur offensio.

IX. Esto tamen, nemo episcopum ad hoc munus conveniat; rogavi enim clementiam tuam : et licet ipse hoc revocatum adhuc non legerim, revocatum tamen constituamus. Quid si alii timidiores, dum mortem reformidant, offerant ut de suis facultatibus reparetur synagoga; aut comes ubi hoc compererit primo constitutum, ipse de Christianorum censu exædificari jubeat? Habebis, Imperator, comitem prævaricatorem, et huic vexilla committes victricia, huic labarum, hoc est, Christi sacratum nomine, qui synagogam instauret, quæ Christum nesciat? Jube labarum synagogæ inferri, videamus si non resistunt.

X. Erit igitur locus Judæorum perfidiæ factus de exuviis Ecclesiæ : et patrimonium, quod favore Christi acquisitum est Christianis, hoc transferetur ad donaria perfidorum? Legimus templa idolis antiquitus condita de manubiis Cimbrorum, de spoliis reliquorum hostium. Hunc titulum Judæi in fronte synagogæ suæ scribent : Templum impietatis factum de manubiis Christianorum.

XI. Sed disciplinæ te ratio, Imperator, movet. Quid igitur est amplius disciplinæ species, an causa religionis? Cedat oportet censura devotioni.

XII. Non audisti, Imperator (4); quia cum jussisset Julianus reparari templum Hierosolymis, divino, qui faciebant repurgium, igne flagrarunt? Non caves ne etiam nunc fiat? Adeo a te non fuit jubendum, ut Julianus hoc jusserit!

XIII. Quid tamen movet? Utrum quia quodcumque ædificium publicum exustum est, an quia synagogæ locus? Si ædificio incenso moveris vilissimo (quid enim in tam ignobili castro esse potuit) non recordaris, Imperator, quantorum Romæ domus præfectorum incensæ sint, et nemo vindicavit? Imo si quis imperatorum voluit factum severius reprehendere, ejus magis qui tanto est perculsus dispendio, causam gravavit. Quid igitur dignius, ut Callinici castri in parte aliqua ædificiorum incendium, an urbis Romæ vindicandum æstimaretur, si oporteret tamen? Constantinopoli dudum domus episcopi incensa est, et filius clementiæ tuæ intercessit apud patrem; ut et suam, hoc est, filii imperatoris injuriam, et domus sacerdotalis incendium non vindicares. Non consideras, Imperator, ne et hoc cum vindicari jusseris, ipse iterum interveniat, ne vindicetur? Sed bene illud acquisitum est a patre filio; dignum erat enim, ut suam injuriam prius ipse donaret. Bene illud cum gratiæ distinctione divisum est, ut et filius pro sua, et pater pro filii injuria rogaretur. Hinc nihil est quod filio reserves, et vide ne quid Deo deroges.

XIV. Non est ergo causa tantæ commotioni idonea; ut propter ædificii exustionem in populum tam severe vindicetur: multo autem minus quia synagoga incensa est, perfidiæ locus, impietatis domus, amentiæ receptaculum, quod Deus damnavit ipse. Sic enim legimus per os Hieremiæ, dicente domino Deo nostro: « Et faciam domui, » ubi invocatum est nomen meum super ipsam, in qua con- » fiditis vos, et loco quem dedi vobis et patribus vestris,

» sicut feci Selon : et projiciam vos a facie mea, sicut pro- » jeci fratres vestros omne semen Ephræm. Et tu noli orare » pro populo isto, et noli postulare illis misericordiam, » et neque accesseris ad me pro illis ; quia non exaudiam » te. Aut non vides quid isti faciunt in civitatibus Juda[1] ? » Deus se pro illis prohibet rogari, quos tu vindicandos putas.

XV. At certe si jure gentium agerem, dicerem quantas Ecclesiæ basilicas Judæi tempore imperii Juliani incenderint : duas Damasci, quarum una vix reparata est, sed Ecclesiæ non synagogæ impendiis : altera basilica informibus horret ruinis. Incensæ sunt basilicæ Gazis, Ascalonæ, Berito, et illis fere locis omnibus, et vindictam nemo quæsivit. Incensa est basilica et Alexandriæ a gentilibus et Judæis, quæ sola præstabat cæteris. Ecclesia non vindicata est, vindicabitur synagoga ?

XVI. Vindicabitur etiam Valentinianorum fanum incensum ? Quid est enim nisi fanum, in quo est conventus gentilium ? Licet gentiles duodecim deos appellent, isti triginta et duos Æonas colant (5), quos appellant deos. Nam et de ipsis comperi relatum et præceptum, ut in monachos vindicaretur, qui prohibentibus iter Valentinianis, quo Psalmos canentes ex consuetudine usuque veteri pergebant ad celebritatem Machabæorum martyrum, moti insolentia incenderunt fanum eorum in quodam rurali vico tumultuarie conditum.

XVII. Quanti se offerre habent tali optioni ; cum meminerint tempore Juliani illum, qui aram dejecit, et turbavit sacrificium, damnatum a judice fecisse martyrium ? Itaque nunquam alias ille judex, qui audivit eum, nisi persecutor habitus est : nemo illum congressu, nemo illum unquam osculo dignum putavit. Qui nisi jam esset defunctus, timerem, Imperator, ne in eum tu vindica-

[1] Jerem. VII, 14-17.

res, quanquam vindictam cœlestem non evaserit, suo superstes hæredi (6).

XVIII. Sed refertur cognitionem mandatam judici, scriptumque eo quod non referre debuerit, sed vindicare: requirenda quoque sublata donaria. Omittam alia: incensæ sunt a Judæis Ecclesiarum basilicæ, et nihil redditum est, nihil repetitum, nihil quæsitum. Quid autem habere potuit synagoga in castro ultimo; cum totum quidquid illic est, non multum sit, nihil pretiosum, nihil copiosum? Quid deinde incendio potuit rapi Judæis insidiantibus? Artes istæ sunt Judæorum volentium calumniari; ut dum ista queruntur, mandetur extra ordinem militaris censura judicii, mittatur miles fortasse dicturus quod hic aliquando ante tuum, Imperator, dixit adventum: Quomodo poterit nos Christus juvare, qui pro Judæis adversus Christum militamus? qui mittimur ad vindictam Judæorum? Suos perdiderunt exercitus, nostros volunt perdere.

XIX. In quas præterea non prosiliant calumnias, qui etiam Christo falsis testimoniis calumniati sunt? In quas non prosiliant calumnias homines et circa divina mendaces? Quos non auctores seditionis fuisse dicant? Quos non appetant, etiam quos non recognoscant; ut catenatorum ordines innumeros spectent de Christiano populo, ut captiva videant colla plebis fidelis, ut condantur in tenebras Dei servuli, ut feriantur securibus, dentur ignibus, tradantur metallis, ne pœna cito transeat?

XX. Hunc dabis triumphum Judæis de Ecclesia Dei? hoc trophæum de Christi populo? hæc gaudia, Imperator, perfidis? hanc celebritatem Synagogæ, hos luctus Ecclesiæ? Referet Judæorum populus hanc solemnitatem in dies festos suos; et inter illos profecto numerabit, quibus aut de Amorrhæis, aut de Chananæis triumphavit, aut

de Pharaone rege Ægypti, aut de Nabuchodonosor regis Babyloniæ manu liberari potuit. Addet hanc celebritatem, significans se de Christi populo triumphum egisse.

XXI. Et cum ipsi Romanis legibus teneri se negent, ita ut crimina leges putent; nunc velut Romanis legibus se vindicandos putant. Ubi erant istæ leges, cum incenderent ipsi sacratarum basilicarum culmina? Si Julianus non est ultus Ecclesiam; quia prævaricator erat: tu, Imperator, ulcisceris synagogæ injuriam, quia Christianus es?

XXII. Et quid tecum posthac Christus loquetur? Non recordaris quid David sancto per Natham prophetam mandaverit[1]? Ego te de fratribus tuis minorem elegi, et de privato imperatorem feci. Ego de fructu seminis tui in sede imperiali locavi. Ego tibi subjeci nationes barbaras, ego tibi pacem dedi, ego tibi inimicum tuum in potestatem tuam captivum deduxi. Frumentum non habebas ad exercitus alimoniam, ipsorum hostium manu patefeci tibi portas, aperui horrea: dederunt tibi hostes tui commeatus suos, quos sibi paraverant. Ego perturbavi hostis tui consilia, ut se ipse nudaret. Ego ipsum usurpatorem imperii ita vinxi, ac mentem ejus ligavi, ut cum haberet adhuc fugiendi copiam; tamen cum omnibus suis tanquam metuens, ne quis tibi periret, ipse se clauderet. Ego comitem ejus (7) atque exercitum ex altera parte naturæ, quos ante disperseram, ne ad belli societatem coirent, ad supplementum tibi victoriæ congregavi. Ego exercitum tuum ex multis indomitis convenam nationibus, quasi unius gentis fidem et tranquillitatem et concordiam servare præcepi. Ego cum periculum summum esset ne Alpes infida barbarorum penetrarent consilia, intra ipsum Alpium vallum victoriam tibi contuli, ut sine damno vin-

[1] 2 Reg. VII, 8, et seqq.

ceres. Ego ergo te triumphare feci de inimico tuo, et tu de plebe mea das meis inimicis triumphum.

XXIII. Nonne propterea Maximus destitutus est, qui ante ipsos expeditionis dies, cum audisset Romæ synagogam incensam, edictum Romam miserat, quasi vindex disciplinæ publicæ? Unde populus christianus ait : Nihil boni huic imminet. Rex iste Judæus factus est; defensorem istum disciplinæ audivimus, quem mox Christus probavit, qui pro peccatoribus mortuus est[1]. Si de sermone hoc dictum est, quid de ultione dicetur? Ille igitur statim a Francis, a Saxonum gente, in Sicilia, Sisciæ, Petavione: ubique denique terrarum victus est. Quid pio commune cum perfido? Abolenda cum impio sunt etiam impietatis exempla. Quod illi nocuit, quo victus offendit; hoc non sequi debet, sed damnare, qui vicit.

XXIV. Itaque illa tibi non quasi ingrato recensui, sed quasi jure collata numeravi; ut his admonitus, cui plus collatum est, plus diligas. Denique hoc respondenti Simoni dixit Dominus Jesus : « Recte judicasti[2]. » Statimque conversus ad mulierem quæ pedes ejus unguento unxit, typum Ecclesiæ gerens, ait Simoni : « Propter quod dico » tibi, remissa sunt peccata ejus multa, quoniam dilexit » multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit[3]. » Hæc est mulier quæ in domum Pharisæi intravit, et ejecit Judæum, Christum autem acquisivit. Ecclesia enim Synagogam exclusit : cur iterum tentatur, ut apud Christi famulum, hoc est, de pectore fidei, de domo Christi Synagoga excludat Ecclesiam?

XXV. Hæc ego, Imperator, amore et studio tui in hunc sermonem contuli. Debeo enim beneficiis tuis, quibus me petente, liberasti plurimos de exiliis, de carceribus, de ultimæ necis pœnis; ut malle debeam pro salute

[1] Rom. v, 6. — [2] Luc. vii, 43. — [3] Ibid. 47.

tua etiam offensionem tui animi non timere (nemo majore fiducia utitur, quam qui ex affectu diligit : nemo certe debet lædere, qui sibi consulit) ne tot annorum conceptam cujuscumque sacerdotis gratiam uno momento amittam. Et tamen non damnum gratiæ deprecor, sed salutis periculum.

XXVI. Quanquam quantum est, Imperator, ut quærendum aut vindicandum non putes, quod in hunc diem nemo quæsivit, nemo unquam vindicavit? Grave est fidem tuam pro Judæis periclitari. Gedeon cum occidisset sacratum vitulum, dixerunt gentiles[1] : Dii ipsi injuriam suam vindicent. Quis habet Synagogam vindicare? Christus quem occiderunt, quem negaverunt? An Deus Pater vindicabit eos, qui nec Patrem recipiunt, dum Filium non receperunt? Quis habet Valentinianorum hæresim vindicare : quam pietas tua quomodo vindicat, cum eos excludi jusserit, nec conveniendi usurpare copiam? Si Josiam tibi objiciam regem Deo probatum[2], hoc in istis damnabis, quod in illo probatum est.

XXVII. Certe si mihi parum fidei defertur, jube adesse quos putaveris episcopos : tractetur, Imperator, quid salva fide agi debeat. Si de causis pecuniariis comites tuos consulis, quanto magis in causa religionis sacerdotes Domini æquum est consulas?

XXVIII. Consideret clementia tua quantos insidiatores habeat Ecclesia, quantos exploratores : levem rimam si offenderint, figent aculeum. Secundum homines loquor : cæterum plus hominibus Deus timetur, qui etiam imperatoribus jure præfertur. Si amico aliquis, si parenti aut propinquo deferendum existimat, recte ego et deferendum Deo, et eum præferendum omnibus judicavi. Consule tibi, Imperator, aut patere me consulere mihi.

[1] Judic. VI, 31. — [2] 4 Reg. XXII, 2.

XXIX. Quid respondebo postea, si compertum fuerit, data hinc auctoritate, aliquos Christianorum aut gladio, aut fustibus, aut plumbeis necatos? Quomodo hoc purgabo factum? Quomodo excusabo apud episcopos, qui nunc quia per triginta et innumeros annos presbyteri quidam gradu functi, vel ministri Ecclesiæ retrahuntur a munere sacro, et curiæ deputantur, graviter gemunt? Nam si qui vobis militant, certo militiæ tempore servantur; quanto magis etiam eos considerare debetis; qui Deo militant? Quomodo, inquam, hoc excusabo apud episcopos, qui queruntur de clericis, et impressione gravi vastari scribunt Ecclesias?

XXX. Hoc tamen in notitiam clementiæ tuæ pervenire volui; de hoc, ut placet, arbitrio tuo consulere et temperare dignaberis : illud autem quod me angit, et jure angit, exclude atque ejice. Ipse facis, quidquid fieri jussisti : aut si ille facturus non est, malo te magis esse clementem, quam illum non fecisse, quod jussus est.

XXXI. Habes in quibus Domini adhuc debes circa imperium Romanum invitare et emereri clementiam, habes quibus amplius, quam tibi speres : illorum gratia, illorum salus te in hoc sermone conveniat. Timeo ne causam tuam alieno committas judicio. Integra adhuc tibi sunt omnia. In hoc me ego Deo nostro pro te obligo, nec verearis sacramentum. Numquid Deo displicere poterit quod pro ejus emendatur honorificentia? Nihil mutaveris certe in illa epistola, sive missa, sive nondum missa est : dictari jube aliam, quæ plena fidei, plena pietatis sit. Tibi integrum est emendare, mihi non est integrum dissimulare.

XXXII. Antiochenis tuam donasti injuriam, inimici tui filias revocasti, nutriendas apud affinem dedisti, matri hostis tui misisti de ærario tuo sumptus. Hæc tanta pietas, tanta erga Deum fides hoc facto obfuscabitur. Tu igitur

qui armatis pepercisti hostibus, et servasti inimicos tuos; ne, quæso, tanto studio putes vindicandum in Christianos.

XXXIII. Nunc te, Imperator, rogo, ut non aspernanter acceperis me et pro te et pro me timentem; sancti enim vox est: « Ut quid factus sum videre contritionem » populi mei[1], » ut offensam incurram Dei? Ego certe quod honorificentius fieri potuit, feci; ut me magis audires in regia, ne si necesse esset, audires in Ecclesia.

EPISTOLA XLI[2].

Sororem ut de iis quæ synagogæ ac fani supra dictorum causa evenerant, certiorem faciat, refert quemadmodum loco Hieremiæ de sacerdotum verbis, explicato, Evangelicam lectionem enarraverit, ostenderit illic Domini misericordiam commendari, cujus idem a nobis exigit imitationem: ac docuerit qua ratione evangelicam peccatricem Dominicos pedes lavando, tergendo, unguendo atque osculando referamus; alioqui nos propheticæ reprehensioni fore obnoxios: denique quomodo sermone converso ad Theodosium, tandem ut revocaret edictum obtinuerit.

Frater sorori.

I. SOLLICITAM sanctitatem tuam esse adhuc scribere dignata es mihi, eo quod sollicitum me esse scripserim; unde miror quod litteras non acceperis meas, quibus refusam mihi scripseram securitatem. Nam cum relatum

[1] I Mach. II, 7. — [2] Scripta ann. 388.

esset synagogam Judæorum incensam a Christianis, auctore episcopo, et Valentinianorum conventiculum; jussum erat, me Aquileiæ posito, ut synagoga ab episcopo reædificaretur, et in monachos vindicaretur, qui incendissent ædificium Valentinianorum. Tum ego, cum sæpius agendo parum proficerem, epistolam dedi imperatori, quam simul misi; et ubi processit ad Ecclesiam, hunc sermonem habui.

II. In libro prophetico scriptum est: « Sume tibi baculum nucinum[1]; » et qua ratione hoc dixerit Dominus prophetæ, debemus considerare: non otiose etenim scriptum est; quandoquidem et in Pentateucho legimus quod virga nucina Aaron sacerdotis, cum diu reposita fuisset, effloruit[2]. Nam videtur per virgam significare quod directa esse debeat prophetia vel sacerdotalis auctoritas; ut non tam delectabilia, quam utilia persuadeat.

III. Ideoque nucinum baculum sumere jubetur Propheta, quia memoratæ pomum arboris amarum in cortice, durum in testa, intus est fructuosum; ut ad ejus similitudinem Propheta quoque amara et dura prætendat, et denuntiare tristia non reformidet. Similiter etiam sacerdos, quia præceptio ejus etsi ad tempus aliquibus amara videatur, et tanquam virga Aaron reposita diu in auribus dissimulantium; tamen aliquando cum æstimatur aruisse, floressit.

IV. Unde et Apostolus ait: « Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate, spirituque mansuetudinis[3]? » Prius enim virgam dixit, et tanquam virga nucina percussit errantes, ut postea consolaretur eos spiritu mansuetudinis[4]. Itaque quem virga sacramentis abdicavit cœlestibus, eumdem mansuetudo restituit. Discipulo quoque talia præscripta dedit, dicens: « Argue, obsecra, increpa[5]. »

[1] Jerem. I. — [2] Num. XVII, 8. — [3] I Cor. IV, 21. — [4] 2 Cor. II, 10. — [5] 2 Tim. IV, 2.

Duo dura, unum mite: sed ideo dura, ut etiam ipsa molliret; quia sicut ægris redundanti felle corporibus ciborum aut potus amaritudo dulcescit, et contra epularum suavitas amaritudini est: ita ubi animus est saucius, voluptariæ fotu adulationis ægrescit, et rursum correctionis temperatur amaritudine.

V. Hæc de prophetica lectione libata sint: Evangelii quoque lectio quid habeat consideremus: « Rogavit quidam Pharisæus Dominum Jesum, ut manducaret cum » illo: et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et ecce » mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod » Jesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum un» guenti: et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit » rigare pedes ejus. » Et reliqua recitavit usque ad locum: « Fides tua te salvam fecit, vade in pace[1]. » Quam simplex, subjunxi, in verbis, quam profunda in consiliis Evangelii lectio! Itaque quia magni consiliarii sermo est[2], altitudinen ejus consideremus.

VI. Dominus noster Jesus Christus judicavit magis homines beneficiis alligari posse, et provocari ad ea quæ sunt recta facienda, quam metu: plusque charitatem proficere, quam formidinem ad correctionem. Itaque præmisit gratiam, veniens per Virginis partum; ut in baptismo peccata donaret, quo sibi faceret gratiores. Deinde si competentia gratis viris officia reponeremus, ipsius gratiæ remunerationem futuram omnium in hac muliere declaravit. Nam si tantummodo prima debita nobis remisisset, videretur cautior, quam indulgentior; correctionisque providentior quam remunerationis magnificentior. Angusti animi sola astutia est, ut illiciat: Deo autem convenit, ut quos invitaverit per gratiam, eosdem gratiæ ipsius incrementis provehat. Ideoque nobis et ante donat

[1] Luc. VII, 36, et seqq. — [2] Isaï. IX, 6.

per baptismum, et post bene servientibus uberiora largitur. Ita ergo Christi beneficia et incentiva virtutis et præmia sunt.

VII. Sed nemo vocabulum fœneratoris horrescat[1]. Fuimus ante sub fœneratore duro, qui nisi morte debitoris expleri ac satiari nequiret. Venit Dominus Jesus, vidit gravi nos obligatos fœnore. Nemo fœnus suum patrimonio innocentiæ suæ poterat exolvere : de meo, unde me liberarem, habere non poteram, novum genus absolutionis mihi detulit; ut creditorem mutarem, quia fœnus unde solverem, non habebam. Debitores autem nos non natura, sed culpa fecerat; peccatis enim nostris æra gravia contraximus, ut essemus obnoxii, qui eramus liberi; debitor enim est, qui aliquid accepit de fœneratoris pecunia. Peccatum vero a diabolo est : tanquam in ejus patrimonio has habet impius opes; sicut enim Christi divitiæ virtutes sunt, ita diaboli opes crimina sunt. Redegerat humanum genus in perpetuam captivitatem obnoxiæ hæreditatis gravi fœnore, quod obæratus auctor ad posteros de fœnerata successione transmiserat. Venit Dominus Jesus, mortem suam pro morte omnium obtulit, sanguinem suum pro sanguine fudit universorum.

VIII. Mutavimus ergo creditorem, non evasimus; imo evasimus, manet enim debitum, fœnus intercidit, dicente Domino Jesu : « Qui in vinculis sunt : Exite; et his qui in » carcere sunt : Procedite[2]; » dimissa sunt ergo peccata vestra. Omnibus igitur dimisit, nec quisquam est, cui non relaxarit. Sic enim scriptum est, quia donavit « Omnia » delicta, delens quod adversum nos erat chirographum » decreti[3]. » Cur nos aliorum tenemus chirographa, et volumus exigere aliena, qui nostrorum utimur indulgentia?

[1] Luc. VII, 41. — [2] Isaï. XLIX, 9. — [3] Coloss. XIII, 14.

Qui donavit omnibus, ab omnibus exigit; ut quod unusquisque sibi dimissum meminit, alii ipse dimittat.

IX. Vide ne graviorem causam incipias habere fœnerator, quam debitor : sicut ille in Evangelio, cui dominus suus dimisit omne debitum, ille postea a conservo suo cœpit exigere, quod ipse non solverat[1]; unde iratus dominus ejus de ipso summis exegit injuriis, quod ei ante donaverat. Caveamus ergo ne nobis hoc accidat, ut non remittendo, quæ nobis debentur, incipiamus et illa solvere quæ remissa sunt nobis; ita enim scriptum est, dicente Domino Jesu : « Sic et vobis faciet Pater meus, » qui in cœlis est, si non remiseritis unusquisque fratri » suo de cordibus vestris[2]. » Dimittamus ergo pauca, quibus plura donata sunt : et intelligamus eo nos Deo acceptiores fore, quo etiam plura donamus; quia hoc gratiores Deo sumus, quo nobis plura dimissa sunt.

X. Denique interrogatus a Domino Pharisæus : « Quis, » inquit, eum plus diligit? » Respondit : « Æstimo quia is » cui plus donavit. » Cui Dominus dixit : « Recte judicasti[3]. » Laudatur Pharisæi judicium, sed arguitur affectus. De aliis bene judicat : sed quod de aliis opinatur, ipse non credit. Audis laudantem Judæum Ecclesiæ disciplinam, ejusque veram gratiam prædicantem, honorantem sacerdotes Ecclesiæ, hortaris ut credat, renuit; ita quod in nobis laudat, ipse non sequitur. Non ergo plena ejus laudatio est, quia audivit a Christo : « Recte judicasti; » nam et Caïn recte obtulit, sed non recte divisit; ideoque dixit illi Deus : « Si recte offeras, non recte autem dividas; pec» casti, quiesce[4]. » Ergo et hic recte obtulit, quia judicat Christum a Christianis amplius diligendum; quia multa nobis peccata donavit : sed non recte divisit, quia putavit

[1] Matth. XVIII, 27, et seqq. — [2] Ibid. 34. — [3] Luc. VII 42, 43. — [4] Gen. IV, 7.

quod peccata hominum posset ignorare, qui hominibus peccata dimitteret.

XI. Ideoque ait Simoni : « Vides hanc mulierem ? In-» travi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti : » hæc autem lacrymis suis rigavit pedes meos[1]. » Omnes unum corpus Christi sumus, cui caput Deus, membra autem nos sumus[2] : alii fortasse oculi, ut Prophetæ : dentes, ut Apostoli, qui evangelicæ prædicationis cibum nostris infudere pectoribus; meritoque scriptum est : « Oculi » ejus hilares a vino, et dentes candidiores lacte[3]. » Sunt et manus ejus illi qui videntur executores bonorum operum. Sunt et venter ejus, qui vires alimoniæ pauperibus largiuntur. Sunt ergo et pedes ejus aliqui : atque utinam merear ejus esse calcaneum ! Aquam igitur mittit in pedes Christi, qui etiam ultimis quibusque peccata concedit ; et dum plebeios liberat, Christi tamen lavat vestigium.

XII. Mittit et ille aquam in pedes Christi, qui a peccatorum colluvione mundat conscientiam suam; ambulat enim Christus in pectoribus singulorum. Cave igitur ne pollutam habeas conscientiam, et pedes Christi incipias inquinare. Cave ne spinam in te improbitatis offendat, qua ejus in te deambulantis calcaneum saucietur. Nam ideo aquam pedibus Christi non dedit Pharisæus, quia mundum a colluvione perfidiæ animum non habebat[4]. Unde enim suam mundaret conscientiam, qui aquam non susceperat Christi? Ecclesia autem et aquam habet, et lacrymas habet : aquam baptismatis, lacrymas pœnitentiæ. Fides namque, quæ superiora peccata deplorat, nova cavere consuevit. Ergo Simon Pharisæus, qui aquam non habebat, utique et lacrymas non habebat. Quomodo enim haberet lacrymas, qui pœnitentiam non gerebat; quoniam vero non credebat in Christum, nec habebat lacrymas? Nam si habuisset,

[1] Luc. VII, 44. — [2] 1 Cor. XII, 12. — [3] Gen. XLIX, 12. — [4] Luc. VII, 44.

lavisset oculos suos; ut Christum videret, quem adhuc, cum simul accumberet, non videbat. Nam si vidisset, non utique de ejus potestate dubitasset.

XIII. Non habebat capillos Pharisæus, qui Nazaræum scire non poterat: habebat Ecclesia, quæ Nazaræum quærebat. Capilli veluti in superfluis corporis æstimantur; iidem tamen si unguantur, bonum reddunt odorem, et ornamento sunt capiti: si non ungantur oleo, ingravant; ita et divitiæ oneri sunt, si his uti nescias, si non aspergas iis Christi odorem. Si vero alas pauperes, laves eorum vulnera, illuviemque detergas; tersisti utique pedes Christi.

XIV. « Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo » intravi, non cessavit osculari pedes meos[1]. » Osculum utique insigne est charitatis. Unde ergo Judæo osculum, qui pacem non recognovit, qui pacem a Christo non accepit, dicente: « Pacem meam do vobis, pacem meam re» linquo vobis[2]? » Non habet Synagoga osculum, habet Ecclesia, quæ expectavit, quæ dilexit, quæ dixit: « Os» culetur me ab osculis oris sui[3]; » diuturnæ enim cupiditatis ardorem, quem adventus Dominici expectatione adoleverat, osculo ejus volebat stillanter extinguere, hoc explere sitim suam munere. Ideoque sanctus Propheta ait: « Os meum aperies, et annuntiabit laudem tuam[4]. » Qui ergo laudat Dominum Jesum, osculatur eum: qui laudat, credat utique. Denique ipse David ait: « Credidi, » propter quod locutus sum[5]; » et supra: « Repleatur os » meum laude tua, et cantem gloriam tuam[6]. »

XV. De specialis quoque gratiæ infusione eadem te Scriptura docet, quod osculetur Christum, qui accipit Spiritum, dicente Propheta sancto: « Os meum aperui, » et attraxi spiritum[7]. » Osculatur ergo Christum, qui con-

[1] Luc. VII, 45. — [2] Joan. XIV, 27. — [3] Cant. I, 1. — [4] Psal. L, 17. — [5] Id. CXV, 10. — [6] Id. LXX, 8. — [7] Id. CXVIII, 131.

fitetur illum : « Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem[1]. » Osculatur vero pedes Christi, qui Evangelium legens, Domini Jesu gesta cognoscit, et pio miratur affectu; ideoque religioso osculo velut quædam deambulantis Domini lambit vestigia. Osculamur ergo Christum communionis osculo : « Qui legit, intelligat[2]. »

XVI. Unde hoc Judæo osculum? Qui enim non credidit in adventum ejus, nec in passionem credidit. Quomodo enim credit passum, quem venisse non credidit? Non ergo habebat osculum Pharisæus, nisi forte Judæ proditoris. Sed nec Judas habebat, ideoque cum Judæis promissum osculum, tanquam signum proditionis vellet ostendere, dicit ei Dominus : « Juda, osculo Filium hominis tradis[3]: » hoc est, osculum offers, qui non habes osculi charitatem : osculum offers, qui nescis osculi sacramentum. Osculum non labiorum quæritur, sed cordis et mentis.

XVII. Sed dicis : Osculatus est Dominum. Verum osculatus est labiis. Hoc habet osculum populus Judæorum, ideoque dictum est : « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me[4]. » Ergo non habet osculum, qui fidem et charitatem non habet; osculo enim vis amoris imprimitur. Ubi non est amor, non est fides, non est dilectio; quæ potest esse suavitas osculorum?

XVIII. Ecclesia autem non cessat osculari pedes Christi; et ideo non unum, sed multa in Canticis Canticorum exigit oscula[5], quæ velut sancta Maria ad omnes ejus est intenta sermones, omnia ejus verba excipit; cum legitur Evangelium, vel Propheta, et omnia ejus dicta conservat in corde suo[6]. Sola ergo Ecclesia habet oscula quasi Sponsa; osculum enim quasi pignus est nuptiarum; et prærogativa

[1] Rom. x, 10. — [2] Matth. xxiv, 15. — [3] Luc. xxii, 48. — [4] Matth. xv, 8. — [5] Cant. i, 1. — [6] Luc. ii, 51.

conjugii. Unde Judæo oscula, qui non credit in Sponsum? Unde Judæo oscula, qui Sponsum adhuc venisse non novit?

XIX. Nec solum oscula non habet, sed nec oleum habet, quo unguat pedes Christi[1]; nam si haberet oleum, cervicem utique suam ante molliret. Denique Moyses dicit: « Populus hic dura cervice est[2]; » et Dominus ait quod levita et sacerdos præterierunt[3], nec quisquam eorum oleum aut vinum illius a latronibus percussi vulneribus infudit: non enim habebant quod infunderent; nam si habuissent oleum, suis quoque vulneribus infudissent. Sed clamat Esaïas: « Non est malagma imponere, neque » oleum, neque alligaturam[4]. »

XX. Ecclesia autem habet oleum, quo suorum vulnera fovet; ne duritia vulneris alte serpat: habet oleum, quod accepit absconse. Hoc oleo Aser pedem suum lavit, sicut scriptum est: « Benedictus filius Aser; et erit acceptus fra- » tribus suis, et intinget in oleo pedem suum[5]. » Hoc ergo oleo ungit Ecclesia cervices suorum, ut suscipiant jugum Christi: hoc oleo unxit Martyres, ut sæcularem ab eis pulverem detergeret: hoc oleo Confessores unxit; ne labori cederent, ne succumberent fatigati; ne æstu mundi istius vincerentur: ideo unxit eos, ut spiritali ipsos oleo refrigeraret.

XXI. Synagoga hoc oleum non habet, quæ olivam non habet, quæ non intellexit illam columbam, quæ ramum oleæ detulit post diluvium[6]. Illa enim columba postea descendit, cum Christus baptizaretur, et mansit super eum, sicut in Evangelio testatur Joannes dicens: « Quia » vidi Spiritum descendentem de cœlo quasi columbam, » et mansit super eum[7]. » Quomodo ergo vidit columbam,

[1] Luc. VII, 46. — [2] Exod. XXXIV, 9. — [3] Luc. X, 31, 32. — [4] Isaï. I, 6. — [5] Deut. XXXIII, 24. — [6] Gen. VIII, 11. — [7] Joan. I, 32.

qui non vidit eum, super quem Spiritus quasi columba descendit?

XXII. Ecclesia igitur et lavat pedes Christi, et capillis suis tergit, et oleo ungit, et perfundit unguento; quia non solum saucios curat, et lassos fovet; verumetiam suavi gratiæ odore respergit : nec divitibus tantum ac potentioribus, sed etiam plebeiæ familiæ viris eamdem transfundit gratiam, æqua omnes lance examinat, omnes eodem sinu suscipit, eodem gremio fovet.

XXIII. Semel mortuus Christus est, semel sepultus est : et nihilominus quotidie vult in pedes suos mitti unguentum. In quos ergo Christi pedes mittimus unguentum? Pedes Christi illi sunt de quibus ipse dicit : « Quod uni » horum minimorum fecistis, mihi fecistis[1]. » Hos pedes illa mulier Evangelica refrigerat, hos lacrymis suis irrigat[2]; quando infimis peccatum remittitur, culpa lavatur, donatur indulgentia. Hos pedes osculatur ille, qui etiam infimos plebis sacræ diligit. Hos pedes unguento ungit ille, qui etiam tenuioribus mansuetudinis suæ gratiam impertit. In his se Martyres, in his Apostoli, in his ipse Dominus Jesus honorari indicat.

XXIV. Vides quam moralis Dominus sit, ut exemplo sui te ad pietatem provocet; moralis est etiam, cum arguit. Denique accusans Judæos ait : « Popule meus, quid feci » tibi, aut quid contristavi te, aut quid molestus fui tibi? » Responde mihi[3]. Quia eduxi te de terra Ægypti, et de » domo servitutis liberavi te? » Et addidit : « Et misi ante » faciem tuam Moysen et Aaron et Mariam[4]? » In mente habeto quid cogitaverit in te Balac, hoc est, ille magicæ artis opem quærens : sed tamen eum tibi non permisi

[1] Matth. xxv, 40. — [2] Luc. vii, 38. — [3] Mich. vi, 3, 4. — [4] Num. xxiii, 2, et seqq.

nocere. Deprimebaris utique in peregrinis exulans terris, gravibus urgebaris oneribus : nisi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam, et primum ille, qui spoliaverat exulem, spoliatus ipse est[1]. Tu, qui amiseras tua, acquisisti aliena, liberatus ab hostibus circumvallantibus, atque inter aquas medias tutus stragem vidisti inimicorum tuorum; cum eadem unda, quæ te circumfusa provexerat, hostem refusa demergeret. Nonne eum tibi per desertum venienti alimenta deessent, altricem tibi pluviam, et commeatus, quocumque pergeres, circumfluos ministravi[2]? Nonne te, debellatis inimicis omnibus, in regionem Botryonis induxi[3]? Nonne ipsum Sehon Amorrhæorum regem, hoc est, superbum exasperantium ducem[4] : nonne regem Haï viventem tibi tradidi, quem suffixum ligno ac sublatum in cruce maledicto vetere condemnasti[5]? Quid dicam cæsa quinque regum agmina, quæ debitas tibi terras negare contendebant[6]? Et nunc pro his omnibus quid aliud a te quæritur, homo, nisi ut facias judicium et justitiam, et diligas misericordiam, et paratus sis ire cum Domino Deo tuo[7]?

XXV. Ad ipsum regem David, illum pium atque mansuetum, qualis per Nathan prophetam expostulatio : «Ego, »inquit, te minorem elegi de fratribus tuis[8] :» ego te mansuetudinis replevi spiritu : ego te per Samuëlem, in quo ego eram, et meum nomen, unxi in regem. Ego te, sublato illo rege superiore, quem malus spiritus exagitabat, ut persequeretur sacerdotes Domini, de exule feci triumphatorem. Ego de semine tuo in throno tuo non prius hæredem quam consortem locavi. Ego tibi feci etiam alienigenas subditos, ut tibi serviant, qui te impugna-

1 Exod. XIV, 29. — 2 Id. XVI, 4, et seqq. — 3 Num. XIII, 24. — 4 Id. XXI, 24. — 5 Josuë. VIII, 23, et seqq. — 6 Id. X, 26. — 7 Mich. VI, 8. — 8 2 Reg. XII, 7, et seqq.

bant : et tu servientes mihi in potestatem deduces inimicorum meorum : et tu auferes quod erat servuli mei, in quo et tibi peccatum inuritur, et habebunt de quo mei adversarii glorientur?

XXVI. Ergo, Imperator, ut jam non solum de te, sed etiam ad te verba convertam; quoniam advertis quam graviter Dominus convenire soleat, quo gloriosior factus es, eo amplius auctori tuo deferendum noveris. Scriptum est enim : « Cum te induxerit Dominus Deus tuus in terram alienam, et manducaveris fructus alienos, non dicas : Virtus mea et justitia mea hoc mihi dedit; sed Dominus donavit Deus, sed Christus misericordia sua contulit[1] : » et ideo corpus ejus, hoc est, Ecclesiam diligendo, aquam da pedibus ejus, osculare pedes ejus[2]; ut non solum absolvas eos, qui in peccatis deprehensi sunt, verumetiam pace tua dones concordiæ, et quieti relaxes. Mitte unguentum in pedes ejus, ut tota domus in qua Christus recumbit, tuo repleatur unguento, omnes recumbentes cum eo gaudeant tuis odoribus, hoc est, sic honora ultimos, ut eorum absolutione gaudeant Angeli, sicut super uno peccatore pœnitentiam agente[3]; lætentur Apostoli, delectentur Prophetæ. Non enim possunt dicere oculi manui : « Operam tuam non desideramus; aut caput pedibus : Non estis mihi necessarii[4]. » Ergo quia omnes necessarii sunt, tuere omne corpus Domini Jesu; ut ipse quoque regnum tuum cœlesti sua dignatione custodiat.

XXVII. Ubi descendi, ait mihi : De nobis proposuisti. Respondi : Hoc tractavi, quod ad utilitatem tuam pertineret. Tunc ait : Re vera de synagoga reparanda ab episcopo durius statueram, sed emendatum est. Monachi multa scelera faciunt. Tunc Tymasius magister equitum et peditum cœpit adversum monachos esse vehementior. Res-

[1] Deut. IX, 4 — [2] Joan. XII, 3. — [3] Luc. XV, 10. — [4] I Cor. XII, 21.

pondi ei : Ego cum imperatore ago, ut oportet; quia novi quod habeat Domini timorem : tecum autem aliter agendum, qui tam dura loqueris.

XXVIII. Deinde cum aliquandiu starem, dico imperatori : Fac me securum pro te offerre, absolve animum meum. Cum assideret, annueretque, non tamen aperte polliceretur, atque ego starem, dixit se emendaturum rescriptum. Statim dicere cœpi, ut omnem cognitionem tolleret; ne occasione cognitionis comes aliqua Christianos attereret injuria. Promisit futurum. Aio illi : Ago fide tua; et repetivi : Ago fide tua. Age, inquit, fide mea. Et ita ad altare accessi, non aliter accessurus, nisi mihi plene promisisset. Et vere tanta oblationis fuit gratia, ut sentirem etiam ipse eam Deo nostro commendatiorem fuisse gratiam, et divinam præsentiam non defuisse. Omnia itaque ex sententia gesta sunt.

EPISTOLA

SYRICII PAPÆ AD MEDIOLANENSEM ECCLESIAM [1].

Mediolanenses docet diaboli factum invidia, ut novæ hæreses irreperent in Ecclesiam. Quam perniciosæ illæ sint, prodit; et in conventu ecclesiastico eorum auctores, quorum singillatim nomina recensentur, damnatos refert.

Syricius Mediolanensi Ecclesiæ.

I. « OPTAREM semper, fratres charissimi, dilectionis et

[1] Scripta exeunte ann. 389 vel ineunte 390.

pacis vestræ sinceritati gaudia nuntiare, ita ut vicissim discurrentibus litteris sospitatis vestræ juvaremur judicio. At vero quia non patitur quiete nos vacare ab incursione sua hostis antiquus, ab initio mendax, inimicus veritatis, æmulus hominis, quem ut deciperet, se ante decepit, pudicitiæ adversarius, luxuriæ magister, crudelitatibus pascitur, abstinentia punitur, odit jejunia, ministris suis prædicantibus, dum dicit esse superflua, spem non habens de futuris, Apostoli sententia repercussus dicentis : « Manducemus et bibamus; cras enim moriemur[1]. »

II. « O infelix audacia ! o desperatæ mentis astutia ! Jam incognitus sermo hæreticorum intra Ecclesiam cancri more serpebat, ut occupans pectus, totum hominem præcipitaret in mortem : et nisi Dominus Sabaoth laqueum, quem paraverant, dirupisset, scena tanti mali, et hypocrisis publicata multorum simplicium corda traxisset in ruinam; quia facile ad deteriorem partem mens humana traducitur, malens per spatiosa velare, quam per arctæ viæ iter cum labore transire. »

III. « Qua de re necessarium satis fuit, dilectissimi, quæ hic gesta sunt, ad vestram conscientiam cognoscenda mandare; ne ignorantia sacerdotis cujuspiam pessimorum hominum Ecclesiam irrumpentium sub religioso nomine contagio violaret, sicut scriptum est, Domino dicente : « Multi veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem » sunt lupi rapaces : a fructibus eorum cognoscetis eos[2]. » Hi sunt videlicet, qui sub vestium vilitate christianos sese jactant; ut sub velamento pii nominis gradientes, domum orationis ingressi, sermonem serpentinæ disputationis effundant : « Ut sagittent in obscuro rectos corde[3], » atque a veritate catholica avertendo, ad suæ doctrinæ rabiem dia

[1] 1 Cor. xxv, 32. — [2] Matth. vii, 15, 1. — [3] Psal. x, 3.

bolico more traducant, atque ovium simplicitatem defraudent. »

IV. « Et quidem multarum hæresum malignitatem ab Apostolis nunc usque didicimus, et experti probavimus : sed nunquam tales canes Ecclesiæ mysterium latratibus fatigaverunt, quales isti nunc subito irrumpentes, doctrina perfidiæ pullulata, hostes fidei, qui cujus sint discipuli, verborum fructibns prodiderunt. Namque cum alii hæretici singula sibi genera quæstionum male intelligendo proposuerint convellere atque concerpere de divinis institutionibus : isti non habentes vestem nuptialem, sauciant catholicos, Novi ac Veteris Testamenti, ut dixi, continentiam pervertentes, et spiritu diabolico interpretantes[1], illecebroso atque ficto sermone aliquot Christianos cœperunt jam vastare, atque suæ dementiæ sociare, non intra se continentes nequitiæ suæ virus : verum electi eorum blasphemias suas conscriptione temeraria prodiderunt; et desperatæ mentis furore conciti, passim in favorem gentilium publicaverunt. »

V. « Eorum autem insania a fidelibus Christianis, viris genere optimis, religione præclaris, ad meam humilitatem subito per scripturam horrificam videtur esse perlata ; ut sacerdotali judicio detecta, divinæ legi contraria spiritali sententia deleatur. Nos sane nuptiarum vota non aspernanter accipimus, quibus velamine intersumus : sed virgines, quas nuptiæ creant, Deo devotas majore honorificentia honoramus. »

VI. « Facto igitur presbyterio, constitit doctrinæ nostræ, id est, Christianæ legiesse contrariam eorum sententiam. Unde Apostoli secuti præceptum : quia aliter quam quod accepimus annuntiabant, excommunicavimus[2]. Omnium ergo nostrum tam presbyterorum et diaconorum,

[1] Matth. XXII, 12. — [2] Galat. I, 8.

quam totius etiam cleri unam scitote fuisse sententiam, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Prontinus, Martianus, Januarius et Ingeniosus, qui incentores novæ hæresis et blasphemiæ inventi sunt, divina sententia et nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent. »

VII. « Quod custodituram sanctitatem vestram non ambigens, hæc scripta direxi per fratres et presbyteros meos Crescentem, Leopardum, et Alexandrum, qui religiosum officium fidei spiritu possint adimplere ferventes. »

EPISTOLA XLII [1].

Synodus Mediolanensis laudat Syricium, quod Ecclesiam a lupis defenderet. Hos adversus virginitatem, simulata conjugii defensione, sævire; cum huic illam præferri jubeat Paulus. Iidem hæretici e Virgine Christum negantes nasci potuisse. Scripturæ testimoniis refelluntur. Paucis additis de laude viduitatis et abstinentiæ, quibus isti infesti erant, ipsos ut pote Manichæos anathemate ab se confixos testantur Patres.

Domino dilectissimo fratri Syricio papæ, Ambrosius, Sabinus, Bassianus, et cæteri.

I. Recognovimus litteris Sanctitatis Tuæ boni pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi januam serves, et pia sollicitudine Christi ovile custodias, dignus quem oves Domini audiant et sequantur [2] : et ideo quia nosti oviculas

[1] Scripta circa ann. 389. — [2] Joan. x, 7, et seqq.

Christi, lupos facile deprehendes, et occurres quasi providus pastor, ne isti moribus perfidiæ suæ feralique ululatu Dominicum ovile dispergant.

II. Laudamus hoc, Domine frater nobis dilectissime, et toto concelebramus affectu. Nec miramur si luporum rabiem grex Domini perhorruerit, in quibus Christi vocem non recognovit. Agrestis enim ululatus est nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem servare, promiscue omnia velle confundere, diversorum gradus abrogare meritorum, et paupertatem quamdam cœlestium remunerationum inducere : quasi Christo una sit palma, quam tribuit; ac non plurimi abundent tituli præmiorum.

III. Simulant se isti donare conjugio. Sed quæ potest laus esse conjugii, si nulla virginitatis est gloria? Neque vero nos negamus sanctificatum a Christo esse conjugium, divina voce dicente : « Erunt ambo in carne una[1], » et in uno spiritu : sed prius est quod nati sumus, quam quod effecti; multoque præstantius divini operis mysterium, quam humanæ fragilitatis remedium. Jure laudatur bona uxor, sed melius pia virgo præfertur, dicente Apostolo : « Qui jungit virginem suam, bene facit : et qui non jun- » git, melius facit; hæc enim cogitat quæ Dei sunt, illa » quæ mundi[2]. » Illa conjugalibus vinculis colligata est, hæc libera vinculorum : illa sub lege, ista sub gratia. Bonum conjugium, per quod est inventa posteritas successionis humanæ : sed melior virginitas, per quam regni cœlestis hæreditas acquisita, et cœlestium meritorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per virginem salus evenit. Denique speciale sibi donum virginitatis Christus elegit, et integritatis munus exhibuit, atque in se repræsentavit, quod elegit in matre.

IV. Quanta dementia funestorum latratuum, ut iidem

[1] Matth. XIX, 5. — [2] 1 Cor. VII, 38.

dicerent Christum ex Virgine non potuisse generari, qui asserunt ex muliere, editis humanorum pignorum partubus, virgines permanere? Aliis ergo præstat Christus, quod sibi, ut dicunt, præstare non potuit? Ille vero etsi carnem suscepit, etsi homo factus est, ut hominem redimeret, atque a morte revocaret; inusitato tamen, quasi Deus, itinere venit in terras, ut quemadmodum dixerat : « Ecce facio omnia nova[1] ; » partu etiam immaculatæ Virginis nasceretur, et sicut scriptum est, ut crederetur nobiscum Deus. Sed de via perversitatis produntur dicere : Virgo concepit[2], sed non virgo generavit. Potuit ergo virgo concipere, non potuit virgo generare; cum semper conceptus præcedat, partus sequatur?

V. Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium : « Quia non est imposssibile Deo omne verbum[3]. » Credatur (8) Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat. Audivit Maria vocem Angeli, et quæ ante dixerat : « Quomodo fiet istud[4] ?» non de fide generationis interrogans, respondit postea : « Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum » tuum[5]. » Hæc est virgo, quæ in utero concepit : virgo, quæ peperit filium. Sic enim scriptum est : « Ecce virgo » in utero accipiet, et pariet filium[6]; » non enim concepturam tantummodo virginem, sed et parituram virginem dixit.

VI. Quæ autem est illa porta sanctuarii, porta illa exterior ad Orientem, quæ manet clausa; « Et nemo, inquit, » pertransibit per eam, nisi solus Deus Israël[6] ? » Nonne hæc porta Maria est, per quam in hunc mundum Redemptor intravit? Hæc porta justitiæ, sicut ipse dixit; « Sine nos

[1] Isaï. XLIII, 19. — [2] Matth. I, 23. — [3] Luc. I, 37. — [4] Ibid. 34. — [5] Ibid. 38. — [6] Isaï. VII, 14. — [7] Ezech. XLIV, 2.

» implere omnem justitiam[1]. » Hæc porta est beata Maria, de qua scriptum est quia « Dominus pertransibit per eam, » et erit clausa [2]. » post partum; quia virgo concepit et genuit.

VII. Quid autem incredibile si contra usum originis naturalis peperit Maria, et virgo permanet; quando contra usum naturæ mare vidit et fugit[3], atque in fontem suum Jordanis fluenta remearunt? Non ergo excedit fidem quod virgo peperit, quando legimus quod petra vomuit aquas[4], et in muri speciem maris unda solidata est[5]. Non ergo excedit fidem quod homo exivit de virgine, quando petra fontem profluum scaturavit, ferrum super aquas natavit[6], ambulavit homo super aquas[7]. Ergo si hominem unda portavit, non potuit hominem virgo generare? At quem hominem? De quo legimus : « Et mittet illis Do- » minus hominem, qui salvos faciet eos, et notus erit » Dominus Ægyptiis [8]. » In Veteri itaque Testamento virgo Hebræorum per mare duxit exercitum[9] : in Novo Testamento virgo regis, aula cœlestis electa est ad salutem.

VIII. Quid autem? etiam viduitatis attexamus præconia, cum in Evangelio post Virginis celeberrimum partum Anna vidua subrogetur, « Quæ vixerat cum viro suo annis » septem a virginitate sua, et hæc vidua annorum octogin- » ta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis et » obsecrationibus serviens die ac nocte[10]. »

IX. Et merito ab illis viduitas despicitur, quæ solet observare jejunia, quibus se dolent isti aliquo tempore esse maceratos, et propriam ulciscuntur injuriam, quo-

[1] Matth. III, 15. — [2] Ezech. XLIV, 2. — [3] Psal. CXIII, 3. — [4] Exod. XVII, 6. — [5] Exod. XIV, 22. — [6] Num. XX, 11. — [7] Matth. XIV, 26. — [8] 4 Reg. VI, 6, et Isaï. XIX, 20. — [9] Exod. XIV, 21. — [10] Luc. II, 36 et 37.

tidianis quoque conviviis usuque luxuriæ laborem abstinentiæ propulsare desiderant. Qui nihil rectius faciunt, quam quod ipsi suo se ore condemnant.

X. Sed et metuunt ne in istis illud jejunium reputetur. Eligant quod volunt : si aliquando jejunaverint, gerant ergo boni facti sui pœnitentiam : si nunquam, suam ergo ipsi intemperantiam et luxuriam confiteantur. Et ideo dicunt Paulum luxuriæ magistrum fuisse. At quis erit sobrietatis magister, si fuit ille luxuriæ, qui castigavit corpus suum, et servituti redegit[1], atque jejuniis multis se debitam Christo observantiam detulisse memoravit; non ut se suaque laudaret, sed ut nos quid sequeremur, edoceret? Ille ergo luxuriam docuit, qui ait : « Quid adhuc » velut viventes de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, » ne attaminaveritis, ne gustaveritis, quæ sunt omnia in » corruptelam[2]? » Qui etiam ait : « Non in indulgentia cor» poris, non in honore aliquo ad saturitatem et diligentiam » carnis, non in desideriis erroris : sed in Spiritu, quo re» novamur[3], » esse vivendum?

XI. Si parum est quod Apostolus dixit, audiant Prophetam dicentem : « Et cooperui in jejunio animam » meam[4]. » Ergo qui non jejunat, intectus est, et nudus, et patet vulneri. Denique si Adam se texisset in jejunio, non fuisset nudus effectus[5]. Ninive se a morte jejunio liberavit[6]. Et ipse Dominus ait : « Non ejicietur hoc genus » dæmoniorum, nisi per orationem et jejunium[7]. »

XII. Sed quid plura apud magistrum atque doctorem? cum jam dignum præmium retulerint illi perfidiæ suæ, qui ideo usque huc venerunt, ne superesset locus, in quo non damnarentur; qui vere se Manichæos probaverunt, non credentes quia ex Virgine utique venisset. Quænam

[1] 1 Cor. IX, 27. — [2] 2 Cor. VI, 5. — [3] Coloss. II, 19, et seqq. — [4] Psal. LXVIII, 11. — [5] Gen. III, 7. — [6] Jonæ. III, 5. — [7] Matth. XVII, 20.

hæc est suppar novorum Judæorum amentia? Si venisse non creditur, nec carnem creditur suscepisse : ergo in phantasmate visus est, in plantasmate crucifixus est. Sed nobis in veritate crucifixus est, in veritate redemptor noster est.

XIII. Manichæus est, qui abnegat veritatem, qui carnem Christi negat; et ideo non est illis remissio peccatorum : sed est impietas Manichæorum, quam et clementissimus execratus est imperator, et omnes qui illos viderunt quasi quædam contagia refugerunt; sicut testes sunt frates et compresbyteri nostri Crescens, Leopardus, et Alexander, sancto ferventes Spiritu, qui eos omnium execratione damnatos, Mediolanensi ex urbe quasi profugos repulerunt.

XIV. Itaque Jovinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Plotinum, Genialem, Martianum, Januarium, et Ingeniosum, quos Sanctitas Tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos. Incolumem te et florentissimum Deus noster tueatur omnipotens, Domine dilectissime frater.

Item subscriptio.

Eventius episcopus saluto Sanctitatem Tuam in Domino, et huic epistolæ subscripsi.

Maximus episcopus.

Felix episcopus.

Bassianus episcopus.

Theodorus episcopus.

Constantius episcopus.

Ex jussu Domini episcopi Geminiani, ipso præsente, Aper presbyter subscripsi.

Eustasius episcopus, et omnes Ordines subscripserunt.

EPISTOLA XLIII [1].

Horontiano roganti cur homo rebus aliis, quibus longe præcellit, conditus fuerit posterior, nec rei hujus vel Ambrosius ipse vel Moyses rationem deprompserit; ubi respondit Moysen conjecturas suas miscere noluisse libris divinis, addit se congruas causas propositurum. Utitur ergo exemplo convivii, quod hominis causa sit paratum : deinde certaminis, cujus homo athleta futurus varias pugnas inire debeat : demum id in more esse prædicat, ut præstantissima in principio et fine collocentur; unde cum cœlum primo loco creatum sit, hominem ultimo creari docuerit. Hujus cum cœlo comparatio, postquam dotes eidem concessæ aperiuntur, nec non ipsius in elementa et bestias imperium: ex quibus alias creaturas congrue præmissas elicitur.

Ambrosius Horontiano.

I. Moveri te insinuasti mihi [2], lecto Hexaemero, quod ipse scripsi, quia cum tantum divinæ Scripturæ serie, vel stylo sermonis mei collatum adverteres homini, quantum nulli in hac terra animantium, prius omnia vel volatilia, vel terrestria, vel quæ in aquis sunt, produxerit terra vel aqua, quam homo, propter quem illa creata sunt, generaretur [3]; ejusque rei rationem de me requirere, quam et Moyses siluerit, et ego non auserim attingere.

[1] Scripta circa ann. 389.— [2] Vide D. Guillon, tom. IX, p. 377 et 378.— [3] Gen. I, 26, et seqq.

II. Et forte ille oraculi interpres divini, consilio conticuerit; ne cœlestis dispositionis arbitrum se et consiliarium præstare videretur; aliud est enim loqui quod infundebatur a Dei spiritu, aliud voluntatem Dei interpretari : nos autem non quasi interpretes Dei, sed quasi ex usu humano rationis seminaria colligentes, æstimamus posse nos ex eo quod humano usui in cæteris rebus ipse Dominus infuderit, opinari quoniam decuit hominem postremum creari.

III. Etenim qui convivium adornat, ut ille Evangelicus dives (oporter enim divina divinis conferamus, quo melius colligere possimus) utique omnia prius præparat, tauros et saginata occidit, et tunc amicos ad cœnam invitat[1]. Prius ergo quæ leviora sunt, parantur, et tunc rogatur honoratior. Unde et Dominus homini ante animalium cæterorum præparavit epulas, tunc ipsum quasi amicum ad suum vocavit convivium ; et vere amicum, quasi charitatis divinæ participem, et hæredem gloriæ. Denique ipsi dicit : « Amice, quomodo huc venisti ad nuptias[2] ? » Præcedentia ergo, ministeria sunt; amicus, qui postremus rogatur.

IV. Accipe aliud. Quid est mundus, nisi quidam agon plenus certaminum ? Unde et in Apocalypsi Dominus ait: « Vincenti dabo coronam vitæ[3]; » et Paulus ait : « Certamen bonum certavi[4]; » et alibi : « Nemo nisi qui legitime » certaverit coronatur[5]. » Hujus agonis instaurator utique omnipotens Deus est. Qui igitur agonem suscipit in hoc sæculo, nonne omnia præparat, quæ agoni sunt necessaria : et tunc athletas vocat, paratis præmiorum infulis, certaturos ad coronam ; ne moram patiatur qui vicerit, sed præmio donatus recedat ? Præmia ergo hominis terra-

[1] Luc. XIV, 16, et seqq. — [2] Matth. XXII, 12. — [3] Apoc. II, 10. — [4] 2 Tim. IV, 7. — [5] Id. II, 5.

rum fructus sunt, et cœli lumina : illa ad vitæ præsentis usum, hæc ad spem vitæ æternæ.

V. Quasi athleta igitur postremus ingreditur in agonem; erigit ad cœlum oculos, videt quia et cœlestis creatura vanitati subjecta est non sponte, sed propter eum qui subjecit mae in spe[1]. Videt quia omnis creatura congemiscit, expectans redemptionem. Videt quia omnis manet labor. Erigit oculos, videt coronas luminum (9), lunæ et stellarum globos considerat : « Quoniam justi, qui vicerint, erunt sicut » stellæ in cœlo[2]. » Et castigat corpus suum, ne sibi adversetur in certamine : ungit oleo misericordiæ, exercet diurna virtutis palæstra, pulvere se oblinit, stadii metam currit non quasi incertum, ictus dirigit, lacertos excutit, sed non in vacuum : percutit adversarium, quem non videt; quia illum solum attendit, cui cedunt omnes, etiam qui non videntur, in cujus nomine potestates aëriæ divertebantur. Ille ergo ictum librat, et Christus percutit: ille calcem levat, et Christus in vulnus dirigit. Denique etsi non videbat Paulus quos cæderet, non quasi aëra tamen cædebat[3]; quia in Christi prædicatione omnes spiritales nequitias, quæ sibi adversabantur, convulnerabat. Non immerito ergo postremus homo ingressus est stadium, cui parabatur corona; ut eum præcederet cœlum; quasi sui præmium.

VI. Sed non solum adversus nequitiæ spiritalia, quæ sunt in cœlestibus; sed etiam adversus carnem et sanguinem lucta nobis[4]. Lucta adversus satietatem, lucta cum ipsis frugibus terræ, lucta cum vino, quo etiam vir justus inebriatus est[5], quo etiam integer Judæorum exercitus supplantatus est[6] : lucta cum feris bestiis, lucta cum volatilibus cœli, quibus caro saginata non redigitur in servitu-

[1] Rom. VIII, 20. — [2] Dan. XII, 3. — [3] 1 Cor. IX, 26. — [4] Ephes. VI, 12 — [5] Gen. IX, 21. — [6] Exod. XXXII, 6.

tem : lucta cum periculis itinerum, periculis fluminum, ut ait Paulus[1] : lucta cum virgultis arborum, quibus cædebantur Apostoli. Vides[2] quanta certamina. Terra ergo exercitium est hominis (10), cœlum corona. Aut quasi amicum igitur præcedere debuerunt ministeria, aut quasi athletam præmia.

VII. Specta aliud. In omnibus rebus præstantiora sunt principia et finis. Si domum consideres, potiora omnibus fundamenta et culmina : si agrum, satio et messis, plantatio et vindemia. Quam jucunda insitiva arborum, quam fructus votivi! Ita ergo et cœlum primo est conditum, novissimus homo, quasi quædam cœlestis in terra creatura. Nam etsi corpore cum bestiis confertur, animo tamen cœlestibus annumeratur; sicut enim portavimus imaginem terreni, ita portamus et imaginem cœlestis[3]. Quomodo non cœlestis, qui ad imaginem et similitudinem factus est Dei[4]?

VIII. Recte ergo in constitutione mundi primum cœlum et novissimum cœlum, in quo quod ultra cœlum est, Deus cœli est. Denique de eo magis accipitur : « Cœlum » mihi thronus[5]; » non enim Deus supra elementum sedet, sed in corde hominis. Unde et Dominus ait : « Veniemus ad » eum, et mansionem apud eum faciemus[6]. » Principium ergo operis mundani cœlum, finis homo.

IX. Cœlum de mundo, homo supra mundum : illud enim mundi portio, iste paradisi incola, Christi possessio. Cœlum incorruptibile putatur, et præterit; homo corruptibilis habetur, et incorruptionem induit : illius figura perit, iste quasi immortalis resurgit; utrumque tamen manus Domini fecerunt secundum Scripturæ auctoritatem. Sicut enim de cœlis legimus : « Et opera manuum tuarum

[1] 2 Cor. XI, 29. — [2] Act. XVI, 22. — [3] 1 Cor. XV, 49. — [4] Gen. I, 26.— [5] Isaï. LXVI, 1. — [6] Joan. XIV, 23.

» sunt cœli[1]; » ita et homo dicit : « Manus tuæ fecerunt me, » et plasmaverunt me[2]; » similiter quoque : « Cœli enarrant » Dei gloriam[3]; » et ut cœlum stellarum fulget splendoribus, a et homines meritorum luminibus micant, quorum opera coram Patre suo lucent, qui est in cœlis[4]. Firmamentum cœli supernum illud, hoc quoque non dissimile firmamentum, de quo dictum est : « Super hanc Petram » ædificabo Ecclesiam meam[5] : » illud firmamentum elementorum, hoc virtutum. Jam illud præstantius : suxerunt oleum de firma petra[6]; petra enim caro Christi[7], quæ cœlum et totum mundum redemit.

X. Quid illa attexam, et quasi toto stadio te urgeam, quod hominem Deus divinæ fecit consortem naturæ, sicut in Epistola Petri legimus[8]? Unde non immerito quidam ait : « Cujus et genus sumus[9]; » dedit enim nobis de cognatione sua, et rationabilis scilicet naturæ, ut quæramus illud divinum, quod non longe est ab unoquoque nostrum, « In quo et vivimus et sumus et movemur[10]. »

XI. Cum itaque contulisset homini quod est gratiarum maximum, quasi charissimo et domestico animanti concessit ea, quæ in hoc mundo sunt omnia[11]; ut nullius indigeret, quod esset necessarium vel ad vitam, vel ad bonam vitam. Quorum alia ministraret abundantia copiarum terrestrium ad voluptatis perfunctionem : alia cognitio secretorum cœlestium, quæ mentem inflammaret hominis amore et desiderio disciplinarum, per quas ad sublime illud divinorum penetralium possimus pervenire. Utrumque igitur præstantissimum, ut et subjectas haberet omnes mundi opes, omnia volatilia, terrestria, etiam pisces, et usum maris, tanquam rex elementorum, ac sine labore, sine

[1] Psal. CI, 26. — [2] Id. CXVIII, 73. — [3] Id. XVIII, 2. — [4] Matth. V, 16. — [5] Id. XVI. 18. — [6] Deut. XXXII, 13. — [7] 1 Cor. X, 4. — [8] 2 Petr. I, 4. — [9] Act. XVII, 28. — [10] Ibid. — [11] Gen. I, 28.

indigentia ad imitationem et similitudinem venerandi auctoris abundaret omnibus, atque in summa degeret copia, et vias sibi aperiret, gradusque admoveret, per quos ad cœli ascendat regiam.

XII. Cujus difficilis itineris viatorem facile reperies illum virum, qui ita sit animi inductione formatus ac voluntate, ut minima sibi cum suo corpore sit familiaritas, neque in ullum ingrediatur vitiorum contubernium, nullis assentantium pumicetur sermonibus (11) : neque in rotis secundorum temporum positus, humiles fastdiat, mœsta fugiat, sanctorum laudes excutiat atque elevet, neque gloriæ ardore aut pecuniæ præsumptæ, spei omnem exurat cupiditatem. Cujus animum non inflectat mœstitia, non frangat injuria, nulla sollicitet suspicio, libido non excitet, non expugnent passiones corporis, non inquietet vanitatum appetentia, voluptatum gratia. Jam si adjungas virtutes, castimoniam, sobrietatem, ac temperantiam, facile refrenare potens sit immoderatos impetus lævium passionum, mensuramque imponat delectationibus suis et cupiditatibus, æquitate ambigua distinguat, tranquillitate mentis dubia componat, et velut compositis omnibus corporis et mentis jurgiis, quasi bonus arbiter inoffensam teneat exterioris hominis atque interioris concordiam, placidans eos in semetipso, ac si causa exigat, nullus eum malus consiliarius revocet metu a passionis corona ; is plane non solum quasi amicus, sed etiam quasi filius assumetur a patre, ut divitias gloriæ et hæreditatis ejus adipiscatur.

XIII. Merito ergo postremus, quasi finis naturæ formatus ad justitiam, inter cætera animantia justi arbiter. Et si licet exemplum arcessere, sicut inter homines finis legis est Christus ad justitiam omni credenti[1], et nos tanquam jumenta contemplatione Domini; sic enim Propheta ait: «Κτην-

[1] Rom. x, 4.

» νώδης ἐγενήθην παρὰ σοι, id est, jumentum æstimatus sum » apud te[1]. » Et quæ tamen comparatio, cum ille pereuntes redemerit, nos immolemus? ille servos ad libertatem vocaverit, nos liberis irrogemus captivitatem? sed quis similis Deo[2]?

XIV. Processit tamen postremus creaturarum omnium homo, specie gratus, mente sublimis; ut omni esset creaturæ miraculo. In quo ad similitudinem æterni Dei νοῦς esset invisibilis, humana specie amictus. Hic est νοῦς animæ vigor, principatum animæ et corporis sibi quasi rector vindicans. Quem etiamsi non vident animalia cætera, tamen reformidant; sicut nos Deum, quem non videmus, timemus; et eo plus metuimus, quia non videmus.

XV. Namque ut ad imaginem ejus et similitudinem[3], sicut scriptum est, præsumamus dicere, cum ille se fundat majestatis suæ plenitudine, et videat omnia, cœlum, aërem, terram, mare, complectens universa, et penetrans per singula; ut cum nihil prætereat, et nihil sit quod non consistat in eo, atque ex ipso pendeat, et ipsius plenum sit, sicut ipse ait: « Cœlum et terram ego compleo, dicit » Dominus[4]: » ita νοῦς hominis videt omnia, et non videtur, habens sui invisibilem substantiam: disciplinis et consiliis ac sensibus comprehendit latentia, penetrat occulta maris, atque omnium diffusa terrarum latibula, utriusque scrutator naturæ ad similitudinem Dei summi, quem imitatur et sequitur, cujus imago pro exiguis portionibus in singulis figuratur: elevans quoque se in aërem, et ejus nubilosa prætergrediens, ad cœli alta se dirigit studio cognitionis, et ardore sapientiæ; ubi paulisper stupefactus admiratione stellarum cœlestium, et luminum delectatus claritate; prospiciens desuper mundana ista, conferens

[1] Psal. LXXII, 23. — [2] Id. LXXXVIII, 9. — [3] Gen. I, 26. — [4] Jerem. XXIII, 24.

quoque se ad Hesperum atque Arcturum, et cæteros illos ἀ πλανεῖςπλανήτας, et videns quod inoffensus ille sit error, quem sine errore, quo magis omnia obeant, intexere atque oberrare videantur; majore se cupiditate attollit ad ipsum gremium Patris, in quo est unigenitus Dei Filius enarrans secreta Dei[1], et facie ad faciem postea revelanda. Nunc tamen quibus dignatur, ex parte demonstrat, atque in ænigmate, simulque de Spiritu et vultu suo splendorem luminis, more torrentis effundit; ut eo illuminatus dicat: « Et erat » ignis flammigerans in ossibus meis, et dissolutus sum » undique, et ferre non possum[2]. » Et David ait: « De vultu » tuo judicium meum prodeat[3]. »

XVI. Hoc igitur mentis vigore, ut revertar unde digressus sum, quo et externa subigit, et separata et distantia videt, et validiora viribus animalia subjicit, tantam cæteris venerationem sui infudit; ut certatim quasi regi obediant, voci ejus obsecundent. Et cum sint irrationabilia, rationem agnoscant, et disciplinam eam imprimant, quam natura non tribuit. Denique videntes feræ ejus mansuetudinem, ejus imperio mansuescunt. Sæpe suspenderunt morsus suos, revocante sono vocis humanæ. Videmus innoxio canum dente lepores sine vulnere capi: leones quoque ipsos, si vox hominis resultaverit, prædam dimittere: pardos atque ursos incitari ac revocari vocibus: equos plausu hominum fremere, silentio mollire cursum: denique sæpe sine verbere prætereunt verberatos, ita vehementius illos incitat linguæ flagellum.

XVII. Quid vero de muneribus loquar? Nutrit aries vellera, ut placeat homini: atque in fluvio mersatur, ut nitorem augeat. Oves quoque meliora pabula legunt, ut suaviore succo lactis fœta distendant ubera: subeunt partus dolores, ut homini sua munera ferant. Tauri depresso

[1] Joan. I, 18. — [2] Jerem. XX, 9. — [3] Psal. XVI, 2.

sulcis per totum diem aratro gemunt. Cameli præter subeundi oneris obsequia, tondendos se exhibent, ut arietes: quo velut regi diversa animalia tributum suum conferant, pendantque vectigal annuum. Equus tanto se jactans equite, glomerat gressus superbos, atque ad Domini ascendum dorsa sinuatus, herili terga substernit sedili. Sed ne forte adhuc moveat quod novissimus homo factus sit, idem equus nos doceat non ad contemptionem referendum esse, sed honorem. Portat posteriorem suum, nec despicit, sed reformidat, et per diversa eum suo circumfert labore. Uno momento homo longinqua obit, circumerrat distantia, tum equis singularibus, tum quadrigis triumphalibus.

XVIII. Et quoniam triumphales memoravi quadrigas, necesse est attexam iis currus Eliæ, quibus per aëra vectus est, elephantorum, quibus homo victor assistens, cum sit postremus, priores regit[1]. Sic quoque gubernator navis in puppi sedet, et totam navem gubernat. Unde puto illud non otiosum esse in Evangelio, quod Dominus Jesus in puppi dormiebat[2]: denique excitatus imperavit vento et mari, et sedavit tempestatem, ostendens ideo se novissimum venisse, quia gubernator venerit. Unde Apostolus ait: « Factus est primus homo Adam in animam » viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. » Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale, » deinde quod spiritale; » et addidit: « Primus homo de » terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis[3]. »

XIX. Recte ergo novissimus quasi totius summa operis, quasi causa mundi, propter quem facta sunt omnia; quasi omnium habitator elementorum inter feras vivit, cum piscibus natat, super aves volat, conversatur cum Angelis, terram inhabitat, et cœlo militat, sulcat mare,

[1] 4 Reg. II, 11. — [2] Matth. VIII, 24. — [3] 1 Cor. XV, 45-47.

aëre pascitur, cultor soli, viator profundi, piscator in fluctibus, in aëre auceps, in cœlo hæres, Christi cohæres[1]. Hæc secundum industriam.

XX. Accipe etiam quod supra hominis substantiam. Moyses in imo ambulavit mari[2], in summo Apostoli[3]. Habacuc sine pennis volavit[4]. Elias in terra vicit, et in cœlo triumphavit[5]. Vale, fili, et nos dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA XLIV[6].

Moysen, quæ inter Deum ac mundum distinctio sit, recte indicasse; cum illum impassibilem atque invisibilem, hunc corruptibilem corporeumque significavit. Sex dies orbis creationi non eo attribui, quod tempore Deus indigeat, sed ut dispositio exprimeretur. Declaratur septenarii dignitas, cui tamen octonarius antefertur, utpote qui sit Novi Testamenti numerus, ut ille Veteris. Exponitur in hanc rem Oseæ locus, et continuata ejusdem ogdoadis commendatione, in laudes fœderis novi desinit epistola.

Ambrosius Horontiano.

I. Divisionem egregie advertisti propheticam, vel potius divinam; non enim sua Moyses, sed infusa et revelata sibi scripsit[7], ea præcipue quæ sunt de constitutione mundi : quæ divisio operatorem atque opera distinxit.

[1] Rom. viii, 17. — [2] Exod. xiv, 29. — [3] Joan. xxi, 8. — [4] Dan. xiv, 35. — [5] 4 Reg. ii, 11. — [6] Scripta circa ann. 389. — [7] Gen. i, 1, et seqq.

Nam cum aliud impassibile esset, aliud passionis receptabile; quod erat impassibile, ad Deum operatorem retulit : quod autem passibile sine anima, sine motu proprio, motum et animam et figuram a Creatore accipiens suo, deputavit huic mundo. Quem factum non oportuit sine gubernatore, et quodam patre indefensum relinqui. Et ideo invisibilem Deum visibilis hujus mundi rectorem esse et quasi tutorem apertissime describit. Quod ergo invisibile, sempiternum : quod autem videtur, temporale[1].

II. Sex itaque diebus factum mundum exprimit, non quod Deus tempore indiguerit ad constitutionem ejus cui intra momentum suppetit facere, quæ velit (« dixit enim, » et facta sunt[2] ») sed quia ea quæ fiunt, ordinem quærunt : ordo autem et tempus et numerum plerumque exigit. Illud quoque præcipue, quoniam nobis ad operandum formam daturus, numerum dierum servavit et tempora : nos enim tempore indigemus, ut aliquid maturius agamus; ne præcipitemus consilia atque opera nostra, ne ordinem prætermittamus. Cum enim Deum legimus, ut Scriptura ostendit, cum sapientia et quodam consilio et dispositione omnia fecisse et ordine[3]; consentaneum est rationi, ut primo cœlum faceret, quod est pulcherrimum : oportet ut eo primum oculos erigamus, illo nobis contendendum esse arbitremur, illam sedem terrenis omnibus præferendam putemus.

III. Sex itaque diebus mundum creavit, septimo die requievit ab operibus suis[4]. Bonus septimus numerus, quem non Pythagorico (12) et cæterorum philosophorum more tractamus, sed secundum formam, et divisiones gratiæ spiritalis; septem enim virtutes principales sancti Spiritus propheta Esaïas complexus est[5]. Hæc hebdomas,

[1] 2 Cor. IV, 18. — [2] Psal. CXLVIII, 5. — [3] Id. CIII, 24. — [4] Gen. II, 2. — [5] Isaï. XI, 2.

sicut ipsa Patris et Filii et Spiritus sancti venerabilis Trinitas, sine tempore, sine ordine, auctor numeri, non sub numeri lege devincta. Itaque sicut ad æternæ Trinitatis gratiam cœlum, terra, maria formata; sicut sol, luna et stellæ: ita etiam ad illum septenarium virtutum spiritalium circuitum atque orbem operationis divinæ vigore præstantem, septenarium quoddam ministerium planetarum creatum advertimus, quo hic mundus illuminatur. Quarum concurrere fertur militia ad earum numerum, quas inerrabiles ferunt stellas, et ut Græci dicunt ἀπλανεῖς. Septemptrio quoque inde latine nomen accepit, quod septem in eo fulgor stellarum irradiet, in quem maxime gubernatores, quasi ducem feruntur intendere.

IV. Descendit hæc de cœlo in terras prærogativa: nam ut transeam septiformem capitis nostri gratiam, in oculis duobus, auribus et naribus binis, ore quoque per quod magnam suavitatem percipimus; quantum istud miraculi, quod septimo mense in plerisque origo legitima formatur (13), et qui fuerit editus, vitalis generationis curricula sortitur? Octavo autem mense interdicta naturali lege pariendi cernimus tempora, ac si forte lethalis necessitas partus claustra laxaverit, periculum pariter generantis properetur et pignoris.

V. Sed tamen ille septimanus, etsi bene nascatur, ad labores nascitur: qui autem octavo die regenerationis sortitur mysteria, consecratur per gratiam, et ad hæreditatem regni cœlestis vocatur. Magna in virtutibus Spiritus sancti hebdomadis gratia, eadem tamen hebdomadam sonat, ogdoadem consecrat. In illa sonus, in ista fructus est; ideoque octavo die soluta paradiso reddidit Spiritus gratia, quos extorres sua fecerat culpa.

VI. Novit ogdoaden istam, quam octavam latine dicimus, Vetus Testamentum; siquidem ait Ecclesiastes:

« Da partem illis septem, et illis quidem octo[1]. » Hebdomas Veteris Testamenti est, octava Novi, quando Christus resurrexit, et dies omnibus novæ salutis illuxit. Ille dies, de quo ait Propheta : « Hic dies, quem fecit Dominus, exultemus et lætemur in eo[2]; » quo die se fulgor plenæ atque perfectæ circumcisionis humanis pectoribus infudit. Propterea et Vetus Testamentum dedit partem octavæ in circumcisionis solemnitate. Sed illa adhuc in umbra latebat : venit Sol justitiæ[3], et consummatione passionis propriæ revelavit sui luminis radios : quos retexit omnibus, et vitæ claritatem aperuit æternæ.

VII. Isti ergo sunt septem et octo, de quibus et Osee dicit quod eo numero conduxerit sibi, et acquisierit fidei plenitudinem; sic enim habes : « Et abii, et conduxi mihi » quindecim argenteis, et coro hordei, et semicoro hordei, » et nevel vini[4]. » Conducendam autem ei meretricem Dominus præceperat in superioribus : itaque manifestum est quod conduxit eam, qui etiam mercedis quantitatem expressit. Quindecim autem argentei ex septem et octo constant : hebdomadam itaque et octavam significant. Duorum igitur Testamentorum, id est, plenæ fidei pretio Prophetia consummationem accepit fidei, Ecclesia plenitudinem; primo enim Testamento Israël acquisitus est populus, secundo nationum et gentium. Fide ergo plena conducitur meretrix, vel ex gentibus copulam sui quærens, vel ex adultero Judæorum populo, qui dominum suum et auctorem virginalis fidei dereliquerat, conventus suos totius orbis spatio diffundens.

VIII. Quod autem dixit : « In coro et in semicoro hor» dei; » in coro mensuræ plenitudo est, in semicoro semiplena mensura. Plenitudo in Evangelio, semiperfectio in Lege; sicut legimus, dicente Domino : « Non veni Legem

[1] Eccle. XI, 2. — [2] Psal. CXVII, 24. — [3] Malac. IV, 2. — [4] Osee. III, 2.

»solvere, sed implere[1].» Et alibi, habemus dicente Domino per Michæam prophetam, quia «Tunc pax erit in »terra Israël, cum venerit Assyrius in terram ejus, et in»surrexerunt in eum septem pastores, et octo morsus »hominum[2].» Tunc enim plena pax est fideli populo ab omnibus tentationibus et vanitatibus absoluto, cum mundi hujus vanitatem excluserint de cordibus nostris pax et gratia : pax Veteris, gratia Novi Testamenti.

IX. Septem pastores præcepta Legis sunt, quibus grex adhuc quasi irrationabilis in virga Moysi per desertum ductus et gubernatus est[3]. Octo morsus hominum mandata Evangelii et Dominici oris alloquia : «Corde enim »creditur ad justitiam, ore autem confession fit ad salu»tem[4].» Boni morsus, per quos vitæ æternæ munus gustavimus, peccatorum remissionem in Christi corpore devorantes. In Veteri Testamento amarus morsus est mortis, propterea dictum est : «Devoravit mors præva»lens[5].» In Novo Testamento suavis morsus est vitæ, quæ mortem absorbuit, propterea Apostolus ait : «Devo»rata est mors in victoria sua. Ubi est, mors, victoria tua? »ubi est, mors, aculeus tuus[6]?»

X. Atque ut Apostolicis utamur testimoniis, ubi hominem fecit Deus, requievit ab omnibus operibus suis in die septima[7]. Sed quia populus Judæorum per contumaciam contempsit mandata Dei sui, ait Dominus : «Si introibunt »in requiem meam[8].» Et ideo aliam Deus præfinivit diem, de qua dicit : «Hodie si vocem meam audieritis[9].» Duos enim dies comprehendit Scriptura generales, heri et hodie; de quibus dicit : «Imitamini fidem Jesu Christi. »Heri et hodie ipse est, et in sæcula[10].» In superiore die

[1] Matth. v, 17. — [2] Mich. v, 5. — [3] Exod. iv, 20. — [4] Rom. x, 10. — [5] Isaï. xxv, 8. — [6] 1 Cor. xv, 54, 55. — [7] Gen. ii, 2. — [8] Hebr. iv, 3. — [9] Psal. xciv, 8. — [10] Hebr. xiii, 7, 8.

promissio est, in consequenti solutio. Sed quia hesterna die neque Moyses, neque Jesus Nave populum induxit in requiem; hodierna die Christus induxit, cui dixit Pater: « Ego hodie genui te[1]; » per suam enim resurrectionem Jesus populo requiem comparavit. Requies nostra Dominus est Jesus, qui ait: « Hodie mecum eris in paradiso[2]. » Requies enim in cœlo, non in terra est.

XI. Quid igitur opus est ut explorem ortus signorum atque obitus, quorum ad exortum duris inaratæ vomeribus findantur novales, vel ad occasum læta messis recumbat? Una mihi stella abundat pro omnibus, stella splendida et matutina[3]: cujus ad exortum seminata est non frugum, sed Martyrum seges; quando Rachel ploravit filios suos[4], ut lacrymis ablutos suis, pro Christo offerret infantulos. Cujus stellæ obitus non cremiorum insensibilium, sed spirantium defunctorum triumphales manipulos de tumulis resuscitavit.

XII. Celebretur itaque hebdomas, eo quod per septem ætatum cursus vita hominum usque ad senectutem transcurritur, sicut Hippocrates medicinæ magister scriptis explicuit suis. Prima ætas infantia est, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta juventus, quinta virilis ætas, sexta ævi maturitas, septima senectus. Est ergo infans, puer, adolescens, juvenis, vir, veteranus, senex.

XIII. Solon autem decem fecit ætatum ordines per annos septenos; ita ut prima ætas infantiæ usque ad emis sionem sit dentium, quibus conficiat cibum, sermonemque distinguat, ut possit effabilis videri: pueritia quoque usque ad annos pubertatis procedit, et genitalia tentamenta: adolescentia usque ad barbæ lanuginem: juventas usque ad perfectæ virtutis processum: quinta

[1] Psal. II, 7. — [2] Luc. XXIII, 43. — [3] Apoc. XXII, 16. — [4] Jerem. XXXI, 15.

ætas virilis est, apta copulis conjugalibus per totam hebdomadam : sexta quoque hebdomas virili deputatur ætati, et ad prudentiæ processum habili, et ad agendum strenuæ : septima quoque hebdomas, et octava ævi maturum, et sensu vigentem, et sermonem item non insuavis alloquii gratia præditum produnt : nona hebdomas reliquias adhuc habet aliquas virium, lingua ac sapientia mollior : decima vero hebdomas mensuram implet, ad quam is qui pervenire potuerit, non immaturo temporum cursu pulsabit mortis sera vestibula.

XIV. Ergo Hippocrates et Solon vel septem ætates, vel hebdomadas ætatum norunt. In illis se hebdomas præferat : octava autem unam et perpetuam ætatem invehit, qua excrescimus in virum perfectum ; in agnitione Dei[1], fidei plenitudine, in qua legitimæ ætatis mensura impletur.

XV. Est etiam in visceribus nostris hebdomadis explorata gratia; ferunt enim septem quoque esse in nobis interiora viscera, stomachum, cor, pulmonem, lien, hepar, renes duos. Septem quoque exteriora, caput, posteriora, ventrem, binas manus, et binos pedes.

XVI. Præstantissima hæc, sed obnoxia dolori. Quis autem dubitet majus esse octavæ munus, quæ totum renovavit hominem, ut jam nihil possit dolere? Itaque septima mundi ætas conclusa est, octava illuxit gratia, quæ fecit hominem jam non hujus mundi esse, sed supra mundum. Jam enim non vitam nostram, sed Christum vivimus : « Nobis enim vivere Christus, et mori lucrum. » Itaque jam non in carne, sed in fide vivimus Christi[2]. » Apostolus dicit : « Unde colligimus quia conclusus est » mundi dies[3]. » Denique novissima hora venit Dominus Jesus, et pro nobis mortuus est, et omnes in illo mortui

[1] Ephes. IV, 13. — [2] Philip. I, 21. — [3] Galat. II, 20.

sumus, ut vivamus Deo [1]. Non ergo nos qui eramus, vivimus : sed vivit Christus in nobis [2].

XVII. Abiit ergo hebdomas, venit octava. Abiit heri, venit hodie : illud hodie quod promissum est, quo admoniti sumus vocem Dei audiendam et sequendam. Abiit ergo ille dies Testamenti Veteris, venit dies novus, quo Testamentum consummatum est Novum, de quo dicit : « Ecce » dies veniunt, dicit Dominus, et confirmabo domui Israël » et domui Juda Testamentum Novum : non secundum Tes» tamentum, quod feci patribus illorum in die, qua ap» prehendi manum ipsorum educere illos de terra Ægypti[3]. » Et qua ratione mutatum sit Testamentum adjicit : « Quo» niam ipsi non manserunt, inquit, in Testamento meo, » et ego neglexi eos, dicit Dominus [4]. »

XVIII. Abierunt sacerdotes Legis, Legis tribunalia [5] : accedamus ad sacerdotem novum, ad sedem gratiæ, visitatorem animarum nostrarum, sacerdotem non secundum Legem mandati carnalis creatum, sed secundum virtutem infatigabilis electum [6]. Non enim ipse sibi honorem præripuit, sed electus ad Patre est [7], sicut ipse Pater ait : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Mel» chisedech [8]. » Novus ergo sacerdos videmus quid obtulerit. Alii sacerdotes pro se offerebant, et pro populo suo : hic quia non habuit peccatum, ut pro se offerret, pro universo mundo se obtulit, et per sanguinem suum intravit in sancta.

XIX. Hic est ergo sacerdos novus, et nova hostia non ex Lege, sed supra Legem ; advocatus mundi, lux sæculi, qui dixit : Ecce venio, et venit [9]. Ad quem accedamus in abundantia fidei adorantes et obsecrantes et sperantes in

[1] 1 Joan. VIII, 18.— [2] 2 Cor. v, 15. — [3] Hebr. VIII, 8. — [4] Ibid. 9. — [5] Hebr. IV, 14. — [6] Id. VII, 16. — [7] Id. v, 4. — [8] Psal. CIX, 4, et Hebr. VII, 17. — [9] Apoc. XXII, 7.

eum, quem non videmus oculis, sed affectu tenemus: cui est omnis honor semper et gloria. Vale, fili, et nos dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA XLV [1].

Sabino sciscitanti an de paradiso scripsisset Ambrosius, quæve ipsius de illo esset sententia, respondet; leviterque perstricta secundum historiam loci descriptione, ad mysticam transit expositionem. Itaque ubi docuit in principali animæ portione paradisum esse, quid per ea quæ illic extiterunt, significetur; quidve in serpente homines imitentur edocet; et quanta sit humana infirmitas, quantave in eum Dei charitas semper fuerit, declarato, nos ad fugiendam sensuum delectationem hortatur.

Ambrosius Sabino.

I. Lecto Hexaëmero [2], utrum paradisum subtexuerim, requirendum putasti, et quam de eo haberem sententiam, significandum, idque velle te studiose cognoscere. Ego autem jam dudum de eo scripsi, nondum veteranus sacerdos.

II. Sententias autem de eo diversas esse plurimorum comperi. Nam Josephus, ut pote historiographus locum dicit refertum arboribus virgultisque plurimis, irrigari etiam flumine, quod dividatur in quatuor fluvios [3]. Col-

[1] Scripta circa ann. 389. — [2] Vide D. Guillon, tom. IX, p. 379. — [3] Joseph. lib. I. Antiq. c. 2.

lecta etenim in unum congregatione aquarum, non se penitus exinanivit terra, et fraudavit irriguis suis : sed hodieque in fontes prorumpit, et deducit meatus fluminum, quibus pignora sua quasi pia mater, plenis lactat uberibus.

III. Alii alias, omnes tamen congruunt in paradiso, et lignum vitæ radicatum, et lignum scientiæ [1], quæ discernat bonum et malum, cætera quoque ligna plena vigoris, plena vivificationis, spirantia, et rationabilia. Ex quibus colligitur paradisum ipsum non terrenum videri posse, non in solo aliquo, sed in nostro principali, quod animatur et vivificatur animæ virtutibus, et infusione Spiritus Dei.

IV. Denique Salomon in spiritu paradisum in homine esse evidenter declaravit. Et quia mysteria exprimit vel animæ et Verbi, vel Christi et Ecclesiæ, ideo ait de virgine anima, vel Ecclesia quam volebat virginem castam assignare Christo[2] : « Paradisus clausus, soror mea sponsa, » paradisus clausus, fons signatus [3]. »

V. Paradisus græce, latine hortus dicitur. Denique Susanna in paradiso erat[4], et sic legitur latine. Et Adam in paradiso erat[5], et sic legimus. Ergo non te moveat quod alii codices latini hortum habent, alii paradisum.

VI. Ibi ergo est casta uxor, ubi virgo. Licet virgo excepta habeat claustra et signacula sua, sed utraque in paradiso ; ut adversum æstus corporis et carnis flagrantiam refrigeretur virtutum umbraculis.

VII. Ergo paradisus in principali nostro est, sylvescens plurimarum opinionum plantariis : in quo principaliter lignum vitæ constituit Deus, id est, pietatis radicem ; ea

[1] Gen. II, 9. — [2] 2 Cor. XI, 2. — [3] Cant. IV, 12. — [4] Dan. XIII, 7. — [5] Gen. II, 8.

est enim vitæ nostræ substantia, si Domino et Deo nostro debitos cultus deferamus.

VIII. Constituit etiam scientiæ boni et mali seminarium; homo enim solus in cæteris animantibus terrenis habet scientiam boni et mali. Alia quoque illic plantaria diversa, quorum fructus virtutes sunt.

IX. Sed quia scientiæ capax hominis affectus cognitus est Deo, quod citius ad astutiam inclinaretur, quam ad summum prudentiæ (neque enim judicem, qui fines certos in anima nostra constituit, operis sui qualitas latere poterat) eliminare voluit astutiam de paradiso, quasi providus auctor nostræ salutis, et vitæ studium, et disciplinam pietatis infundere; ideoque præcepit homini ab omni ligno, quod est in paradiso, esse gustandum, de ligno autem scientiæ boni et mali non esse gustandum[1].

X. Sed quia creatura omnis passioni obnoxia, ideo delectatio, sicut serpentino illapsu, humanis irrepsit affectibus. Itaque non immerito sanctus Moyses delectationem serpentis figuravit similitudine; prona est enim in ventrem sicut serpens, non pedibus incedens, aut ullis elevata cruribus, sed sinuoso flexu totius velut corporis sui lubrica. Ei terra cibus est, sicut serpenti, quoniam escam nescit cœlestem; corporalibus enim pascitur, atque in varias mutatur species cupiditatum, et tortuosis angulatur anfractibus (14). Venenum id dentibus habet, quibus unusquisque se eviscerat luxuriosus, helluo internecat, abliguritor perimit. Quantos ruperunt vina, dissolvit ebrietas, distendit cruditas?

XI. Nunc intelligo qua causa Dominus Deus insufflavit in faciem hominis: ibi enim sensus omnis, ibi sedes atque illecebra delectationis, in oculis, auribus, naribus, atque in ore; ut sensus nostros adversus delectationem fortiores

[1] Gen. III, 2, 3.

faceret. Hæc ergo nobis, sicut serpens astutiam infudit[1]; non enim delectatio, sed labor et diuturna meditatio cum Dei gratia dat perfectam prudentiam.

XII. Tamen quia serpentis fraudibus involuta est humani generis hæreditas, in eo astutiam serpentis sequamur; ut caput nostrum non projiciamus in pericula, sed præ cæteris integrum custodiamus : « Caput autem nos» trum Christus est[2]. » Hoc maneat incolume, ut serpentis venena nobis non possint nocere : « Bona est enim sa» pientia cum hæreditate[3], » id est, cum fide; quoniam est hæreditas credentibus in Domino.

XIII. Quod si primus ille homo, qui cum Deo loquebatur in paradiso positus[4], labi tam facile potuit, ex terra creatus virgine, quæ ad verbum Dei formata et creata recenti fuerat exortu, nondum ea parricidali cædiumque concreta sanguine, flagitiis et dedecore polluta, nondum carne nostra damnata maledicto obnoxiæ hæreditatis; quanto facilius postea lubrica ad peccandum via majus advexit humano generi præcipitium, cum deterior tolerabiliori per vices generationis successerit?

XIV. Etenim si magnetis lapis tantam naturæ vim habet, ut ferrum ad se trahat, et transfundat se in illius speciem, ita ut plerisque experiri volentibus cum plures annulos ferreos ad eum lapidem admoverint, omnes pari teneat modo : deinde si ei annulo cui adhæserit lapis, alium admoveas annulum, et rursus per ordinem singulis substituas; licet in omnes penetret per ordinem, ex illo lapide vis naturæ, tamen priores nexu vehementiore constringit, posteriores remissiore : quanto magis humani generis conditio atque natura ex puriore statu in deteriorem lapsa est, quando nequiorem attigit?

XV. Nam si per eas species minuitur natura, quæ non

[1] Gen. II, 7. — [2] I Cor. XI, 3. — [3] Eccle. VII, 12. — [4] Gen. II, 15.

sunt culpæ capaces; quanto magis per animos atque artus labe pollutos scelerum virtus ejus hebetatur? Unde quia excreverat malitia, abolita innocentia fuerat, non erat qui faceret bonitatem, non erat usque ad unum[1]: venit Dominus, qui reformaret naturæ gratiam, imo augeret; ut ubi superabundavit peccatum, superabundaret gratia[2]. Ergo liquet et quia auctor hominis Deus, et quod Deus unus, non multi dii[3]: sed unus qui mundum operatus est, et unum non multos mundos, ut dicunt philosophi.

XVI. Primum igitur mundum creavit, deinde habitatorem mundi, cui totus mundus patria foret. Nam si hodie quocumque accesserit sapiens, ubique civis est, ubique sua intelligit, nusquam se peregrinum, nusquam hospitem judicat; quanto magis ille primus homo totius erat mundi incola, et ut Græci dicunt, κοσμοπολίτης (15), opus Dei recens, confabulator assiduus, civis sanctorum, complantatus virtutibus, præpositus omnibus terrenis animantibus, marinis, volatilibus, totum mundum suam possessionem putabat: quem Dominus tuebatur, ut opus suum, neque ut bonus parens, atque auctor deserebat? Denique eo usque creatum fovit, ut abdicatum redimeret eliminatum reciperet, mortuum passione Filii sui unigeniti resuscitaret. Est ergo hominis auctor Deus, et diligit opus suum operator bonus, nec derelinquit bonus Pater, quem etiam sicut dives paterfamilias censu propriæ hæreditatis redemit.

XVII. Caveamus ergo ne hominem istum, id est, νοῦν, mulier illa, id est, passio sensuum nostrorum delectatione et ipsa decepta atque illusa effæminet, et circumscriptum in leges suas et sententiam trahat. Fugiamus delectationem sicut serpentem: multas artes habet, et maxime in

[1] Psal. XIII, 1. — [2] Rom. V, 20. — [3] I Cor. VIII, 5.

homine. Nam alia animantia cibi aviditate capiuntur, homo quanto plures sensus oculorum auriumque habet, tanto majora pericula. Vale, et nos dilige, ut facis; quia nos te diligimus.

EPISTOLA XLVI[1].

Ambrosius Sabino scribit maledicum Apollinaristam publice fuisse confutatum : sese cum eo, etsi servilem in Christum formam non admitteret, humaniter egisse : at illa verba, Deum scilicet Patrem Filii esse et Dominum creaturæ, *quæ illi comprimis displicebant, cum verbis Davidicis convenire. Post quæ eumdem Filium sine injuria divinitatis factum non modo servum, verumetiam maledictum, opprobrium atque peccatum multiplici Scripturæ testimonio demonstrat.*

Ambrosius Sabino.

I. Quem scripsisti maledici sermonis seminatorem, levissimus est, qui jam veneni sui mercedem recepit. Siquidem responsum est ei publice; et quod privatim severat, palam messuit. Ego autem vanum ante et invisorem tantum habebam : at ubi iste sermo ad aures pervenit meas, statim respondi quod eum virus infecerit Apollinaris, qui non potest audire quod Dominus noster Jesus pro nobis servitutem susceperit in istius corporis susceptione; cum Apostolus clamet quod formam servi acceperit[2]. Hoc munimentum, hæc sepes est fidei nostræ; qui hanc des-

[1] Scripta circa ann. 389. — [2] Philip. II, 7.

truit, destruetur ipse, sicut scriptum est: « Quia des-» truentem sepem mordebit serpens[1]. »

II. Equidem primo leniter mandavi ei: Qua ratione bonam rem malo animo facis? Ego enim beneficio annumero, si quis mea legens scripta, dicat mihi quo videatur moveri. Primum quia et in iis quæ scio, falli possum. Multa aurem prætereunt, multa quibusdam aliter sonant: pulchrum est, si fieri potest, cavere omnia. Deinde quia non debeo moleste ferre, cum de Apostolicis et ipsis Evangelicis Dominicisque verbis plerique multas quæstiones serant; etiam in meis scriptis reperiant, de quo disputandum putent; plerique enim studio indulgent suo, ut iste qui propterea orbem circuivit, ut quæreret quem reprehenderet, non quem sibi imitandum arbitraretur.

III. Hic igitur ut arroderet aliquid de meis scriptis, eam sibi amplam viam reperit, quoniam eo loci ubi dixit Dominus Jesus: « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et » terræ[2]; » diximus ideo dictum, ut nos intelligamus patrem filii esse, et dominum creaturæ. Quanquam in Psalmo evidenter dominum dixerit Patrem Filius: « Viderunt me, » et moverunt capita sua: adjuva me, Domine Deus meus[3]. » Etenim secundum formam servi locutus, Dominum vocavit, quem Patrem noverat, æqualis in Dei forma, servum secundum carnis substantiam se prædicans; servitus enim carnis, dominatus autem Divinitatis est.

IV. Advertis igitur primum pro tua admirabili prudentia ea quæ in Evangelio dicuntur, ad Evangelii tempus referri, quo Dominus Jesus inter homines humana specie conversabatur; nunc enim secundum hominem jam non novimus Christum. Sit ita visus et cognitus veteribus, jam

[1] Eccle. x, 8. — [2] Matth. xi, 25. — [3] Psal. cviii, 25, 26.

« Transierunt vetera, et omnia nova facta sunt[1]. » Omnia tamen ex Deo, qui nos sibi per Christum reconciliavit; eramus enim mortui, et ideo unus pro omnibus servus factus est[2]. Quid dicam, servus? Peccatum[3], opprobrium[4], maledictum factus est. Dixit enim Apostolus : « Quia pro » nobis peccatum factus est, quia maledictum factus est[5] » Dominus Jesus. Dixit quia cum sibi subjecerit omnia, tunc et ipse subjectus erit[6]. Dixit et Petrus : « In nomine » Jesu Nazareni, surge, et ambula[7], » in Actis Apostolorum. Dixit ibi quia « Glorificavit puerum suum Jesum[8], » et nemo calumniatur de tempore. In Apocalypsi autem et Agnus dictus est a Joanne[9], dictus est in Psalmo « Vermis, » et non homo[10]. » Hæc omnia factus est, ut nostræ obtunderet mortis aculeum[11], nostram servitutem tolleret, maledicta, peccata, opprobria deleret.

V. Hæc et alia, quæ consulenti cuidam, et multo plura a te scripsisti relata, cum Scriptura divina habeat, quemadmodum quisquam dubitabit dicere quæ pie scripta sunt; quoniam ad gloriam Christi spectant, non ad imminutionem? Nam cum de dono ejus, hoc est manna, dictum sit quia et « Qui minus collegit, non diminuit : et qui plurimum, » non ampliavit[12]; » num potuit ipse vel minui vel augeri? Quid enim in eo imminutum est, quod nostram servitutem, nostras infirmitates susceperat[13]? Erat humiliatus, erat in servi forma[14], sed idem in gloria Dei Patris. Erat vermis in cruce[15], sed idem dimittebat peccata etiam persecutorum suorum[16]. Erat opprobrium[17], sed idem majestas Domini, sicut scriptum est : « Et videbitur majestas

[1] 2 Cor. v, 16, 17. — [2] Philip. II, 7. — [3] 2 Cor. v, 21. — [4] Psal. XXI, 7. — [5] Galat. III, 13. — [6] 1 Cor. XV, 28. — [7] Act. III, 6. — [8] Ibid. 13. — [9] Apoc. v, 12. — [10] Psal. XXI, 7. — [11] 1 Cor. XV, 55. — [12] Exod. XVI, 18. — [13] Isaï. LIII, 4. — [14] Philip. II, 6. — [15] Psal. XXI, 7. — [16] Luc. XXIII, 34. — [17] Psal. XXI, 7.

» Domini, et videbit omnis caro salutare Dei[1]. » Quid amisit, cui nihil minus est? Non habebat quidem speciem, neque decorem[2], sed habebat plenitudinem Divinitatis. Infirmus æstimabatur, sed non destiterat esse Dei virtus. Videbatur, ut homo, sed fulgebat in terris majestas divina et Patris gloria.

VI. Unde pulchre Apostolus ejusdem verbi repetitione usus est, dicens de Domino Jesu : « Qui cum in forma Dei » esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; » sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens[3]. » Quid est in Dei forma, nisi in plenitudine Divinitatis, in illa perfectionis divinæ expressione? Ergo cum esset in plenitudine Divinitatis, exinanivit se, et accepit plenitudinem naturæ et perfectionis humanæ : sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraque forma. Unde et David dicit : « Speciosus forma » præ filiis hominum[5]. »

VII. Concludit Apollinarista, nec quo se vertat, habet, suis clauditur retibus. Ipse enim dixerat : Formam servi accepit, non servus lectus est. Iterum ergo interrogo, quid est in forma Dei? Respondet : In natura Dei. Sunt enim, ait Apostolus, « Qui non sunt natura dii[5]. » Quæro quid sit, « Formam servi accipiens[6]? » Sine dubio perfectionem naturæ et conditionis, ut dixi, humanæ, ut esset in hominum similitudine. Et pulchre non carnis, sed hominum dixit similitudinem; quia in carne eadem. Sed quia sine peccato erat solus, omnis autem homo in peccato, in specie hominis videbatur. Unde et Propheta ait : « Et » homo est, et quis cognoscet eum[7]? » Homo secundum carnem, sed ultra hominem secundum divinam operationem. Denique cum leprosum tangeret, homo videbatur :

[1] Isaï. XL, 5. — [2] Id. LIII, 2. — [3] Philip. II, 6, 7. — [4] Psal. XLIV, 3. — [5] Galat. IV, 8. — [6] Philip. II, 7. — [7] Jerem. XVII, 9.

sed ultra hominem, cum emundaret[1]. Et cum Lazarum fleret mortuum, quasi homo flebat: sed supra hominem erat, cum mortuum juberet vinctis pedibus exire[2]. Homo videbatur, cum penderet in cruce: sed supra hominem, cum reseratis tumulis, mortuos resuscitaret[3].

VIII. Nec sibi blandiatur virus Apollinaris, quia ita legitur: « Et specie inventus ut homo[4]; » non enim negatus est homo Jesus, cum alibi ipse Paulus de eo dicat: « Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus[5], » sed confirmatus est. Id enim est usus et moris Scripturæ sic significare, sicut et in Evangelio legimus: « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre[6]. » Sicut ergo quasi unigenitus dicitur, et non abnuitur unigenitus Dei Filius; ita ut homo dicitur, et perfectio fuisse in eo hominis non negatur.

IX. Cum esset igitur in forma servi, humiliatus usque ad mortem[7]; erat tamen in Dei gloria. Quid ei igitur obfuit servitus? Servus autem factus legitur[8], quia legitur factus ex Virgine, et creatus in carne; omnis enim creatura servit, dicente Propheta: « Quia universa serviunt tibi[9]. » Unde et Deus Pater ait: « Inveni David servum meum, in oleo sancto unxi eum. Ipse vocabit me: Pater meus es tu, Deus salutis meæ. Et ego primogenitum ponam eum[10]; » et in alio Psalmo: « Custodi animam meam; quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum[11]; » et infra in eodem Psalmo: « Da potestatem puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ[12]. » Congessi enim Patris et Filii voces; ut ei non argumenta humana, sed divina responderent oracula.

[1] Matth. VIII, 3. — [2] Joan. XI, 33-44. — [3] Matth. XXVII, 52. — [4] Philip. II, 7. — [5] I Tim. II, 5. — [6] Joan. I, 14. — [7] Philip. II, 6. — [8] Galat. IV, 4. — [9] Psal. CXVIII, 91. — [10] Id. LXXXVIII, 27, 28. — [11] Id. LXXXV, 2. — [12] Ibid. 16.

X. Alibi inquit : « In manus tuas commendo spiritum » meum[1] ; » et, « Statuisti in loco spatioso pedes meos[2] ; » et, « Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium[3]. » Et in eodem Psalmo ; « Illustra faciem tuam super servum » tuum. » Per Esaïam quoque dicit ipse Filius Dei : « Ex » utero matris meæ vocavit Dominus nomen meum, et » posuit os meum ut gladium acutum, et sub tegumento » manus suæ protexit me. Posuit me sicut sagittam elec» tam, et pharetra sua texit me; et dixit mihi : Servus » meus es tu, Israël[4]. » Dicitur enim Dei filius et Israël, sicut alibi : « Jacob puer meus, Israël dilectus meus[5]. » Solus enim vere Deum Patrem non solum vidit[6], sed etiam enarravit,

XI. Et sequitur : « In te glorificabor. Et ego dixi : In » vacuum laboravi, et in nihilum dedi vires meas; ideo » judicium meum ante Dominum, et dolor meus ante » Deum meum[7]. » Et nunc sic dicit Dominus, « Qui finxit » me servum ex utero sibi ad congregandum Jacob et Is» raël. » Quis congregavit Dei populum, nisi Christus ? Quis glorificatus est ante Dominum ? Quis est Dei virtus ? Cui dixit Pater : « Magnum tibi est vocari te puerum meum ? » Et cui dicit : « Ecce posui te in testamentum generis mei, » in lucem gentium ; ut sis in salutem usque ad extremum » terræ[8]. » De quo etiam per os Ezechiel locutus est, dicens : « Suscitabo super eos pastorem unum, et reget eos » servus meus David, et erit eorum pastor : et ego Domi» nus ero illis in Deum, et David in medio eorum princeps[9]. » David utique rex jam defunctus erat, et ideo verus David, verus humilis, verus mansuetus, verus manu fortis Dei Filius, hoc annuntiatur nomine : qui etiam in Zachariæ

[1] Psal. XXX, 6. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 17. — [4] Isaï. XLIX, 2, 3. — [5] Id. XLII, 1. — [6] Joan. I, 18. — [7] Isaï. XLIX, 4, 5. — [8] Ibid. 6. — [9] Ezech. XXXIV, 23, 24.

prophetæ libro significatur, dicente Deo Patre : « Ecce ego » mittam servum meum, Oriens nomen est ei[1]. Numquid quia habebat vestimenta sordida, ideo fulgorem Divinitatis suæ Sol justitiæ non habebat?

XII. Et quid plura? An infirmius putamus servitium esse quam peccatum, quam maledictum, quam opprobrium, quam infirmitates, quas pro nobis suscepit, ut a nobis averterentur? Factus est enim hæc omnia, ut universa vacuaret. Sed hæc ideo non recipiunt, quod servus, opprobrium, peccatum, maledictum factus sit; quia Verbum et carnem unius asserunt esse substantiæ, et dicunt: Ergo quia nos redemit, servus dictus est, et peccatum debuit dici. Nec advertunt quod hæc Christi gloria sit, quia servitutem suscepit in corpore suo, ut libertatem omnibus redderet : peccata nostra portavit, ut mundi peccatum tolleret.

XIII. Servus, peccatum, maledictum factus est, ut tu peccati servus esse desisteres, et te divinæ sententiæ maledicto absolveret. Ille ergo maledictum suscepit tuum: « Maledictus enim omnis, qui pendet in ligno[2]. Ille maledictum in cruce factus est, ut tu benedictus esses in Dei regno. Ille dehonestatus et depretiatus est, nec aliquid æstimatus. Ille dicebat : « In vacuum laboravi[3]; per quem meruit Paulus dicere : « Non in vacuum laboravi[4]; ut boni operis fructum, et Evangelicæ prædicationis gloriam suis conferret servulis, per quam universi sarcina laboris absolverentur.

XIV. His igitur auditis, derelictus est in dimidio dierum suorum perdix, qui clamavit ut congregaret quæ non peperit[5], et oppressus est voce Domini Jesu. Denique adornat fugam. Vale, et nos dilige; quia nos te diligimus.

[1] Zach. III, 8. — [2] Galat. III, 13. — [3] Isaï. XLIX, 4. — [4] Philip. II, 16. — [5] Jerem. XVII, 11.

EPISTOLA XLVII[1].

Sabino cur librum apertius perscriptum ipsi miserit, causam reddens, quamobrem scribere quam dictare malit, explicat. Hinc illum ad mutuum epistolarum usum invitat, quanta inde redeat utilitas patefaciens.

Ambrosius Sabino.

I. Transmisi petitum codicem scriptum apertius atque enodatius, quam ea scriptura est, quam dudum direxi; ut legendi facilitate nullum judicio tuo afferatur impedimentum. Nam exemplaris liber non ad speciem, sed ad necessitatem scriptus est; non enim dictamus omnia (16), et maxime noctibus, quibus nolumus aliis graves esse ac molesti: tum quia ea quæ dictantur, impetu quodam proruunt, et profluo cursu feruntur.

II. Nobis autem quibus curæ est senilem sermonem familiari usu ad unguem distinguere, et lento quodam figere gradu, aptius videtur propriam manum nostro affigere stylo; ut non tam deflare aliquid videamur (17), quam abscondere: neque alterum scribentem erubescamus, sed ipsi nobis conscii sine ullo arbitro, non solum auribus, sed etiam oculis ea ponderemus, quæ scribimus. Velocior est enim lingua quam manus, dicente Scriptura: «Lingua mea calamus scribæ velociter scri» bentis[2].»

III. Sed forte dicas, quia velocitatem ad scribentem

[1] Scripta circa ann. 390. — [2] Psal. XLIV, 2.

retulit. Non te fallit tamen id significari, quod scribæ velociter scribentis celeritas sola possit linguæ propheticæ excipere sermones. Apostolus quoque Paulus sua scribebat manu, sicut ipse ait : «Mea manu scripsi vobis[1] ; » ille propter honorificentiam, nos propter verecundiam.

IV. Tamen dum adhuc habes de libris judicium, interludamus epistolis, quarum ejusmodi usus est, ut disjuncti locorum intervallis, affectu adhæreamus; in quibus inter absentes imago refulget præsentiæ, et collocutio scripta separatos copulat : in quibus etiam cum amico miscemus animum, et mentem ei nostram infundimus.

V. Jam, si ut hortaris, aliquid et de veteribus Scripturis redoleat in epistolis, non solum animi conglutinari videntur per veræ doctrinæ profectum; sed etiam plenioris colloquii species et forma exprimi, ut inter quærendi et respondendi mutuas vices assumpta concertatio in unum conducere, et coram videatur amicos locare, qui tali se lacessunt et complectuntur munere.

VI. Quid autem majorum nostrorum exempla proferam, qui epistolis suis fidem infuderunt populorum mentibus, atque ad integros et confertos scripserunt populos, et præsentes se esse, cum absentes scriberent, significarunt, dicente sancto Apostolo, quia absens erat corpore, sed præsens spiritu[2] ; non solum cum scriberet, sed etiam cum judicaret ? Denique absens per epistolam condemnabat; et idem absolvebat per epistolam; epistola enim Pauli quædam effigies erat ejus præsentiæ, et forma operis.

VII. Non enim ut aliorum epistolæ, « Graves, inquit, » et fortes, præsentia autem corporis infirma, et sermo » contemptibilis[3] ; » talis et Apostoli : sed talis hujus epistola, ut talis esset forma præcepti, qualis esset operationis substantia : « Quia quales sumus, inquit, verbo per epis-

[1] Galat. vi, 11. — [2] 1 Cor. v, 3. — [3] 2 Cor. x, 10.

» totam absentes, tales et præsentes sumus in opere[1]. » Imaginem præsentiæ suæ in epistolis expressit, fructum et testimonium in opere significavit. Vale, et nos dilige, ut facis; quia nos te diligimus.

EPISTOLA XLVIII [2].

Sabinum, ut libros suos severo expendat examine, obsecrat, et quæ commoda hinc oriantur, exponit; subjungens tamen duritiem verborum tolerandam esse, dum fidei professio integra sit, suas variis hæresibus fidei professiones opponit: ac demum se in posterum scribendis epistolis maxime operam daturum spondet.

Ambrosius Sabino.

I. Remisisti mihi libellos, quos tuo judicio probatiores habebo. Ideo misi alios non judicii favore delectatus, sed promissa a te, et petita a me veritate illectus: malo enim tuo corrigatur judicio, si quid movet, priusquam foras prodeat, unde jam revocandi nulla facultas sit; quam laudari a te, quod ab aliis reprehendatur. Itaque arbitrum te eorum quæ postulas, rogavi; neque enim legi a te mea, quæ nonnunquam tribuo in vulgus, sed in tuæ calculum venire sententiæ desideravi. Non erit longi subsellii ista judicatio et mora (18), ut dictum est antiquitus. Facile est tibi de nostris judicare?

II. Ego certe huc invitatu tuo prodeundum putavi: tuum est liquido decernere, et scrutanter discutere, quæ

[1] 2 Cor. x, 11. — [2] Scripta circa ann. 390.

corrigas; ne tibi vitio vertant ea, quæ nobis potuerunt obrepere. Nescio quo enim modo præter imprudentiæ caliginem, quæ me circumfundit, unumquemque fallunt sua scripta, et aurem prætereunt; atque ut filii etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecores sermones sui palpant. Incautius plerumque aliquid promitur, aliquid accipitur malevolentius, aliquid exit ambiguum: tum quia alieno examinanda judicio, non pro nostra debemus magis, quam pro aliena opinione trutinare, et discutere omnes scrupulos malevolentiæ.

III. Assume igitur benevolenti animo aurem versutiæ, et pertracta omnia, sermones vellica; si in iis non forenses blanditiæ, et suasoria verba, sed fidei sinceritas est, et confessionis sobrietas. Notam appone ad verbum dubii ponderis, et fallacis stateræ; ne quid pro se esse adversarius interpretetur. Esto ut revincatur, si congredi cœperit: Male se habet liber, qui sine assertore non defenditur. Ipse igitur pro se loquatur, qui procedit sine interprete: noster hic tamen non egredietur a nobis, nisi a te acceperit auctoritatem. Itaque cum eum fide tua prodire jusseris, committetur sibi.

IV. Tamen quoniam « Non in sermone est regnum » Dei[1], » sed in virtute; verbum si offenderit, virtutem professionis interrogato. Professio autem fidei sententia est, quam adversum Sabellianos et Arrianos ita a majoribus traditam tenemus, ut Patrem Deum, et Filium ejus unigenitum, et Spiritum sanctum veneremur: hanc Trinitatem unius esse substantiæ, majestatis, Divinitatis: in hoc nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizare nos, quemadmodum scriptum est[2]: Filium itaque coæternum Patri suscepisse carnem, natum de Spiritu sancto et Virgine Maria, æqualem Patri secundum Divinitatem in Dei

[1] I Cor. IV, 20. — [2] Matth. XXVIII, 19.

forma, id est, in omni plenitudine Divinitatis, quæ in illo habitat, ut dixit Apostolus, corporaliter[1]; qui in persona hominis formam servi accepit, et se humiliavit usque ad mortem[2].

V. Ergo et adversus Photinum hæc nobis sententia est; adversus Apollinarem autem legitima circumspectio; ut confiteamur sicut in Dei forma nihil ei defuit divinæ naturæ et plenitudinis, sic in illa forma hominis nihil ei defuisse, quo imperfectus homo judicaretur: qui ideo venit, ut totum hominem salvum faceret. Neque enim decebat, ut qui perfectum opus in aliis consummaverat, hoc imperfectum in se esse pateretur; si enim aliquid ei defuit, non totum redemit: si non totum redemit, fefellit igitur, qui dixit ideo se venisse, ut totum hominem salvum faceret. Sed quia « Impossibile est mentiri » Deo[3], » non fefellit: ergo quia ita venit, ut totum redimeret, et salvum faceret, totum utique suscepit, quod erat humanæ perfectionis.

VI. Nostra sententia hujusmodi est, ut meministi. Si verba alicubi movent, non præjudicant fidei; etenim sermonem dubium mens non dubia obumbrat, et defendit a lapsu.

VII. Hæc tecum prolusimus, quæ in libros nostrarum epistolarum referam, si placet, atque in numerum reponam; ut tuo commendentur nomine, et tuis ad nos, et nostris ad vos litteris augeatur mutuus amor per Dominum: ut ita legas, quod judices; et quod moverit, scribas ad me: amor enim verus constantia probatur. Placet jam quod senibus usu facilius est, quotidiano et familiari sermone epistolas texere; et si quid de Scripturis divinis obvium inciderit, attexere. Vale, frater, et dilige amantem tui; quia plurimum te diligo.

[1] Coloss. II, 9. — [2] Philip. II, 8. — [3] Hebr. VI, 18.

EPISTOLA XLIX[1].

Nunquam minus se solum esse, quam cum solus sit amico scribens, solitudinis bona exemplis docet; maxime quod tunc liceat præsentem in Scripturis habere Deum, et ei mentem nostram patefacere.

Ambrosius Sabino.

I. QUONIAM tibi quoque complacuit nostrarum usus epistolarum, in quibus quidam inter absentes præsentium sermo est, pergam frequentius te in meis scriptis et cum solus sum, alloqui. Nunquam enim minus solus sum, quam cum solus esse videor: nec minus otiosus, quam cum otiosus. Certe pro arbitrio accerso, quos volo; atque adjungo mihi, quos magis diligo, aut quos aptiores arbitror: nemo interpellat, nemo interpolat. Tunc ergo te magis teneo, et de Scripturis confero, et prolixiorem simul sermonem cædimus.

II. Sola erat Maria, et loquebatur cum Angelo[2]. Sola erat quando supervenit in eam Spiritus sanctus, et virtus Altissimi obumbravit eam. Sola erat, et operata est mundi salutem, et concepit redemptionem universorum. Solus erat Petrus, et totum per orbem consecrandarum gentium cognovit mysteria[3]. Solus erat Adam, et non est prævaricatus[4]; quia mens ejus adhærebat Deo. Postquam vero ei mulier adjuncta est, non potuit inhærere manda-

[1] Scripta circa ann. 390. — [2] Luc. I, 28. — [3] Act. X, 10, et seqq. — [4] Gen. II, 9.

tis cœlestibus; et ideo se abscondebat, quando Deus deambulabat in paradiso.

III. Et nunc deambulabat in paradiso Deus[1], quando divinas Scripturas lego. Paradisus est Genesis liber, in quo virtutes pullulant Patriarcharum : paradisus Deuteronomium, in quo germinant Legis præcepta : paradisus Evangelium, in quo arbor vitæ bonos fructus facit, et æternæ spei mandata diffundit per universos populos.

IV. Audiens itaque : « Diligite inimicos[2]; » audiens : « Dimitte omnia tua, et sequere me[3]; » audiens : « Qui » te percutit in maxilla, præbe ei et alteram[4]; » et hæc non faciens, et vix diligens eum, qui me diligat, non dimittens quæ habeo, injuriam acceptam ulcisci volens, et sublatum mihi extorquere; cum Scriptura dicat etiam aliud, id est, plus quam petitum aut ereptum est, concedendum, video me contra mandata Dei facere. Et aperiens oculos conscientiæ, deambulare mihi Deum præsentem recognosco : cupio me abdere, cupio velare; sed nudus sum Deo, apud quem nuda et intecta sunt omnia[5]. Erubescens itaque tegere pudenda facinorum desidero, quasi membra mei corporis : sed quia Deus omnia videt, quia foliis obumbratus, latebris tectus appareo, puto me absçondi; quia corpore amictus sum. Ipsa est tunica pellicea, cum qua Adam de paradiso ejectus est[6], nec a frigore tutus, nec tectus ab opprobrio, sed et injuriæ et culpæ patens.

V. Liquet igitur ex his, quia soli cum sumus, tunc nos offerimus Deo, tunc mentem ei nostram aperimus, tunc amictum fraudis exuimus. Solus erat Adam, quando in paradiso constitutus est, solus erat et quando ad imaginem Dei factus est[7] : sed non erat solus, quando de

[1] Gen. III, 8. — [2] Matth. V, 44. — [3] Id. XIX, 21. — [4] Luc. VI, 29. — [5] Hebr. IV, 13. — [6] Gen. III, 23. — [7] Gen. II, 8.

paradiso ejectus est [1]. Solus erat Dominus Jesus, quando mundum redemit; non enim legatus neque nuntius [2], sed ipse Dominus solus salvum fecit populum suum: etsi nunquam solus est ille, in quo Pater est semper. Unde et nos soli simus, ut Dominus nobiscum sit. Vale, et nos dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA L[3].

Quod mentiri Deus non possit, non esse infirmitatis; Dei tamen esse aliquod infirmum, sed quod fortius sit hominibus, crucem nimirum. Quod Deus prophetiam Balaan infuderit mirum non esse; cum illud nec sacerdoti negaverit Christum persequenti; ut nempe sibi ex inimicis exprimeret testimonium. Quanta infidelitate atque avaritia prophetias suas corruperit Balaam: sed potissimum quæ fuerit illius in persuadendo scelere pefidia? Unde efficitur Deum mutabilem non fuisse erga eum, utpote cujus nequitiam perspexerat.

Ambrosius Chromatio.

I. Numquidnam mentitur Deus [4]? Sed non mentitur, quia impossibile est mentiri Deum [5]. Impossibile quoque istud numquidnam infirmitatis est? Non utique; nam quomodo omnia potest, si aliquid efficere non potest? Quid ergo ei impossibile? Non quod virtuti arduum, sed quod

[1] Gen. I, 27. — [2] Joan. XVI, 32. — [3] Scripta circa ann. 390. — [4] Tit. I, 2. — [5] Hebr. VI, 18.

naturæ ejus contrarium. Impossibile, inquit, est ei mentiri. Impossibile istud non infirmitatis est, sed virtutis et majestatis; quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatis errorem. Ideoque sit « Deus verax, » omnis autem homo mendax[1]. »

II. Veritas itaque semper in eo est, fidelis manet, mutare se, et negare non potest. Si enim verum se negat, mentitur : mentiri autem non virtutis, sed infirmitatis est. Nec mutare se potest, quia natura ejus non recipit infirmitatem. Hoc igitur impossibile ejus plenitudinis est, quæ minuere se et augere non potest : non infirmitatis, quæ in eo quod se auget, imbecilla est. Ex quo colligitur impossibile Dei potentissimum esse. Quid enim potentius, quam nescire quidquid infirmitatis est?

III. Est tamen et aliud infirmum Dei, quod fortius est hominibus; et stultum Dei, quod sapientius est hominibus[2] : sed hoc crucis, illud Divinitatis. Si ergo quod infirmum est ejus, potentia est : quod potentiæ, quomodo infirmum est? Sit igitur nobis positum, quia non mentitur Deus.

IV. Sed nec augurator augurii in Israël, secundum legem Dei[3]. Quomodo ergo Balaam prohibitum se oraculo Dei dicit, ut vadat ad maledicendum populo Israël, et ivit, et occurrit ei Angelus Domini, qui eum prohibuerat pergere, ita ut obsisteret asinæ ejus, quæ vehebat eum[4]; et nihilominus et ipse dixit ei ut iret, sed hoc diceret, quod sibi infunderetur? Si augurator non est in Israël, unde isti oraculum Dei, quod futura manifestavit, qui augur erat? Si oraculum Dei loquebatur, unde meritum divinæ aspirationis assumpserat?

V. Sed non mireris infusum auguri a Domino, quod

[1] Rom. III, 4. — [2] I Cor. I, 25. — [3] Deut. XVIII, 10. — [4] Num. XXII, 31, et seqq.

loqueretur; quando infusum legis in Evangelio etiam principi Synagogæ uni ex persequentibus Christum, quia oportet unum hominem mori pro populo[1]. In quo non prophetiæ meritum, sed assertio veritatis est; ut adversariorum testimonio manifestaretur, quo perfidia non credentium vocibus suorum augurum redargueretur. Ideo Abraham ille Chaldæus ascitur ad fidem, ut Chaldæorum superstitio conticesceret. Non igitur confitentis meritum, sed vocantis oraculum est, revelantis Dei gratia.

VI. Quid igitur Balaam contraxit offensionis, nisi quia aliud loquebatur[2], aliud machinabatur? Deus enim vas mundum requirit, non immunditia inquinatum et sordibus. Tentabatur igitur Balaam, non probabatur; erat enim plenus fallaciæ ac doli. Denique cum primo consuluisset utrum ad illum vanitatis populum deberet pergere, et prohitus esset, excusavit: postea missis legatis honoratioribus, promissis uberioribus, muneribus cumulatioribus illectus, qui renuntiare debuerat, iterum consulendum putavit[3]: quasi Deus aut pretio aut muneribus inflecteretur.

VII. Responsum est quasi avaro, non quasi ei, qui verum quæreret; ut illuderetur potius, quam informaretur. Cœpit ire, occurrit ei Angelus in angusto[4], demonstravit se asinæ, non demonstravit auguri. Illi se revelavit, istum obtrivit; tamen ut aliquando et ipse cognosceret, aperuit oculos ejus: vidit, et adhuc tamen non credidit evidenti oraculo; et qui vel oculis credere debuisset, involuta et ambigua respondit.

VIII. Tunc indignatus Dominus per Angelum dixit: «Vade; sed quæcumque tibi inspiravero, hæc dices[5],» id est non quæ vis, sed quæ cogeris loqui. Quasi organum inane

[1] Joan. XI, 50. — [2] Num. XXII, 12. — [3] Ibid. 19. — [4] Ibid. 24. — [5] Ibid. 35.

sonum meis præbebis sermonibus. Ego sum, qui loquar, non tu qui ea quæ audieris, resultabis, et quæ non intelliges. Nihil proficies eundo; quia sine mercede remeabis pecuniæ, et sine profectu gratiæ. Denique ea prima vox ejus est : « Quid maledicam, cui non maledicit Domi- » nus[1] ? » ut ostenderet non in sua voluntate esse benedictionem Hebræi populi, sed in Dei gratia.

IX. « A summis, inquit, montibus conspiciam eum[2] ; » quoniam non oculis comprehendere possum hunc populum, qui habitabit solus, fines suos non locorum possessione disterminans, sed virtutis incolatu, et morum singularium proprietate in æterna diffundens sæcula. Quis enim annumerabitur ei de nationibus aliis, qui finitimorum populorum excedit consortia justitiæ sublimitate? Quis constitutionem generationis ejus colliget. Corpora quidem eorum humanis seminibus concreta et figurata advertimus, sed de superioribus, et mirabilibus seminariis animæ eorum pullularunt.

X. « Moriatur anima mea in animis eorum[3], » moriatur hanc corporalem vitam, ut in animis justorum illius æternæ vitæ adipiscatur gratiam. In quo jam tunc sacramenti hujus cœlestis, et sacri baptismatis revelata est magnificentia, per cujus operationem moriuntur homines culpæ veteri, et iniquorum operibus; ut novitate vitæ in consortia justorum transfigurati, in eorum mores resurgant. Et quid mirum de hominibus, cum moriantur peccato, ut Deo vivant?

XI. Hæc audiens Balac, indignatus est dicens : Ad maledicendum te adduxi, et tu benedicis. Respondit ille : Calumniam patior de eo, quod nescio; ego enim nihil meum loquor, sed quasi cymbalum tinniens sonum reddo. Iterum alio atque alio transductus, cum vellet maledicere,

[1] Num. XXIII, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 10.

benedicebat : « Non est labor in Jacob, neque dolor[1]. » Dominus illum protegit. Et infra jubet parari aras septem et sacrificia. Utique debuit discedere, sed per infirmitatem mentis, et mutabilitatem sententiæ putabat quod avertere posset Dei voluntatem : ipse autem per excessum mentis aliud cupiebat, et aliud loquebatur.

XII. « Quam speciosa, inquit, habitacula tua, o Hebræorum militia ! Tabernacula tua sicut nemora obumbrantia, sicut paradisus super fluvium, et sicut cedrus secus aquas[1]. Exiet homo ex Jacob, et obtinebit multas gentes, et attolletur regnum ejus in altum : in terris quoque extendet principatum suum in Ægyptum. Qui benedicent eum, benedicentur : et qui maledixerint ei, maledicti erunt[2]. » Quem igitur nisi Christi populum significat? Eum benedicit Deus, in cujus medullas Verbum Dei descendit usque ad divisionem animæ, artuum quoque et medullarum[3] : in quo habuisset Balaam gratiam Domini, si id ex sententia et affectus sui proposito fecisset. Sed quia revincitur mala mens consiliis suis, et occulta animi produntur exitu; ideo sequentibus insidiis animus ejus aperitur.

XIII. Unde et dignam mercedem suæ invenit malevolentiæ. Nam cum adverteret quod non posset in excessu mentis positus maledicere, dat consilium regi, dicens : Illa sint oracula horum quæ Deus præcepit, accipe consilium adversus oracula Dei. Populus iste justus est, habet protectionem Dei; quia non divinationibus et auguriis sese dedit, sed soli æterno Deo; ideo cæteris fide præstat. Interdum tamen et fideles mentes corporis labuntur illecebra, et formæ lenocinio. Sunt tibi mulieres plurimæ, et pleræque non indecores pulchritudine : virilis autem sexus

[1] Num. XXIII, 21. — [2] Id. XXIV, 5, 6. — [3] Ibid. 9. — [4] Hebr. IV, 12.

nullo magis lubricus, quam muliebri decore cito capitur; et maxime si ardor mentium alloquiis inflammetur frequentibus, et quasi facibus inardescat; si spem potiundi hauriat, affectum differat. Jaciant igitur mulieres tuæ vocibus suis hamos, nec difficiles primos congressus suos præbeant, sed et visu faciles, et dictu affabiles circumerrent, et toto se circumfundant exercitui; atque hos arte tractent viros, ut concubitu non indulgeant, nisi amoris mutui fidem consortio sacrilegii comprobaverint. Sic enim poterunt cœlesti protectione destitui, si ipsi a Domino Deo suo sacrilegiis deviaverint.

XIV. Non igitur justus Balaam, ut pote consiliarius fornicationis et sacrilegii, sicut evidenter etiam in Apocalypsi scriptum est Joannis evangelistæ, dicente Domino Jesu ad Angelum Ecclesiæ Pergami : « Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere » scandalum coram filiis Israël, manducare immolata, » et fornicari; ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaïtarum[1]. » Quo apparet inde Manichæorum sacrilegia manasse, qui miscent atque adjungunt sacrilegium turpitudini.

XV. Ergo nec Deus injustus, nec mutabilis ejus sententia : deprehendit enim mentem ejus, et occulta cordis; et ideo tentavit eum quasi divinum, non elegit quasi prophetam. Et utique vel tantorum oraculorum gratia et revelationum sublimitate converti debuit : sed animus nequitiæ plenus verba prompsit, non fidem detulit, consiliis infirmare cupiens, quod annuntiabat futurum. Et quia oracula fraudare non poterat, consilia fraudulenta subministrabat, quibus levis populus Judæorum tentati quidem sunt, sed non expugnati; unius enim viri sacerdotis justitia solutum est omne facinorosi hominis consi-

[1] Apoc. II, 14, 15.

lium[1], multoque mirabilius per unum hominem potuisse liberari exercitum patrum, quam potuisse decipi.

XVI. Hoc munusculum sanctæ menti tuæ transmisi; quia vis me aliquid de veterum scriptorum interpretationibus paginare. Ego autem assumpsi epistolas familiari sermone attexere, redolentes aliquid de patrum moribus; quarum gustum si probaveris, post hæc hujusmodi mittere non verecundabor. Malo enim senilibus verbis de supernis rebus hallucinari tecum, quod græce dicunt ἀδολεσχῆσαι Ἐξῆλθεν δ᾽ Ἰσαὰκ εἰς τὸ πεδίον ἀδολεσχῆσαι, veniente Rebecca futuræ Ecclesiæ animo videns mysteria : malo, inquam, hallucinari tecum verbis senilibus, ne videar artem deseruisse, quam concitatioribus deflare aliquid jam nec studiis nostris aptum nec viribus. Vale, et nos dilige; quia ego te diligo.

[1] Num. XXV, 11.

EPISTOLA LI [1].

Adventum ejus non ingrato affectu se declinare, sed ne tacere cogeretur, aut offensionis causam præberet. Iracundum esse Theodosium, sed ex se placabilem: ne igitur eum commoveret, valetudinem excusasse. Ingemuisse episcopos cædem Thessalonicensem, proinde in eluenda illa sanctorum imitandam pœnitentiam, sine qua peccatum non tollitur. Diabolum qui ei inviderit, vincendum. Non audere se, illo præsente, offerre sacrificium, a quo etiam divinitus fuerit deterritus: at ipsam pœnitentiam sacrificium esse. Quod factum ejus non præverterit, dolere se, quippe qui eum vere diligat.

Augustissimo imperatori Theodosio Ambrosius episcopus.

I. Et veteris amicitiæ dulcis mihi recordatio est, et beneficiorum, quæ crebris meis intercessionibus summa gratia in alios contulisti, gratiæ memini. Unde colligi potest quod non ingrato aliquo affectu adventum tuum semper mihi antehac exoptatissimum declinare petuerim. Sed qua causa hoc fecerim, breviter expediam.

II. Soli mihi in tuo comitatu jus naturæ ereptum videbam audiendi, ut et loquendi privarer munere; motus enim frequenter es quod ad me pervenissent aliqua, quæ in consistorio tuo statuta forent. Ego ergo expers com-

[1] Scripta circa ann. 390.

munis usus sum, cum dicat Dominus Jesus « Nihil esse » occultum, quod non manifestetur[1]. » Verecundia igitur, qua potui, satisfeci imperiali arbitrio; et prospexi ne aut ipse causam commotionis habeas, cum id egerim, ne quid ad me de imperialibus deferatur statutis : aut ego cum fuero præsens, aut non audiam per metum omnium, et quasi conniventis famam subibo : aut ita audiam, ut mihi aures pateant, vox intercludatur; ut audita non possim eloqui, ne eos qui in suspicionem proditionis venerint lædam in periculo.

III. Quid igitur facerem? Non audirem? Sed aures non possem cera veterum fabularum claudere. Proderem? Sed quod in tuis jussis timerem, in meis verbis deberem cavere; ne quid cruentum committeretur. Tacerem? Sed quod miserrimum foret omnium, alligaretur conscientia, vox eriperetur. Et ubi illud? Sed si sacerdos non dixerit erranti, is qui erraverit, in sua culpa morietur[2], et sacerdos reus erit pœnæ, quia non admonuit errantem?

IV. Accipe illud, Imperator auguste. Quod habeas fidei studium, non possum negare; quod Dei timorem, non diffiteor : sed habes naturæ impetum, quem si quis lenire velit, cito vertes ad misericordiam : si quis stimulet, in majus exsuscitas, ut eum revocare vix possis. Utinam si nemo mitigat, nullus accendat! Libenter eum committo tibi : ipse te revocas, et pietatis studio vincis impetum naturæ.

V. Hunc ego impetum malui cogitationibus tuis secreto committere, quam meis factis publice fortassis movere. Itaque malui officio meo aliquid deesse, quam humilitati : et requiri in me ab aliis sacerdotis auctoritatem, quam a te desiderari in me amantissime honorificentiam; ut represso impetu, integra esset consilii eligendi facultas. Prætendit ægritudinem corporis revera gravem, et nisi

[1] Luc. VIII, 17. — [2] Ezech. III, 19.

a viris mitioribus vix levandam : vel emori tamen maluissem, quam adventum tuum biduo, aut triduo non expectarem. Sed quid facerem, non erat.

VI. Factum est in urbe Thessalonicensium quod nulla memoria habet, quod revocare non potui, ne fieret; imo quod ante atrocissimum fore dixi, cum toties rogarem : et quod ipse sero revocando grave factum putasti, hoc factum extenuare non poteram. Quando primum auditum est, propter adventum Gallorum episcoporum Synodus convenerat; nemo non ingemuit, nullus mediocriter accepit : non erat facti tui obsolutio in Ambrosii communione. In me etiam amplius commissi exageraretur invidia, si nemo diceret Dei nostri reconciliationem fore necessariam.

VII. An pudet te, Imperator, hoc facere quod rex Propheta, auctor Christi secundum carnem prosapiæ, fecit David? Illi dictum est, quia dives qui haberet plurimos greges, unam pauperis ovem propter adventum hospitis eripuit et occidit; et cognito quod in hoc ipse argueretur, quia ipse fecisset, ait : « Peccavi Domino[1]. » Noli ergo impatienter ferre, Imperator, si dicatur tibi : Tu fecisti istud, quod David regi dictum est a propheta. Si enim hoc sedulo audieris, et dixeris : « Peccavi Do»mino; » si dixeris regale istud propheticum : « Venite »adoremus, et procidamus ante eum; et ploremus ante »Dominum nostrum, qui fecit nos[2]; » dicetur et tibi : Quoniam pœnitet te, dimittit tibi Dominus peccatum tuum, et non morieris.

VIII. Iterum cum plebem numerari jussisset David, percussus est corde, et dixit ad Dominum : « Peccavi vehe»menter, quod fecerim hoc verbum, et nunc, Domine, »aufer iniquitatem servi tui, quod deliqui vehementer[3]. »

[1] 2 Reg. XII, 13. — [2] Psal. XCIV, 6. — [3] 2 Reg. XII, 13.

Et missus est iterum ad eum Nathan propheta, qui ei trium optionem conditionum offerret, ut quam vellet, eligeret, famem tribus annis in terra, aut tribus mensibus fugere a facie inimicorum suorum, aut triduo mortem in terra. Et respondit David : « Angustiæ sunt tria » hæc vehementer; verumtamen incidam in manu Domini; » quoniam multæ misericordiæ ejus nimis : et in manus » hominis non incidam [2]. » Culpa autem erat, quoniam voluit scire numerum totius plebis, quæ secum erat : quod scire Deo soli debuit reservare.

IX. Et cum, inquit, mors fieret in plebe, ipso primo die ad horam prandii cum vidisset David percutientem Angelum in plebem, ait David : « Ego peccavi, et ego pas- » tor malignum feci, et hic grex quid fecit? Fiat manus tua » in me, et in domum Patris mei [3]. » Itaque pœnituit Dominum, et jussit Angelo ut parceret plebi, sacrificium autem offerret David ; erant enim tunc sacrificia pro delictis, hæc nunc sunt sacrificia pœnitentiæ. Itaque ea humilitate acceptior Deo factus est : non enim mirandum peccare hominem : sed illud reprehensibile, si non se cognoscat errasse, non humiliet Deo.

X. Job sanctus et ipse potens in sæculo, ait : « Peccatum » meum non abscondi, sed coram plebe omni annuntiavi [4]. » Ipsi immani regi Saül dixit Jonathas filius suus : « Noli pec- » care in servum tuum David ; » et, « Ut quid peccas in » sanguinem innocentem occidere David sine causa [5]? Quia etsi rex erat, peccabat tamen, si occideret innocentem. Denique etiam David cum jam regno poliretur, et audisset Abner innocentem occisum a Joab duce militiæ suæ, ait: « Innocens sum ego et regnum meum amodo et usque in » æternum a sanguine Abner filii Ner [1]; et jejunavit in dolore.

[1] 2 Reg. XXIV, 10. — [2] Ibid. 14. — [3] Ibid. 17. — [4] Job. XXXI, 33. — [5] 1 Reg. XIX, 4, 5. — [6] 2 Reg. III, 28.

XI. Hæc ideo scripsi, non ut te confundam, sed ut regum exempla provocent, ut tollas hoc peccatum de regno tuo : tolles autem humiliando Deo animam tuam. Homo es, et tibi venit tentatio, vince eam. Peccatum non tollitur nisi lacrymis et pœnitentia. Nec Angelus potest, nec Archangelus; Dominus ipse, qui solus potest dicere : « Ego » vobiscum sum[1]; » si peccaverimus, nisi pœnitentiam deferentibus non relaxat.

XII. Suadeo, rogo, hortor, admoneo; qui dolori est mihi, ut tu qui pietatis inauditæ exemplum eras, qui apicem clementiæ tenebas, qui singulos nocentes non patiebaris periclitari, tot periisse non doleas innocentes. Etsi in præliis felicissime egeris, etsi in aliis quoque laudabilis; tamen apex tuorum operum pietas semper fuit. Id tibi invidit diabolus, quod habebas præstantissimum. Vince eum, dum habes adhuc, unde possis vincere. Noli peccato tuo aliud peccatum addere; ut usurpes, quod usurpasse multis officit.

XIII. Ego certe in omnibus aliis licet debitor pietati tuæ, cui ingratus esse non possum, quam pietatem multis imperatoribus præferebam, uni adæquabam : ego, inquam, causam in te contumaciæ nullam habeo, sed habeo timoris : offerre non audeo sacrificium (19), si volueris assistere. An quod in unius innocentis sanguine non licet, in multorum licet? Non puto.

XIV. Postremo scribo manu mea, quod solus legas. Ita me Dominus ab omnibus tribulationibus liberet; quia non ab homine, neque per hominem, sed aperte mihi interdictum adverti. Cum enim essem sollicitus, ipsa nocte qua proficisci parabam (20), venisse quidem visus es ad Ecclesiam; sed mihi sacrificium offerre non licuit. Alia prætereo, ut potui cavere : sed pertuli amore tuo, ut ar-

[1] Matth. XXVIII, 20

bitror. Dominus faciat ut omnia cum traquilitate cedant. Multifarie Deus noster admonet, signis cœlestibus, Prophetarum præceptis : visionibus etiam peccatorum vult nos intelligere; quo rogemus eum, ut perturbationes auferat, pacem vobis imperantibus servet, fides Ecclesiæ et tranquillitas perseveret, cui prodest christianos et pios esse imperatores.

XV. Certe vis probari Deo. Omnis rei tempus, ut scriptum est[1] : « Tempus, inquit, faciendi, Domine[2]; » et, « Tempus beneplaciti Deus[3]. » Tunc offeres, cum sacrificandi acceperis facultatem, quando hostia tua accepta sit Deo[3]: Nonne me delectaret habere gratiam imperatoris, ut secundum voluntatem tuam agerem, si causa pateretur? Et simplex oratio sacrificium est : hæc veniam refert, illa offensionem; quia hæc habet humilitatem, illa contemptum : Dei enim vox est, quod malit ut fiat mandatum ejus, quam deferatur sacrificium. Clamat istud Deus, ad populum Moyses annuntiat, ad populos Paulus prædicat. Id facito quod intelligis in tempore plus facere. « Misericordiam, inquit, malo quam sacrificium[4]. » Quare non illi magis sint Christiani, qui peccatum condemnant suum, quam qui defendere putant? « Justus enim in exordio sermonis accusator est sui[5]. » Qui se accusat cum peccaverit, justus est, non ille qui se laudaverit.

XVI. Utinam, Imperator, etiam ante mihi potius credidissem quam consuetudini tuæ. Cum puto quod cito ignoscis, cito revocas, ut sæpe fecisti; et tu præventus es, et ego non declinavi, quod cavere non debueram. Sed gratias Domino, qui vult servulos suos castigare, ne perdat. Istud mihi commune est cum Prophetis, et tibi erit commune cum Sanctis.

[1] Eccle. III, 1. — [2] Psal. CXVIII, 126. — [3] Id. LXVIII, 14. — [4] Matth. IX, 13. — [5] Prov. XVIII, 17.

XVII. An ego Gratiani patrem (21) non oculis meis præferam? Debent veniam sancta alia pignora tua. Dulce mihi nomen anteluli, quibus amorem communiter detuli. Amo, diligo, orationibus prosequor. Si credis, sequere; si, inquam, credis, agnosce quod dico : si non credis, ignosce quod facio, in quo Deum præfero. Beatissimus et florentissimus cum sanctis pignoribus fruaris tranquillitate perpetua, Imperator auguste.

EPISTOLA LII [1].

Tatiano causam cur in judicio cum nepte subeundo timeat, sublatam gratulatus, ei ut facilem se ad componendum præbeat, suadet.

Ambrosius Tatiano (22).

I. VENIT tibi innocens victoria, ut sine voti amaritudine potiaris victoriæ securitate; Rufinus enim ex magistro officiorum factus est in consulatu præfectus prætorio : ac per hoc plus posse cœpit, sed tibi jam nihil obesse; est enim aliarum præfectus partium. Quam gaudeo vel illi, ut amico; quia honore auctus, invidia levatus est : vel tibi, ut filio quia liberatus es ab eo, quem tibi graviorem judicem arbitrabare; ut si de negotio definiveris cum tua nepte, pietatis tuæ sit, non formidinis.

II. Ideoque promptior esto decisioni, cujus et spes potior, et fructus est. Spes, quia pater neptis tuæ, qui de illius sententia sibi plurimum blandiebatur, jam quod de

[1] Scripta circa ann. 390.

eo speret, non habet; ille enim alia curat, præterita negligit, vel cum illo, quod tunc gerebat, deposuit officio: iste negotii sui meritum, non sententiæ patronum considerat. Et fructus jucundior est, ut tibi referatur decisionis gratia, qui potueris jam spernere, et non spreveris, pietatem spectans necessitudinis, non stimulum offensionis. Vale, et nos dilige, ut filius, quia nos te, ut parentes, diligimus.

EPISTOLA LIII[1].

Causam silentii sui aperiens, Valentiniani obitum maxime propter summam ejus in Deum pietatem, atque in se benevolentiam luget. Deinde nuntiato ad ejusdem sepulturam sibi præsto esse marmor, ut ea sororum illius causa maturetur, suadet.

Ambrosius Theodosio imperatori.

I. Silentium meum rupit sermo clementiæ tuæ; nihil enim in tam tristibus rebus melius facere in animum induxeram, quam si fieri posset, me ipsum abdere. Sed quia in secessu aliquo delitescere, et sacerdotio exire non poteram, vel silentio intra me latebam.

II. Doleo enim, fateor, dolore acerbo, non solum quod immatura ætate Valentinianus augustus decesserit; sed etiam quod informatus fide, ac tuis institutis tantam devotionem erga Deum nostrum induerat, atque tanto in me incubuerat affectu, ut quem ante persequebatur, nunc

[1] Scripta ann. 390.

diligeret; quem ante ut adversarium repellebat, nunc ut parentem putaret. Quod ergo non pro recordatione injuriæ veteris exprompsi, sed pro testimonio conversionis. Illud enim alienum, hoc suum, quod a te infusum sibi ita tenuit, ut matris persuasionem excluderet. Ille se a me nutritum præferebat, ille ut sedulum patrem desiderabat, ille simulato a quibusdam adventus mei nuntio, impatienter præstolabatur. Quinetiam illis ipsis publici doloris diebus, cum sanctos et summos sacerdotes Domini intra Gallias haberet; ut a me tamen sacramentis baptismatis initiaretur, scribendum arbitratus est : quod etsi non rationabiliter, amabiliter tamen erga me suum studium testificatus est.

III. Hunc ergo non intimo anhelem spiritu, secretisque mentis atque animi visceribus amplectar? Hunc mihi mortuum putem? Imo mihi magis mortuum. Quas ego Domino deferebam gratias, quod ita in me conversus esset, quod ita emendatus, quasi senioris cujusdam ætatis mores induisset : quas clementiæ tuæ, quod eum non solum regno rediddisses, sed etiam, quod est amplius, instituisses fidei et pietatis tuæ disciplinis? Hunc ergo non doleam, ævi integrum, antequam sacramentorum quæ desideravit, adipisceretur gratiam, repentina obisse morte? Refrigerasti animum, quod etiam ipse dignatus es ferre testimonium meo dolori. Te, Imperator, arbitrum teneo affectus mei, te meæ mentis interpretem.

IV. Sed flendi etmpora alias non deerunt : nunc de sepultura ejus, quoniam scripsit clementia tua ita hic procurandam. Si exsors recessit baptismatis, quid cognoverim, nunc repressi. Est hic porphyreticum labrum pulcherrimum, et in usus hujusmodi aptissimum; nam et Maximianus Diocletiani socius ita humatus est. Sunt tabulæ porphyreticæ pretiosissimæ, quibus vestiatur operculum, quo regales exuviæ claudantur.

V. Hoc fuerat præparatum, sed expectabatur rescriptum clementiæ tuæ : cujus perceptione recreatæ sunt sanctæ filiæ tuæ, filii tui (23) Valentiniani sorores, quæ se gravibus afficiunt modis; et amplius exagitabantur, quod diu nihil scriberetur sibi. Unde iis non parum accessit solatii, sed dum inhumatæ sunt reliquiæ, nequaquam sibi parcunt; videntur enim sibi germani sui quotidianum funus tenere. Et revera cum sine fletu magno, ac sine dolore gravi nunquam sint; tamen quotiescumque eo accedunt, exsangues revertuntur. Et ipsis igitur consuletur, et charissiuis exuviis, si acceleretur sepultura, ne æstivo penitus solvantur calore; vix enim superiorem æstatem transegimus.

VI. Mandatum tuum servo, et commendo Domino. Diligat te Dominus, quia tu Domini servos diligis.

EPISTOLA LIV [1].

Remissam apparitori offensam, nec non Faustini tussim recrudescentem Eusebio nuntiat.

Ambrosius Eusebio (24).

I. Apparitor præfecturæ (25), qui propter operas Portuenses offensam contraxerat, jam in portu navigat. Opportune autem advenit; nam simul ut accepi litteras tuas, vidi præfectum, rogavi pro eo : ignovit illico, jussit retrahi epistolam, quam de facultatibus ejus publicandis dictaverat. Quod si tardius venisset, nemo magis probasset inexplicabile illud opus esse portus reformandi, quam

[1] Scripta circa ann. 392.

iste, qui illic naufragium fecerat, nisi te habuisset gubernatorem; ut aliter non posset inde nisi nudus exire.

II. Faustinus parvulus tussi laborat, ad sanctam sororem curatum venit, et venit sponte; expertus enim est melius sibi ventrem curari. Denique et me medicum putat, expectat prandium. Itaque hic bis ad diem curatur, et cœperat pulchre valere: sed dum eum nimio amore abstinere gestiunt, tussire de ventre plus cœpit; et laborabit adhuc, nisi ad medicamenta sua revertatur. Vale, et nos dilige, quia nos te diligimus.

EPISTOLA LV[1].

Eusebii sobolem partim apud se remansisse, partim ad illum profectam esse commemorans, duos Faustinos accommodatis familiæ Noachi benedictionibus exornat; et salutanti Valentiniano Chanaan et Nembroth personas aptat.

Ambrosius Eusebio (26).

I. Faustinus uterque tibi redditus est, nobis utrumque Ambrosium pignus resedit. Ipse habes quod primum in patre, et quod jucundissimum est in filio minore; quia et virtutis apicem tenes, et humilitatis exhibes gratiam: nos quod medium inter patrem et juniorem filium. Tecum summa totius domus, et perpetuati vocabuli jugis successio: apud nos parca mediocritas, quæ et de summo pendeat, et in posteriore subsistat. Tecum igitur requies utriusque nostrum, quæ cum invicem nobis refunditur, omnem

[1] Scripta circa ann. 392.

animi abstergit sollicitudinem. Tecum is qui et moribus et operibus suis et sobole tali invenit gratiam apud Dominum nostrum. Tecum is qui inter mundi hujus procellas spiritalem nutrivit columbam, quæ ei fructus afferat pacis, uncta olivo integritatis. Tecum is qui ædificavit aram Deo[1], quem benedixit Deus et filios ejus, dicens : « Crescite, et » multiplicamini[2]; cum quo testamentum pacis statuit suæ; ut sit ei et filiis ejus in progeniem æternam.

II. Habes igitur hæredem divinæ benedictionis, consortem gratiæ, participem justitiæ. Sed vide, quæso, ne iste noster Noë agricola, bonus plantator feracis vineæ, cum fuerit amoris et gratiæ tuæ inebriatus poculo, tanquam crapulatus a vino, diutius quieti indulgeat : ac si forte indormierit, excitet eum Sem nostri desiderium.

III. Est et ibi Japheth junior ex fratribus, qui pietatis reverentia patrem induat, quem pater et dormiens videat[3], nec unquam de pectore dimittat suo, quin semper oculis et complexu teneat, atque evigilans intelligat, quæ ei fecerit filius suus junior. Qui latitudo latine dicitur, eo quod in labiis ejus diffusa gratia sit, et in moribus; propter quod benedixit eum Dominus, quia ipse tanquam Bononiam retrorsum rediens patrem texit pio charitatis velamine, et detulit pietati honorem[4], de quo et pater ait : « Lætificet » Deus Japheth in domibus Sem[5]. » Unde et in enumeratione generationum præfertur seniori fratri, in benedictione substituitur : præfertur propter honorem nominis, substituitur propter prærogativam senioris ætatis, et honorificentiam naturæ debitam.

IV. Sem autem dicitur latine nomen. Et bene hîc noster Ambrosius bonum nomen, in cujus domibus dilatetur Japheth; « Quia potius est nomen bonum super multas di-

[1] Gen. VIII, 11, et seqq. — [2] Gen. IX, 1 et 9. — [3] Ibid. 23. — [4] Ibid. 26, 27. — [5] Id. X, 1, et seqq.

» vitiarum copias[1]. » Sit ergo et iste benedictus, et gratia ejus super aurum et argentum, sit in portione ejus semen Abrahæ, sit benedictio omnis in posteritate, et omni familia justi viri. Sed maledictus nemo, benedicti omnes; benedictus enim Sarræ fructus.

V. Salutant te Ambrosii, salutat Parthenius dulcissimus, salutat Valentinianus paratus ad humilitatem; quod hebraïce Chanaan dicitur, quasi puer fratris sui, cui et nomine suo cessit. Et ideo tanquam Nembroth gemini gigas nominis, venator egregius super terram, de quo dictum est : « Tanquam Nembroth gigas venator ante Dominum[2]. » Namque ingenio subrusticus, viribus validus, quos ingenio æquare non potest, viribus superat; ut Comacinas rupes gestare secum, et faciem, tauro propior, vultu videatur exprimere, posthabitum se indignatus, et paterno exutum vocabulo, metropolitanum virum Bononiensi subditum; quia infantiæ nescit blanditias, et de nutricis gremio se illæsus excussit. Vale, et nos dilige, quia nos te diligimus.

[1] Prov. XXII, 1. — [2] Gen. X, 9.

EPISTOLA LVI[1].

Dolet Ambrosius contentionibus Evagrii ac Flaviani Capuanum concilium finem afferre non potuisse. Flavianum, quod imperatori preces obtulerit, incusat: sed ita tamen ut hoc ipsius juri nolit officere. Postremo Theophilum quomodo judicium hoc a Capuana synodo illi commissum exerceat, monet; ut ea de re imprimis ad Romanum pontificem referat suadens.

Ambrosius Theophilo.

I. Non habet quod urgeat Evagrius (27), et habet quod metuat Flavianus, ideoque refugit examen. Dent fratres veniam dolori justo; quia propter ipsos universus orbis concutitur, et illi tamen nostro non compatiuntur dolori. Perstringi saltem se æquanimiter ferant ab iis, quos vident sua per tantorum curricula temporum vexari intentione. Inter hos etenim duos nihil, quod ad Christi pacem pertineat, eligentes gravis toto orbe stabat discordia.

III. Cui bonæ pacis naufragio sancta synodus Capuensis tandem obtulerat portum tranquillitatis; ut omnibus per totum Orientem daretur communio catholicam confitentibus fidem, et duobus istis Tuæ Sanctitatis examen impertiretur, fratribus et consacerdotibus nostris Ægyptiis pariter considentibus; quia hoc verum judicium futurum arbitrati sumus, quod neutri patri sociata communione, aliquo favore propenderet.

[1] Scripta ann. 392.

III. Cum ex his igitur æquissimis synodi constitutis speraremus jam remedium datum, finemque allatum discordiæ, scribit Sanctitas Tua iterum fratrem nostrum Flavianum ad precum auxilia, et imperialium rescriptorum suffragia remeavisse. Frustra ergo tantorum sacerdotum fusus labor, iterum ad hujus sæculi judicia revertendum, iterum ad rescripta, iterum vexabuntur sacerdotes senes, transfretabunt maria, iterum invalidi corpore patriam peregrino mutabant solo, iterum sacrosancta altaria deserentur, ut in longinqua proficiscamur, iterum pauperum turbæ episcoporum, quibus ante onerosa paupertas non erat, externæ opis egentes, compellentur inopiam gemere, aut certe victum inopum itineris usurpare.

IV. Interea solus exlex Flavianus, ut illi videtur, non venit, quando omnes convenimus. Fœnerator et debitor invicem sibi occurrunt, isti sibi non possunt occurrere : solus exsors Flavianus, ut ipse vult, sacerdotalis consortii, qui nec imperialibus decretis, nec sacerdotum conventui præsentiam faciat sui.

V. Nec tamen etiam hoc moti dolore, fratri Evagrio donamus speciem bonæ causæ, qui eo defensabilior sibi videtur, quod eum refugit Flavianus, aut quod habere se alterum arbitratur æqualem, uterque alienæ magis ordinationis vitiis, quam suis fretus. Quos tamen nos in meliorem vocamus viam; ut malimus eos suis potius bonis, quam alieno vitio defendi.

VI. Qua de re quoniam propriis texuisti litteris posse typum reperiri aliquem, quo possit auferri fratrum discordia; cum sancta Synodus cognitionis jus unanimitati tuæ, cæterisque ex Ægypto consacerdotibus nostris commiserit : iterum oportet fratrem nostrum Flavianum convevias; ut si in eo perseveraverit, quo veniendum non putet, salvis concilii Nicæni, sed etiam synodi Capuensis statutis,

illibata pace universorum ita consulas, ut non videamur destruere quod ædificatum est: « Si enim quod ædificavi, » destruo, prævaricatorem me ipse constituo; ac si quæ » destruxi, iterum ædificem[1]. » Servetur ergo impertitæ pacis gratia inter universos, et nihilominus declinatio partis alterius frustrandi effectum habere non possit.

VII. Sane referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ (28); quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Ita enim utile erit consultum sententiæ, ita pacis et quietis securitas; si id vestro statuatur consilio, quod communioni nostræ dissensionem non afferat; ut nos quoque, accepta vestrorum serie statutorum, cum id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubie comprobaverit, læti fructum hujusmodi examinis adipiscamur.

EPISTOLA

DE CAUSA BONOSI EX CAPUANÆ SYNODI DECRETO JUDICANDA.

Sciscitantibus quid in Bonosi causa esset statuendum respondet auctor suum jam non esse de illa judicium, sed eorum ipsorum, utpote quibus illud a Capuano consessu demandatum sit. Addit tamen Bonosum merito reprehensum de Mariæ filiis, eique unicum fuisse paucis astruit.

I. De Bonoso direxistis episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluis-

[1] Galat. II, 18.

tis. Sed cum hujusmodi fuerit concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur; et præcipue Macedones, qui cum episcopo Thessalonicensi, de ejus factis vel scriptis cognoscerent, advertimus quod nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, recte de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi, vel accusatoribus, vel accusato copiam dare; vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit.

II. Denique cum Bonosus episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere atque ingredi; responsum est ei, quod nihil temerandum foret, sed omnia modeste, patienter, ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid; ut quod videretur vobis justitiæ convenire, statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideo primum est, ut ii judicent quibus judicandi facultas est data; vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis; nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.

III. Sane non possumus negare de Mariæ filiis jure reprehensum, meritoque vestram sanctitatem abhorruisse, quod ex eodem utero virginali, ex quo secundum carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus Jesus nasci per virginem, si eam judicasset tam incontinentem fore, ut illud genitale Dominici corporis, illam aulam regis æterni, concubitus humani seminis coinquinaret. Qui enim hoc astruit, nihil aliud nisi perfidiam Judæorum astruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex Virgine. Jam si hanc accipiant a Sacerdotibus auctoritatem, ut videatur Maria partus fudisse pluri-

mos, majore studio veritatem fidei expugnare contendent.

IV. Et ubi est illud, quod scriptum est, dicente Domino ad matrem de Joanne evangelista : « Mulier, ecce » filius tuus ; » et rursus ad Joannem de Maria : « Ecce » mater tua[1] ? » Quid sibi istud vult, quod cum in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronuntiavit etiam de integritate materna ? Aut quid aliud dicitur, nisi ut claudat sua ora perfidia, et obmutescat ; ne matrem Domini aliquo audeat temerare convicio? Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor, quod desponsata fuerit viro tantummodo Joseph ; nulla tamen conjugalis coïtus consuetudine thori jura cognoverit : neque enim eam suscepturam ex Joseph filios a viri consortio separare voluisset[2].

V. Sed si hoc parum est, addidit testimonium Evangelista, dicens quod « Suscepit eam Discipulus in sua[3]. » Numquid ergo divortium fecit? Numquid a viro abduxit atque abstulit? Ergo qui hoc legit in Evangelio, quomodo quasi naufragus titubat et fluctuat?

VI. Hoc ergo testamentum filii est de matris integritate, hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas, hic totius finis consummationis. Denique hoc dixit, et « Emisit spiri» tum[4], » consummans omne mysterium bono fine pietatis.

VII. Legimus etiam et omnia percurrimus, vel de eo quod fratri nostro et coepiscopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, unde vestræ normam expectamus sententiæ.

[1] Joan. XIX, 26, 27. — [2] Matth. I, 18. — [3] Joan. XIX, 27. — [4] Ibid. 30.

EPISTOLA LVII[1].

Eugenio cur eum Mediolani non expectaverit, explicat: deinde iis quæ sub Valentiniano et Theodosio relationis Symmachi occasione facta fuerant, recensitis, eumdem tyrannum quod sumptus idolorum templis concedendo, nec Dei timorem, nec aliorum de se existimationem ante oculos habuerit, libere arguit; oppositoque ipsius prævaricationi Hebræorum exemplo, hanc ait fuisse causam cur ad eum non rescripserit; se tamen in posterum libertate, quam apud alios principes adhibuerit, cum eodem usurum.

Clementissimo imperatori Eugenio Ambrosius episcopus.

I. Secessionis (30) mihi causa timor Domini fuit, ad quem omnes actus meos, quantum queo, dirigere, neque unquam ab eo mentem deflectere, nec pluris facere cujusvis hominis, quam Christi gratiam consuevi. Nemini enim facio injuriam, si omnibus Deum præfero; et confidens in ipso, non vereor vobis imperatoribus dicere, quæ pro meo captu sentio. Itaque quod apud alios imperatores non tacui, nec apud te, clementissime Imperator, tacebo. Atque ut ordinem rerum custodiam, strictim recensebo, quæ ad hoc spectant negotium.

II. Retulerat vir amplissimus Symmachus, cum esset præfectus Urbis, ad Valentinianum augustæ memoriæ imperatorem juniorem, ut templis, quæ sublata fuerant,

[1] Scripta sub finem ann. 392. vel initium 393.

reddi juberet. Functus est ille partibus suis pro studio et cultu suo. Utique etiam ego episcopus partes meas debui recognoscere. Dedi libellos imperatoribus duos, quibus significarem sumptus sacrificiorum christianum virum non posse reddere : et non fuisse quidem me auctorem, cum tollerentur ; auctorem tamen fieri, quominus decernerentur : deinde quia dare eos ipse simulacris videretur, non reddere. Quod enim ipse non abstulerat, non quasi ipse reddebat : sed arbitratu proprio largiebatur ad superstitionis impensas. Postremo si fecisset, aut non veniret ad Ecclesiam, aut si veniret, futurum ut aut sacerdotem non inveniret, aut inveniret sibi in Ecclesia resistentem. Nec ad excusationem obtendi posse, quod esset catechumenus ; cum non liceat etiam catechumenis sumptus idolis subministrare.

III. Lecti sunt libelli mei in consistorio, aderat amplissimus honore magisterii militaris Bauto comes (31), et Rumoridus, et ipse ejusdem dignitatis gentilium nationum cultui inserviens a primis pueritiæ suæ annis. Valentinianus tunc temporis audivit suggestionem meam, nec fecit aliud, nisi quod fidei nostræ ratio poscebat. Acquieverunt etiam comiti suo.

IV. Postea etiam clementissimo imperatori Theodosio coram intimavi, atque in os dicere non dubitavi, cui intimata senatus legatione hujusmodi, licet non totus senatus poposcerit, insinuationi meæ tandem assensionem detulit, et sic aliquibus ad ipsum non accessi diebus, nec moleste tulit ; quia non pro meis commodis faciebam, sed quod et ipsi, et animæ meæ proderat, in conspectu regis loqui non confundebar[1].

V. Iterum Valentiniano augustæ memoriæ principi (32), legatio a senatu missa intra Gallias, nihil extorquere po-

[1] Psal. CXVIII, 46.

tuit: et certe aberam, nec aliquid tunc ad eum scripseram.

VI. Sed ubi clementia tua imperii suscepit gubernacula, compertum est postea donata illa esse præcellentibus in republica, sed gentilis observantiæ viris; et fortasse dicatur, Imperator auguste, quia ipse non templis reddideris, sed bene meritis de te donaveris. Verum nosti pro Dei timore agendum esse constanter, quod etiam pro libertate frequenter fit non solum a sacerdotibus; sed etiam ab his qui vobis militant, aut in numero habentur provincialium. Te imperante, petierunt legati, ut templis redderes, non fecisti: iterum alteri postulaverunt, renisus es; et postea ipsis, qui petierunt, donandum putasti.

VII. Etsi imperatoria potestas magna sit, tamen considera, Imperator, quantus sit Deus: corda omnium videt, conscientiam interiorem interrogat, novit omnia, antequam fiant, novit interna pectoris tui[1]. Ipsi falli vos non patimini, et Deum vultis celare quidquam? Hoc non cecidit in animum tuum? Quamvis enim illi agebant tam perseveranter, nonne tuum fuit, Imperator, pro Dei summi et veri et vivi veneratione perseverantius obsistere, et negare, quod erat in injuria sacræ legis?

VIII. Quis invidet, quoniam quæ voluisti, aliis donavisti? Non sumus scrutatores vestræ liberalitatis, nec aliorum commodorum invidi; sed sumus interpretes fidei. Quomodo offeres dona tua Christo? Pauci æstimabunt quid feceris; omnes, quid volueris: quidquid illi fecerint, tuum erit: quidquid non fecerint, suum. Etsi es imperator, Deo subditus magis esse debes. Quomodo sacerdotes Christi tua munera dispensabunt?

IX. Fuit hujusmodi quæstio temporibus superioribus; et tamen fidei patrum ipsa cessit persecutio, et gentilitas detulit. Nam cum ageretur agon quinquennalis in civitate

[1] Act. I, 24, et Dan. XIII, 42.

Tyro (3), et ad spectandum venisse Antiochiæ rex sceleratissimus, Jason ordinavit sacrorum procuratores[1], ut ab Hierosolymis Antiochenses ferrent didrachmas argenti trecentas, et illas darent ad sacrificium Herculis : verum patres non gentilibus dederunt pecunias, sed viris fidelibus missis, protestarunt non erogari ad deorum sacrificium, quia non congruebat, sed in alios sumptus dari. Et pronuntiatum est, quia ille ad sacrificium Herculis missum dixerat argentum, suscipi quidem debere in id, quod erat missum : sed quia illi, qui detulerant, resistebant pro studio et cultu suo; ut non sacrificio proficerent, sed aliis necessitatibus, traditæ sunt pecuniæ ad constructionem navium : etsi coacti miserunt, non tamen ad sacrificium, sed ad alios sumptus reipublicæ.

X. Denique qui attulerant, utique potuissent tacere : sed lædebant fidem, quia sciebant quo deferrentur; et ideo miserunt viros timentes Deum, qui agerent, ut non templo, sed ad impensas navium, quæ missa fuerant, deputarentur. Ipsis enim crediderunt pecunias, qui causas agerent sanctæ legis : judex rerum effectus fuit, qui absolvit conscientiam. Si positi in aliena potestate, sic præcavebant; quid te oportuerit facere, o Imperator, dubitari non potest. Tu utique quem nemo cogebat, nemo habebat in potestate, debuisti ab sacerdote consulere.

XI. Ego certe quando tunc restiti, etsi solus restiti, tamen non solus volui, nec solus id suasi. Quoniam igitur meis vocibus et apud Deum et apud omnes homines teneor; aliud mihi non licere intellexi, aliud non oportere, nisi ut consulerem mihi; quia non potui tibi credere modeste. Certe diu pressi, diu texi dolorem, nulli quidquam intimandum putavi; dissimulare mihi nunc non licet, tacere liberum non fuit. Ideo etiam in primordiis

[1] 2 Mach. IV, 18, et seqq.

imperii tui scribenti non rescripsi, quia istud prævidebam futurum. Denique reposcenti litteras, cum ipse non rescriberem, dixi: Hæc causa est, quod extorquendum ei arbitror.

XII. Tamen ubi causa emersit officii mei, pro his qui sollicitudinem sui gerebant, et scripsi et rogavi; ut ostenderem in causis Dei timorem mihi justum inesse, nec pluris me facere adulationem, quam animam meam: in his vero, in quibus vos rogari decet, etiam me exhibere sedulitatem potestati debitam, sicut et scriptum est: « Cui » honorem, honorem: cui tributum, tributum[1]. » Nam cum privato detulerim corde intimo, quomodo non deferrem imperatori? Sed qui vobis deferri vultis, patimini ut deferamus ei, quem imperii vestri vultis auctorem probari.

EPISTOLA LVIII[2].

Paulini et Therasiæ post distributas egenis suas facultates secessum narrat, nec non futuras ob eam causam paganorum criminationes, quorum superstitionem ac cæcitatem luget. Tum nihil pro religione turpe ducendum exemplis probans, saltationem Davidis, Eliæque nuditatem mystice explicat, et defendit.

Ambrosius Sabino episcopo.

I. Paulinum splendore generis in partibus Aquitaniæ (33) nulli secundum, venditis facultatibus tam suis,

[1] Rom. XIII, 7.— [2] Scripta circa ann. 393.— [3] Vide D. Guillon, tom. IX, p. 379.

quam etiam conjugalibus, in hos sese induisse cultus ad fidem comperi; ut ea in pauperes conferat, quæ redegit in pecuniam: et ipse pauper ex divite factus, tanquam deoneratus gravi sarcina, domui, patriæ, cognationi quoque valedicat, quo impensius Deo serviat. Elegisse autem secretum affirmatur Nolanæ urbis, ubi tumultum fugitans ævum exigat.

II. Matrona quoque virtuti et studio ejus proxime accedit, neque a proposito viri discrepat. Denique transcriptis in aliorum jura suis prædiis, virum sequitur, et exiguo illic conjugis contenta cespite solabitur se religionis et charitatis divitiis. Soboles eis nulla (34), et ideo meritorum posteritas desiderata.

III. Hæc ubi audierint proceres viri (35), quæ loquentur? Ex illa familia, illa prosapia, illa indole, tanta præditum eloquentia migrasse a senatu, interceptam familiæ nobilis successionem, ferri hoc non posse. Et cum ipsi capita et supercilia sua radant, si quando Isidis suscipiunt sacra (36); si forte christianus vir attentior sacrosanctæ religioni, vestem mutaverit, indignum facinus appellant.

IV. Equidem doleo tantam esse in mendacio observantiam, in veritate negligentiam; ut confundantur plerique attentiores ad sacrosanctam religionem videri, non considerantes vocem dicentis: « Qui me confusus fuerit coram » hominibus, confundar et ego eum coram Patre meo, qui » est in cœlis[1]. » Sed non confusus est Moyses, qui cum esset ascitus in domum regiam, thesauris Ægypti opprobrium Christi præferendum putavit. Non confusus est David, qui ante Arcam testimonii coram omni populo saltavit[2]. Non confusus est Esaïas, qui nudus et discalceatus ibat per populos, oracula clamans cœlestia[3].

V. Quid utique tam deforme visibili spectaculo, quam

[1] Marc. VIII, 38. — [2] 2 Reg. VI, 20. — [3] Isaï. XX, 2.

histrionicos sinuare gestus, et fœmineo usu mollire membra? Deliciarum comes et luxuriæ ludibrium est lasciva saltatio. Quid illud quod ipse cecinit dicens: « Omnes » gentes, plaudite manibus[1]? » Nempe si corporalia consideremus, tanquam muliebribus intermixtum choreis putamus eum concrepare manibus, et turpi sono plaudere. Nam et de Ezechiel dictum est: « Plaude manu, et percute » pede[2]. »

VI. Sed hæc quæ corporeo aspectu fiunt turpia, sacrosanctæ religionis contemplatione reverenda sunt; ut qui ista reprehendunt, ipsi in laqueos reprehensionis animas suas inducant. Denique reprehendit Michol saltantem David, et ait ad eum: « Quid honorificatus est hodie rex » Israël; quia denudatus est hodie ante oculos puellarum » suarum? » Et respondit ei David: « Coram Domino lu- » dam, qui elegit me pro patre tuo, et pro universa domo » ejus, ut constitueret me regem super populum suum » Israël. Et ludam coram Domino, et denudabor adhuc » sic, et ero nugax ante oculos tuos, et cum puellis, quibus » dixisti me denudatum, honorificabor[3]. »

VI. Non erubuit igitur David fœmineas opiniones, nec opprobria apud mulieres subire pro religionis obsequio verecundatus est. Ludebat enim Domino puer suus; et ideo amplius placuit, quia ita se humiliavit Deo, ut regale posthaberet fastigium, et ultimum exhiberet Deo quasi servulus ministerium. Denique illa quæ saltationem hujusmodi reprehendit, sterilitatis damnata, non dedit sobolem regiam, ne superbos crearet: et quod verum est, nullam est adepta posteritatis suæ meritorumque successionem.

VIII. Quod si quis adhuc dubitat, accipiat Evangelicum testimonium; dixit enim Dei Filius: « Cantavimus

[1] Psal. XLVI, 2. — [2] Ezech. VI, 11. — [3] 2 Reg. VI, 20, et seqq.

» vobis, et non saltastis [1]. » Derelicti sunt itaque Judæi, qui non saltaverunt, qui nescierunt manibus suis plaudere : ascitæ sunt gentes, quæ spiritalem Deo plausum dederunt. « Stultus enim complexus est manus suas, et » devoravit viscera sua [2], » id est, corporalibus se implicavit negotiis, et devoravit viscera sua, sicut mors prævalens; et ideo non inveniet vitam æternam : sapiens autem attollens opera sua, ut lucerent coram Patre suo, qui in cœlis est [3]; non absumpsit, sed elevavit viscera sua usque ad resurrectionis gratiam. Hæc gloriosa sapientis saltatio, quam saltavit David; et ideo usque ad sedem Christi sublimitate spiritalis saltationis ascendit, ut videret atque audiret dicentem Dominum Domino suo : « Sede » a dextris meis [4]. »

IX. Ergo si non absurde cecidisse nobis hanc de saltatione interpretationem judicas, non supersedeas adhuc lectionis labore; ut etiam de Esaïa mecum recenseas, quod bene tibi cognitum est illum non ludibriose, sed gloriosissime denudatum esse in conspectu populorum occursantium, ut pote qui oracula Domini ore proprio resultabat [5].

X. Sed forte aliquis dicat : Non igitur erat turpe, ut vir nudus per omnia iret per populos; cum ei et virilis sexus et muliebris occurreret? Non ipsa species offendebat oculos omnium, et maxime mulierum? Nonne ipsi nos inspicere nudos plerumque reveremur? Denique idcirco indumentis operiuntur genitalia hominum, ne deformi visu obtutum, aciemque perstringant oculorum intuentium.

XI. Acquiesco et ego : sed considera quæ figura sit facti hujus, quidve prætendat species hujusmodi; eo quod ita nudi ambulabunt pueri Judæorum et virgines in capti-

[1] Matth. xi, 17. — [2] Eccle. iv, 5. — [3] Matth. v, 16. — [4] Psal. cii, 1. — [5] Isaï. xx, 2.

vitatem deducti : « Sicut puer, inquit, meus Esaïas, va»dit nudus et excalceatus[1]. » Potuit quidem hoc et sermone exprimere, sed exemplo acerbare maluit; ut species ipsa plus incuteret horroris, et quod in Prophetæ corpore aversabantur, in se pertimescerent. In quo igitur horror gravior turpitudinis, in corpore Prophetæ, an in perfidorum peccato, quod tantam meritis suis ærumnam incidit captivitatis?

XII. Quid si in prophetico corpore nihil opprobrii? Ille enim corporalibus non intendebat, sed spiritalibus. Namque in excessu mentis non dicit : « Audiam » quid loquar; sed, « quid loquatur in me Deus[2]. » Neque attendit utrum nudus, an vestitus sit. Denique Adam ante peccatum nudus erat, sed nudum se nesciebat[3]; quia erat indutus virtutibus[4] : posteaquam vero peccatum commisit, nudum se esse vidit, et texit. Noë nudatus erat, sed non erubescebat[5]; quia erat plenus jucunditatis, et spiritalis lætitiæ. Denique qui eum risit ut nudum, ipse mansit perpetuæ obnoxius opprobrio turpitudinis. At vero Joseph ne turpiter nudaretur, vestem reliquit, et nudus aufugit[6]. Quis igitur turpis, illa quæ vestem alienam tenuit, an is qui suam exuit?

XIII. Sed ut plenius liqueat quia non se, neque ea quæ juxta pedes sunt, Prophetæ aspiciunt, sed cœlestia; lapidabatur Stephanus, et videbat cœlos apertos, et Jesum ad dexteram Dei stantem[7] : et ideo lapidum ictus non sentiebat, corporis non considerabat vulnera; sed oculis erat Christo affixus, illi adhærebat. Ergo et Esaïas nudum se non conspicabatur[8], sed divinæ vocis organum se præbebat; ut promeret quod in eo loquebatur Deus.

[1] Isaï. xx, 3. — [2] Psal LXXXIV, 9. — [3] Gen. II, 25. — [4] Id. II, 25. — [5] Id. III, 7. — [6] Id. XXXIX, 12. — [7] Act. VII, 55. — [8] Isaï. xx, 2.

XIV. Sed esto ut se videret, poterat non facere quod jubebatur? Poterat turpe arbitrari, quod imperabat Deus? Sara quia risit, incredulitatis coarguta est[1] : Abraham laudatus; quia in verbo Dei non hæsitavit[2] : et donatus remuneratione maxima; quia jubente Deo pie posse fieri credidit etiam parricidium (37).

XV. Hic igitur quid verecundiæ esset Prophetæ, ubi aliud gerebatur, et aliud figurabatur? Judæi propter flagitia sua destituti a Domino Deo, cœperant vinci ab adversariis suis, conferre se volebant ad Ægyptios; ut sibi essent præsidio adversum Assyrios, qui redire magis ad fidem, si boni consulerent, debuissent. Iratus Dominus significat vanam illos spem gerere, qui offensam Domini putarunt majore peccato levandam; cum illi ipsi vincendi forent, in quorum auxiliis populus Judæorum confideret : hoc secundum historiam.

XVI. Figura autem illa, quia in Ægyptiis confidit qui luxuriis deditus est, mancipatus lasciviæ. Nemo autem se luxui committit, nisi qui recedit a præceptis Dei veri. Ubi autem cœperit quis luxuriari, incipit deviare a fide vera. Ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis, et mentis sacrilegia. Ergo qui non sequitur Dominum Deum suum, ingurgitat se luxuriæ ac libidini, pestiferis corporis passionibus. Qui autem se ingurgitaverit atque immerserit hujusmodi volutabris, perfidiæ laqueos incurrit : « Sedit » enim populus manducare et bibere[3], » et fieri sibi Deos poposcit. Unde docet Dominus quoniam qui duobus istis flagitiorum generibus dederit animam suam, exuitur indumento, non vestis laneæ, sed vividæ virtutis; cujus amictus non temporalis, sed æternus est. Vale, et nos dilige, quia nos te diligimus.

[1] Gen. XVIII, 2. — [2] Id. XV, 6, et XXII, 23, et seqq. — [3] Exod. XXXII, 6.

EPISTOLA LIX[1].

Nuntiato Jacobi presbyteri secessu ex Perside in Campaniam, hujus plagæ tranquillitatem laudat, tumultus quibus Mediolanum agitabatur, illi opponens.

Ambrosius Severo episcopo (38).

I. Ex ultimo Persidis profectus sinu Jacobus frater et compresbyter noster, Campaniæ sibi ad requiescendum littora, et vestras elegit amœnitates. Advertis quibus in locis quasi ab hujus mundi vacuam tempestatibus suppetere sibi posse præsumpserit securitatem, ubi post diuturnos labores reliquum vitæ exigat.

II. Remota enim vestri ora littoris non solum a periculis, sed etiam ab omni strepitu tranquillitatem infundit sensibus, et traducit animos a terribilibus, sævis curarum æstibus ad honestam quietem; ut illud commune omnium specialiter vobis videatur congruere et convenire, quod ait David de sancta Ecclesia : « Ipse super maria fundavit » eam, et super flumina præparavit eam[2]. » Etenim liber animus a barbarorum incursibus, et præliorum acerbitatibus, vacat orationibus, inservit Deo, curat ea quæ sunt Domini, fovet illa quæ pacis sunt et tranquillitatis.

III. Nos autem objecti barbaricis motibus, et bellorum procellis, in medio versamur omnium molestiarum freto, et pro his laboribus et periculis graviora colligimus futuræ vitæ pericula. Unde de nobis propheticum illud concinere videtur : « Pro laboribus vidi tabernacula Æthiopum[3]. »

[1] Scripta circa ann. 393. — [2] Psal. xxiii, 2. — [3] Habac. iii, 7.

IV. Etenim in istius mundi tenebris, quibus obumbratur veritas futuræ perfectionis; cum annum tertium et quinquagesimum jam perduxerim in hoc corpore situs, in quo tam graves jamdudum sustinemus gemitus, quomodo non in tabernaculis Æthiopum tendimus, et habitamus cum habitantibus Madian[1]? Qui propter tenebrosi operis conscientiam dijudicari etiam ab homine mortali reformidant: « Spirialis enim dijudicat omnia, ipse autem a nemine dijudicatur[2]. » Vale, frater, et nos dilige, ut facis, quia nos te diligimus.

EPISTOLA LX[3].

Paternum filio neptem ex filia uxorem tradere cogitantem a proposito ipsa nominum consideratione deterret. Id Legi divinæ congruum negat, itemque pietati, ac Cæsareis constitutionibus : tum solutis quibusdam objectiunculis, easdem nuptias non expedire confirmat.

Ambrosius Paterno.

I. Paterni quidem unanimi mei salutationem legi, sed consultationem haudquaquam paternam; ut velis filio neptem copulare ex filia : sed nec avo te, nec patre dignam. Itaque quid consulueris, considera; omne enim quod agere volumus, prius nomen facti ejus interrogemus, et tunc utrum laude an vituperatione dignum sit, æstimabimus. Verbi gratia, misceri mulieri quibusdam voluptas est, medicorum etiam pueri corporibus utile ferunt : sed

[1] Psal. CXIX, 5. — [2] 2 Cor. II, 15. — [3] Scripta circa ann. 393.

considerandum utrum conjugi, an extraneæ; deinde nuptæ, an innuptæ. Si quis desponsata sibi et tradita utatur, conjugium vocat : qui alienæ expugnat pudorem, adulterium facit, cujus vel solo nomine reprimitur plerumque tentandi audacia. Hostem ferire victoria est, reum æquitas, innocentem homicidium : quod si quis perspiciat animo, revocat manum. Ergo etiam tu quid consulas, quæso tecum retractes.

II. Conjugium vis inter filios nostros componere. Quæro utrum pares copulandi, an impares sint ? Sed, nisi fallor, compares appellari solent. Boves qui jungit ad aratrum, equos ad currum, pares eligit, et ut ætas conveniat et forma, nec natura discrepet, nec decoloret diversitas[1]. Tu copulare paras filium tuum, et neptem ex filia, hoc est, ut accipiat sororis suæ filiam, diversa licet matre quam socrus editus. Interrogata nominum religionem : nempe avunculus iste illius, illa hujus neptis vocatur (39). Nec ipse te revocat sonus nominum ; cum hic avum resonet, illa hoc nomen ad avunculum, quod ad avum referat? Quanta deinde etiam reliquorum confusio vocabulorum? Idem avus et socer vocabere, ea quoque tibi neptis et nurus diverso nomine nuncupabitur. Mutuabuntur etiam fratres diversa vocabula, ut illa socrus fratris sit, iste gener sororis. Nubat avunculo suo neptis, et immaculatorum pignorum charitas illecebroso amore mutetur.

III. Super hoc igitur meam a sancto viro episcopo vestuo expectari sententiam dicis. Non opinor, neque arbitror. Nam si ita esset, et ipse scribendum putasset : non scribendo autem significavit quod nequaquam hinc dubi-

[1] Mss. aliquot, *discopulet*, *nec discoloret*. Non absurde monet Nannius Ambrosium allusisse ad illud Ovidii :

Quam male inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.

tandum arbitraretur. Quid enim est, quod dubitari queat; cum Lex divina etiam patrueles fratres (40) prohibeat convenire in conjugalem copulam, qui sibi quarto sociantur gradu? Hic autem gradus tertius est, qui etiam civili jure a consortio conjugii exceptus videtur.

IV. Sed prius sacræ legis scita interrogemus; prætendis enim in tuis litteris, quod permissum hoc divino jure connubium hujusmodi pignoribus existimetur, eo quod non sit prohibitum. Ego autem et prohibitum assero; quia cum leviora interdicta sint de patruelibus fratribus, multo magis hoc quod actioris est plenum necessitudinis, interdictum arbitror. Qui enim leviora astringit, graviora non solvit, sed alligat.

V. Quod si ideo permissum putas, quia specialiter non est prohibitum; nec illud prohibitum sermone Legis reperies, ne pater filiam suam accipiat uxorem. Numquid ideo licet, quia non est prohibitum? Minime; interdictum est enim naturæ jure, interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum: interdictum est inviolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis. Quanta hujusmodi invenies non esse interdicta Lege per Moysen edita, et tamen interdicta sunt quadam voce naturæ?

VI. Multaque sunt, quæ licet facere, sed non expedit; omnia enim licent, sed non expediunt: omnia licent, sed non ædificant[1]. Si ergo etiam ab iis nos revocat Apostolus, quæ non ædificant; quomodo faciendum putamus, quod et non licet Legis oraculo, et non ædificat, discrepante pietatis ordine? Et tamen illa ipsa vetera, quæ fuerant duriora, temperata sunt per Evangelium Domini Jesu: « Transierunt vetera, ecce facta sunt nova[2]. »

VII. Quid tam solemne quam osculum inter avunculum et neptem (41), quod iste quasi filiæ debet, hæc quasi

[1] Cor. VI, 12. — [2] 2 Cor. V, 17.

parenti? Hoc igitur inoffensæ pietatis osculum suspectum facies de talibus cogitando nuptiis, et religiosissimum sacramentum charis pignoribus eripies.

VIII. Sed si divina te prætereunt, saltem imperatorum præcepta, a quibus amplissimum accepisti honorem (42), haudquaquam præterire te debuerunt. Nam Theodosius imperator etiam patrueles fratres et consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, et severissimam pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora; et tamen illi invicem sibi æquales sunt: tantum modo quia propinquitatis necessitudine, et fraternæ societatis ligantur vinculo, pietati eos voluit debere, quod nati sunt.

IX. Sed dicis alicui relaxatum. Verum hoc legi non præjudicat; quod enim in commune statuitur, ei tantum proficit, cui relaxatum videtur, longe diversa invidia. Illud tamen licet in Veteri Testamento legimus, ut aliquis uxorem suam sororem diceret; istud inauditum, ut quisquam neptem suam in uxorem accipiat, et conjugem dicat.

X. Jam illud pulcherrimum, quod negasti neptem tuam avunculo suo tuo filio propinquo semini convenire; quia non agnationis copuletur necessitudine. Quasi vero et uterini fratres, id est, diverso patre, sed eadem matre geniti, possint diverso sexu inter se in conjugium convenire; cum et ipsi agnationis jus habere non queant, sed cognationis tantum sibi titulo connexi sint.

XI. Unde oportet ab ea discedas intentione, quæ etiam si liceret, tamen tuam familiam non propagaret; debet enim tibi filius noster nepotes, debet etiam neptis charissima pronepotes. Vale cum tuis omnibus.

EPISTOLA LXI[1].

Cur Mediolano secesserit, ac mature eodem redierit, declarato, gratiisque Deo propter opem Theodosio præstitam actis, voluntati ejusdem principis obsecuturum se pollicetur. Cujus pietatem summe commendans, ut clementia utatur, petit.

Ambrosius Theodosio imperatori.

I. Arbitratus es, beatissime Imperator, quantum ex augustis litteris tuis comperi[2], me longe abesse ab urbe Mediolanensium; quia res tuas crederem a Deo destitui. Sed non ego ita imprudens, aut virtutis et meritorum tuorum immemor abfui, ut non præsumerem cœleste auxilium pietati tuæ affore, quo Romanum imperium a barbari latronis immanitate, et ab usurpatoris indigni solio vindicares.

II. Festinavi igitur illico reverti, posteaquam illum, quem jure declinandum putaveram, jam abesse cognovi, non enim ego Ecclesiam Mediolanensem dereliqueram Domini judicio mihi commissam : sed ejus vitabam præsentiam, qui se sacrilegio miscuisset. Redii itaque circiter Kalendas Augustas, ex illo die hîc resedi. Hîc me, Auguste, clementiæ tuæ apices repererunt.

III. Gratias Domino Deo nostro, qui fidei tuæ pietatique respondit; et formam veteris restituit sanctitatis; ut videremus nostro tempore, quod in Scripturarum lectione miramur, tantam in præliis divini auxilii fuisse præsentiam, ut nulli vertices montium adventus tui cursum retarda-

[1] Scripta circa ann. 394. — [2] Vide D. Guillon, tom. IX, p. 374.

rent, non hostilia arma impedimentum aliquod afferrent.

IV. Pro his gratias me censes agere oportere Domino Deo nostro : faciam libenter conscius meriti tui. Certum est placitam Deo esse hostiam, quæ vestro offertur nomine, et hoc quantæ devotionis et fidei est? Alii imperatores in exordio victoriæ arcus triumphales parari jubent, aut alia insignia triumphorum : clementia tua hostiam Deo parat, oblationem et gratiarum actionem per sacerdotes celebrari Domino desiderat.

V. Etsi ego indignus atque impar tanto muneri, et tantorum votorum celebritati; tamen quid fecerim scribo. Epistolam pietatis tuæ mecum ad altare detuli, ipsam altari imposui, ipsam gestavi manu, cum offerrem sacrificium; ut fides tua in mea voce loqueretur, et apices Augusti sacerdotalis oblationis munere fungerentur.

VI. Vere Dominus propitius est imperio Romano; quandoquidem talem principem, et parentem principum elegit, cujus virtus et potestas in tanto imperii constituta culmine triumphali, tanta sit humilitate subnixa, ut virtute imperatores, humilitate vicerit sacerdotes. Quid exoptem? quidve desiderem? Omnia habes : ex tuis itaque summam votorum capessam, pius es, Imperator, clementiam habes maximam.

VII. Opto tamen tibi etiam atque etiam incrementa pietatis, qua nihil Dominus præstantius dedit; ut per tuam clementiam Ecclesia Dei sicut innocentium pace et tranquillitate gratulatur, ita etiam reorum absolutione lætetur. Ignosce maxime his, qui non ante peccarunt. Dominus clementiam tuam conservet. Amen.

EPISTOLA LXII[1].

Quod pridem ad Theodosium non scripserit, excusat; seque ad eum mittere diaconum significans, ut ipsius preces pro quibusdam in Ecclesiæ asylum receptis admittat, petit.

Ambrosius Theodosio imperatori.

I. Quamvis proxime scripserim augustæ clementiæ tuæ etiam secundo, mihi tamen non satis fuit velut pari vice sermonis officium reddidisse; cum beneficiis clementiæ tuæ tam frequentibus oppigneratus sim, ut nullis officiis possim compensare quæ debeo, beatissime atque augustissime Imperator.

II. Itaque ut prima occasio non prætermittenda fuit, qua per cubicularium tuum clementiæ tuæ gratias agerem, et alloquii mei officium repræsentarem; maximæ ne desidiæ putaretur fuisse potius quam necessitatis, quod tempore superiore non scripserim. Itaque requirenda mihi causa fuit, qua pietati tuæ deferrem debitum salutationis obsequium.

III. Merito autem ad præferendam epistolam meam filium meum Felicem diaconum misi, simul ut mei vicem officii repræsentaret, memoratum quoque pro his qui ad matrem pietatis tuæ Ecclesiam, petentes misericordiam, confugerunt; quorum lacrymas sustinere non potui, quin adventum clementiæ tuæ meis obsecrationibus prævenirem.

[1] Scripta sub fin. ann. 394.

IV. Grande est quod petimus, sed ab eo cui Dominus inaudita et admiranda concessit, ab eo cujus clementiam novimus, et obsidem pietatem tenemus. Unde plus expectare nos confitemur; quoniam ut te virtute vicisti, ita etiam tua te vincere debes pietate. Victoria enim tua antiquo more, vetustisque miraculis, qualis sancto Moysi, et sancto Jesu Nave, et Samuëli, atque David, non humana æstimatione, sed cœlestis gratiæ effusione tibi collata censetur : hîc pietatem æqualem poscimus, cujus merito tanta victoria ipsa quæsita est.

EPISTOLA LXIII[1].

Vercellensem Ecclesiam episcopo propter intestinas contentiones diutius orbatam dolens, concordiam qua Eusebius olim fuerat electus, laudat; utque Christum in medio sui stantem habere eadem Ecclesia studeat, suadet. Hinc invehitur in Sarmationem et Barbatianum, qui e monasterio profugi, abstinentiam ac virginitatem quas abjecerant, aliis invidebant? Addit reparatum esse mundum abstinentia; et hæreticos illos Epicuro ipso deteriores: horumque doctrina hominem converti in pecudem, imo infra nonnulla animalia dejici. Laudantur memoratæ virtutes, et observandæ proponuntur. Quæ dotesin eligendo episcopo considerandæ: Quantumve periculum si vel eligatur indignus, vel digno non obediatur? Divinam esse debere electionem, electum vero alienum ab iracundia, et continentia præcellentem. Quam eximius requiratur in Vercellensi Ecclesia, ubi cum vita clericali monastica conjuncta fuerit ab Eusebio. Hujus ac Dionysii laus, et clericalis monasticæque vitæ comparatio. Post quæ Vercellensibus pulcherrima virtutum præcepta dantur.

Ambrosius servus Christi (43) vocatus episcopus Vercellensi Ecclesiæ, et iis qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi. Gratia vobis a Deo Patre et unigenito Filio ejus adimpleatur in Spiritu sancto.

I. Conficior dolore quia Ecclesia Domini[2], quæ est in

[1] Scripta ann. 396. — [2] Vide D. Guillon, tom. ix, p. 386 et 387.

vobis, sacerdotem adhuc non habet, ac sola nunc ex omnibus Liguriæ atque Æmiliæ, Venetiarumque (44) vel cæteris finitimis Italiæ partibus hujusmodi eget officio, quod ex ea aliæ sibi Ecclesiæ petere solebant, et quod verecundius est, mihi ascribitur vestra intentio (45), quæ affert impedimentum. Nam cum sint in vobis dissensiones, quomodo possumus aliquid aut nos decernere, aut vos eligere, aut quisquam acquiescere; ut inter dissidentes suscipiat hoc munus, quod inter convenientes vix sustinetur?

II. Hæc illa est confessoris institutio, hæc justorum soboles patrum, qui sanctum Eusebium (46) quem nunquam ante cognoverant, posthabitis civibus, simul ut viderunt et probaverunt: tantumque interfuit, ut probaretur; quantum, ut videretur? Merito vir tantus evasit, quem omnis elegit Ecclesia: merito creditum quod divino esset electus judicio, quem omnes postulavissent (47). Convenit igitur ut sequamini exemplum parentum, præsertim cum a sancto confessore institutos tanto meliores patribus esse oporteat, quanto vos melior doctor instituit atque erudivit; modestiæque vestræ et concordiæ insigne edere, ut congruatis assensu ad postulandum sacerdotem.

III. Etenim si juxta Dominicam sententiam, quod duobus convenerit super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet, inquit, illis a Patre meo, qui in cœlis est; « Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, » ibi ego sum in medio eorum[1]: quanto magis ubi plena est in nomine Domini congregatio, ubi universorum postulatio congruit, dubitare nos nequaquam oportet, ibi Dominum Jesum et voluntatis auctorem, et petitionis arbitrum fore, et ordinationis præsulem, vel largitorem gratiæ?

IV. Facite ergo vos dignos videri, quorum in medio

[1] Matth. XVIII, 20.

Christus sit. Ubi enim pax, ibi Christus; quia pax Christus : ubi justitia, ibi Christus; quia Christus justitia[1]. Sit in medio vestrum, ut videatis eum; ne dicatur et vobis : « Medius autem vestrum stat, quem vos non videtis[2]. » Non illum viderunt Judæi, in quem non crediderunt : nos illum devotione conspicimus, fide cernimus.

V. Stet igitur in medio vestrum, ut aperiantur vobis cœli, qui enarrant gloriam Dei[4], ut voluntatem ejus faciatis, et operimini opus ejus. Qui videt Jesum, cœli ei aperiuntur, sicut aperti sunt Stephano dicenti : « Ecce video cœlos » apertos, et Jesum stantem ad dexteram Dei[1]. » Stabat Jesus quasi advocatus : stabat quasi sollicitus, ut Stephanum athletam suum certantem juvaret : stabat quasi paratus, ut coronaret suum Martyrem.

VI. Stet igitur et vobis, ut eum non timeatis sedentem; sedens enim judicat, sicut Daniel dicit : « Throni » positi sunt, et libri aperti sunt, et Antiquus dierum se» dit[5]. » In octogesimo autem et primo Psalmo scriptum est : « Deus stetit in congregatione deorum : in medio au» tem deos dijudicat[6]. » Sedens igitur judicat, stans dijudicat; et judicat de imperfectis, inter deos autem dijudicat. Stet vobis ut defensor, ut bonus pastor; ne vos lupi incursent graves.

VII. Quo non otiose nostra admonitio deflectit; audio enim venisse ad vos Sarmationem et Barbatianum vaniloquos homines (48), qui dicant nullum esse abstinentiæ meritum, nullam frugalitatis, nullam virginitatis gratiam, pari omnes æstimari pretio, delirare eos qui jejuniis castigent carnem suam, ut menti subditam faciant. Quod nunquam fecisset, nunquam scripsisset ad instituendum alios Paulus apostolus, si deliramentum putasset. Gloria-

[1] Ephes. II, 14, et I Cor. I, 30. — [2] Joan. I, 26. — [3] Psal. XVIII, 2. — [4] Act. VII, 55. — [5] Dan. VII, 9. — [6] Psal. LXXXI, 1.

tur itaque dicens : « Sed castigo corpus meum, et servi» tuti redigo; ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniar[1]. » Ergo qui non castigant corpus suum, et volunt prædicare aliis, ipsi reprobi habentur.

VIII. An quidquam tam reprobum, quam quod ad luxuriam, ad corruptelam, ad lasciviam provocat; quam incitamentum libidinis, illecebra voluptatis, incontinentiæ fomes, incendium cupiditatis? Quæ istos Epicureos nova schola misit? Non philosophorum, ut ipsi aiunt, sed imperitorum, qui voluptatem prædicent, delicias suadeant, castimoniam nulli usui esse ducant. Fuerunt nobiscum, sed non fuerunt ex nobis; neque enim pudet dicere, quod dicit evangelista Joannes[2]. Sed hîc positi primo jejunabant, intra monasterium continebantur : nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibriosæ disputationi licentia.

IX. Hoc delicati non potuerunt ferre. Abierunt foras : deinde volentes redire, non sunt recepti; pleraque enim audieram, quæ deberem cavere : monueram, nihil profeceram. Effervescentes itaque disseminare talia cœperunt, quibus incentores essent vitiorum omnium miserabiles. Perdiderunt utique quod jejunaverunt : perdiderunt quod se aliquo continuerunt tempore. Nunc itaque diabolico studio invident aliorum operibus bonis, quorum ipsi fructu exciderunt.

X. Quæ virgo audiat nullum præmium esse integritatis, et non ingemiscat; absit enim ut facile credat, certe ut non studia deponat, et intentionem suæ mentis inflectat? Quæ vidua cum compererit nullum esse fructum viduitatis, mallet servare fidem conjugii, et in tristibus degere, quam se credere lætioribus? Quæ conjugii districta vinculo, si audiat quod nullus honos castitatis sit, non possit incuriosa tentari corporis aut mentis facilitate? Et

[1] 1 Cor. IX. — [2] 1 Joan. II, 20.

ideo Ecclesia quotidie in lectionibus sacris, in sacerdotum tractatibus laudem pudicitiæ, gloriam integritatis personat.

XI. Frustra ergo dicit Apostolus : « Scripsi vobis in » Epistola, ne commisceamini fornicariis[1]. » Et ne forte dicant : Non de omnibus mundi nos dicimus fornicariis, sed dicimus quod qui fuerit in Christo baptizatus, haberi jam non debeat fornicarius ; sed qualiscumque vita ejus accepta sit Deo; et ideo addidit Apostolus : « Non utique » fornicariis hujus mundi ; » et infra : « Si quis frater no» minatur fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, » aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; cum ejusmodi » nec cibum quidem sumere. Quid enim mihi de iis, » qui foris sunt, judicare[2] ? » Et ad Ephesios : « Fornica» tio autem, et omnis immunditia, et avaritia nec nomi» netur in vobis, sicut decet sanctos[3]. » Et statim subinfert: « Hoc enim scitote quod omnis impudicus, aut immundus, » aut avarus, quod est idololatria, non habet hæreditatem » in regno Christi et Dei[4]. » De baptizatis utique dictum liquet ; ipsi enim accipiunt hæreditatem, qui baptizantur in morte Christi, et consepeliuntur cum ipso, ut cum ipso resurgant[5]. Ideo hæredes Dei, cohæredes Christi sunt : hæredes Dei, quia transcribitur in eos Dei gratia : cohæredes Christi, quia renovantur in vitam ipsius : hæredes quoque Christi[6], quia datur illis per mortem ipsius tanquam testatoris hæreditas.

XII. Isti igitur magis sibi debent attendere, qui habent quod possint amittere, quam qui non habent. Isti majore agere custodia, isti cavere vitiorum illecebras, erroris incitamenta debent, quæ maxime ex cibo, potuque oriun-

[1] 1 Cor. v, 9. — [2] Ibid. 11, 12. — [3] Ephes. v. 3. — [4] Ibid. 5. — [5] Rom. vi, 3. — [6] Id. viii, 17.

tur. Denique « Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere[1]. »

XIII. Ipse quoque Epicurus, quem isti sibi magis sequendum quam Apostolos putant, assertor voluptatis, etsi neget invectricem mali esse voluptatem, non negat tamen ex ea fieri quædam, ex quibus generentur, mala : denique nec luxuriosorum vitam reprehensibilem videri, quæ repleatur delectationibus; nisi vel doloris, vel mortis quatiatur metu. Atque hic quam alienus a vero sit, etiam hinc deprehenditur, quod voluptatem in homine Deo auctore creatam asserit principaliter, sicut Philomarus ejus sectator in Epitomis suis disputat, et hujus allegat stoïcos esse auctores sententiæ.

XIV. Sed hoc divina Scriptura redarguit, quæ serpentis insidiis atque illecebris infusam Adæ atque Evæ voluptatem docet[2]. Siquidem ipse serpens voluptas sit, et ideo variæ ac lubricæ, et velut veneno quodam corruptelarum infectæ passiones voluptatis sint. Appetentia igitur voluptatis constat deceptum Adam excidisse a mandato Dei, et fructu gratiæ. Quomodo igitur voluptas ad paradisum revocare nos potest, quæ sola nos paradiso exuit ?

XV. Unde et Dominus Jesus volens nos adversus diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus jejunavit[3]; ut sciremus quia aliter illecebras mali non possumus vincere. Denique ipse diabolus primum tentamentorum suorum spiculum de voluptate intorsit, dicens: « Si Filius Dei es, » dic ut lapides isti panes fiant. » Unde ait Dominus : « Non in » pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei[4]; » et noluit facere, cum posset, ut magis lectionis studio quam voluptati intendere nos salutari præcepto doceret. Et quia isti jejunandum negant, qua causa Christus jejunaverit, astruant;

1 Exod. XXXII, 6. et I Cor. X, 7. — 2 Gen. III, 1, et seqq. — 3 Matth. IV, 2. — 4 Ibid. 3.

nisi ut nobis exemplo esset ejus jejunium. Denique in posterioribus docuit non facile malum posse, nisi nostro vinci jejunio, dicens : « Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, » nisi in oratione et jejunio[1]. »

XVI. Quid etiam sibi vult Scriptura, quæ docet jejunasse Petrum, et jejunanti atque oranti de baptizandis gentibus revelatum mysterium[2]; nisi ut ostenderet etiam ipsos sanctos, cum jejunant, tunc fieri præstantiores? Denique Moyses cum jejunaret, Legem accepit[3]. Et ideo Petrus cum jejunaret, edoctus est Novi Testamenti gratiam. Daniel quoque jejunii merito ora clausit leonum, futurorumque temporum vidit negotia[4]. Aut quæ nobis salus esse potest, nisi jejunio eluerimus peccata nostra[5]; cum Scriptura dicat: « Jejunium, et eleemosyna a peccato » liberat[6]! »

XVII. Qui sunt ergo hi præceptores novi, qui meritum excludant jejunii? Nonne gentilium vox ista est dicentium : « Manducemus et bibamus. » Quos bene irridet Apostolus dicens : « Si secundum hominem pugnavi Ephesi ad bes» tias, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Man» ducemus et bibamus; cras enim moriemur[7], » hoc est : Quid mihi profuit usque ad mortem contentio, nisi ut hominem redimerem meum? Quia frustra redimitur, si nulla est spes resurrectionis. Ac per hoc, spe omni resurrectionis amissa, manducemus et bibamus : non amittamus fructum præsentium, qui futurorum nullum tenemus. Illorum ergo est cibis et potibus indulgere, qui nihil post mortem suam sperant.

XVIII. Denique Epicurei dicunt assertores voluptatis, quia mors nihil ad nos (49); quod enim dissolvitur, insensibile est : quod autem insensibile, nihil ad nos. Quo

[1] Matth. XVII, 20. — [2] Act. X, 10. — [3] Exod. XXXIV, 28. — [4] Dan. XIV, 32. — [5] Id. IX, 2, et seqq. — [6] Tob. XII, 8. — [7] 1 Cor. XV, 32.

demonstrant corpore se tantum, non mente vivere : nec animæ fungi, sed carnis solius munere, qui secessione animæ corporisque dissolvi munus suæ vitæ omne existiment, perire merita virtutum, atque animæ omnem vigorem, totos se deficere cum corporis sensu, nihil reliquiarum superesse animæ, cum ipsum corpus non statim resolvatur. Prius ergo dissolvitur anima quam corpus; cum secundum suam opinionem vel carnem et ossa considerare debeant, quæ post mortem supersunt : secundum veram autem assertionem negare non debeant resurrectionis gratiam?

XIX. Merito ergo hos redarguens Apostolus, monet nos ne talibus labamur opinionibus, dicens : « Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala. Sobrii estote juste, et nolite peccare[1]; » ignorantiam enim Dei quidam habent. Bonum ergo sobrietas; quia peccatum ebrietas est.

XX. Quid quod ille ipse Epicurus defensor voluptatis, cujus ideo frequentem facimus mentionem, ut hos aut gentilium discipulos, et epicuream probemus sectam sequi : aut illum ipsum, quem ipsi philosophi a suo excludunt consortio tanquam patronum luxuriæ, tolerabiliorem his esse doceamus? Clamat ergo ille, ut Demarchus asserit, quia non potationes, neque comessationes, nec filiorum soboles, nec fœminarum copulæ, nec piscium copia aliorumque hujusmodi, quæ splendido usui parantur convivii, suavem vitam faciant, sed sobria disputatio. Denique addidit quod ii copiis convivii moderate utantur, qui non immoderate eas quærunt. Succo solo et pane vel aqua qui libenter utitur, despuit deliciarum epulas; quia multæ ex his generantur molestiæ. Etiam alibi dicunt : Non immoderatæ epulæ, non potationes voluptatis suavitatem generant, sed continens vita.

[1] 1 Cor. xv, 33.

XXI. Cum igitur illos abdicaverit philosophia, hos non excludit Ecclesia? Si quidem et illi, quod malæ causæ habent, se assertionibus suis impugnant frequenter. Nam etsi principalis eorum sententia sit quod nullam suavitatem voluptatis putent, nisi quæ cibo potuque percipiatur; tamen intelligentes in tam reprehensibili definitione versari se sine summo dedecore non posse, ac deseri ab omnibus, fuco quodam probabilium disputationum eam colorare voluerunt; adeo ut diceret quidam ex iis : Dum studemus delectationi per epulas et cantus, amisimus eam quæ per verbi, quo solo salvi esse possumus, infunditur perceptionem.

XXII. Nonne isti dispares, discolores in hac multiformi disputatione nobis videntur? Quos adeo Scriptura condemnat, ut non præterierit eos, quos Apostolus redarguebat, dicente Luca in Actibus Apostolorum, qui cum librum historico stylo scripsit : Quidam autem epicurei et stoïci philosophi disputabant cum eo; et quidam dicebant : « Quid sibi vult hic seminiverbius? Alii autem : » Novorum dæmoniorum videtur pronuntiator esse[1]. »

XXIII. Ex hoc tamen numero non immunis gratiæ abiit Apostolus. Siquidem etiam Dionysius Areopagites cum Damari uxore sua, aliisque multis credidit. Itaque illi doctissimorum et eloquentium cœtus simplici disputatione victos se esse credentium exemplo manifestarunt. Quid igitur sibi isti volunt, qui tentant eos pervertere, quos acquisivit Apostolus, quos redemit Christus sanguine suo? Quod asserunt baptizatos intendere non debere virtutum disciplinis, nihil illis obesse comessationes, nihil voluptatum affluentiam, insipientes esse eos qui iis careant : virgines oportere nubere, filios facere : similiter et viduas iterare, quod semel male virili admixtione expertæ sint;

[1] Act. XVII, 18.

etiamsi se continere possint, errare eas quæ nolint iterare copulam.

XXIV. Quid ergo? Placet ut hominem exuentes, induamus pecudem: et expoliantes Christum, vestiamur aut supervestiamur amictus diaboli? Sed cum ipsi doctores gentium ne honestatem quidem cum voluptate copulandam putaverint, eo quod pecudem viderentur cum homine includere: nos ut belluinos usus humano infundamus pectori, et rationabili menti inscribamus irrationabiles ritus ferarum?

XXV. Quanquam multa genera sint animantium, quæ amisso pari, concubitu indulgere nesciant, et tanquam solitariæ vitæ ævum exigant: plurima quoque herbis vescantur simplicibus, nec alias nisi fonte puro sitim restinguere noverint: canes quoque videas frequenter interdicto cibo temperare solitos; ut jejuna fame ora suspendant, si imperetur abstinentia. Ab hoc igitur revocantur homines, quod didicerunt per hominem etiam mutæ non prævaricari bestiæ?

XXVI. Quid autem pulchrius abstinentia, quæ facit etiam juventutis annos senescere; ut fiat morum senectus? Namque ut redundantia ciborum ac temulentia etiam maturior ætas calescit; ita mitigatur juventutis ferocitas epularum parcimonia, irriguoque fontis. Exterior ignis aquæ infusione extinguitur, non mirum si etiam interior æstus corporis fluviali potu refrigeratur; cibo enim flamma alitur ac deficit. Siquidem fœnum, stipula, lignum, oleum, atque hujusmodi alimenta ignis sunt, quibus pascitur: ea si detrahas, vel non suggeras, etiam ignis sopitur. Similiter ergo vapor corporis cibo alitur aut minuitur: cibo excitatur, cibo solvitur. Luxuria igitur mater libidinis est.

XXVII. Quid quod naturæ conveniens temperantia est,

atque illi divinæ legi, quæ in ipso rerum ortu omnium fontes potui, fructus arborum esui dedit? Vinum post diluvium Justus ad tentationem sui reperit[1]. Utamur ergo temperantiæ naturali cibo, utinamque possimus! Sed quia non omnes fortes, ideo Apostolus ait: « Vino modico » utere propter frequentes tuas infirmitates[2]. » Non ergo propter voluptatem bibendum est, sed propter infirmitatem. Pro remedio igitur parcius, non pro deliciis redundantius.

XXVIII. Denique Elias, quem Dominus ad virtutis erudiebat perfectionem, ad caput suum collyridam et vas aquæ reperit[3]; et ideo in virtute escæ illius quadraginta diebus jejunavit. Patres nostri, cum mare transirent pedibus, aquam non vinum bibebant[4]. Daniel et Hebræi pueri patrio cibo, et aquæ potu, ille furorem leonum repressit, illi ardentem ignem innoxio videre tactu circa membra sua pasci[5].

XXIX. Et quid de viris loquar? Judith luxurioso Holophernis haudquaquam inflexa convivio[6], solo titulo sobrietatis desperatum lacertis virilibus reportavit triumphum, patriam obsidione exuit, ducem militiæ suis manibus occidit. Exemplum evidens, quod et illum terribilem populis bellatorem virum luxuria sua emollivit, et hanc fœminam temperantia cibi fortiorem viris fecit. Non hic in sexu suo victa est natura, sed in cibo suo vicit. Esther regem superbum suis inclinavit jejuniis[7]. Anna octoginta quatuor annos in viduitate sua jejuniis et obsecrationibus in templo die ac nocte serviens[8], Christum agnovit, quem Joannes abstinentiæ magister et quidam novus terrarum Angelus annuntiavit[9].

[1] Gen. IX, 20. — [2] I Tim. V, 23. — [3] 3 Reg. XIX, 6. — [4] Exod. XVII, 6. — [5] Dan. I, 8; III, 40, et XIV, 30. — [6] Judith. XIII, 16. — [7] Esther. IV, 16. — [8] Luc. II, 37. — [9] Matth. III, 4.

XXX. O stultum Eliseum, qui sylvestribus grumis et amaris pascebat Prophetas[1]! immemorem Scripturarum Esdram, qui memoria Scripturas reddidit[2]! insipientem Paulum, qui gloriatur in jejuniis[3]; si nihil prosunt jejunia!

XXXI. Sed quomodo non prosunt, quibus vitia purgantur? Quæ si deferas cum humilitate, cum misericordia, ut Esaïas Spiritu divino locutus est, ossa tua pinguescent[4], et eris sicut hortus ebrius. Pinguescit igitur anima tua, virtutesque ejus spiritali adipe jejunii, et fructus tui multiplicantur ubertate mentis tuæ; ut sit in te sobrietatis ebrietas, sicut illud est poculum, de quo ait Propheta : « Et poculum tuum inebrians quam præclarum est[5] ! »

XXXII. Sed non illa solum laudabilis, quæ parca est ciborum temperantia; sed etiam illa quæ concupiscentiæ. Denique scriptum est : « Post concupiscentias tuas ne eas, et a voluptate tua vetare. Si dederis animæ tuæ concupiscentiam, gaudio eris inimicis tuis[6]; » et infra : « Vinum et mulieres apostatare faciunt etiam sapientes[7]. » Unde et Paulus etiam in ipsis conjugiis temperantiam docet; est enim velut quidam adulter incontinens in matrimonio, qui legem Apostolicam prævaricatur[8].

XXXIII. Quid autem loquar quanta sit virginitatis gratia, quæ meruit a Christo eligi; ut esset etiam corporale Dei templum, in qua corporaliter, ut legimus, habitavit plenitudo divinitatis[9]? Virgo genuit mundi salutem, virgo peperit vitam universorum. Sola ergo non debet esse virginitas, quæ omnibus in Christo profuit? Virgo portavit, quem mundus iste capere ac sustinere non potest. Qui cum ex Mariæ nasceretur utero, genitalis tamen

[1] 4 Reg. IV, 39. — [2] 2 Esdr. VIII, 2. — [3] 2 Cor. XI, 27. — [4] Isaï. LVIII, 11. — [5] Psal. XXII, 5. — [6] Eccli. XVIII, 30. — [7] Id. XIX, 2. — [8] 1 Cor. VII, 2, et seqq. — [9] Coloss. II, 9.

septum pudoris, et intemerata virginitatis conservavit signacula. Itaque in Virgine Christus reperit, quod suum esse vellet, quod sibi omnium dominus assumeret. Per virum autem et mulierem caro ejecta de paradiso, per virginem juncta est Deo.

XXXIV. Quid de altera Moysi sorore Maria loquar, quæ fœminei dux agminis, pedes transmisit pelagi freta[1]? Quo munere autem venerabilis Thecla etiam leonibus fuit; ut ad pedes prædæ suæ stratæ impastæ bestiæ sacrum deferrent jejunium; nec procaci oculo virginem, nec ungue violarent aspero; quoniam et ipso aspectu virginitatis violatur sanctitas.

XXXV. Denique qua reverentia virginitatis locutus est sanctus Apostolus : « De virginibus præceptum Domini non » habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam con» secutus a Domino[2]. » Præceptum non habet, consilium habet; non enim præcipitur quod supra legem est : sed magis dato suadetur consilio. Nec autoritas præsumitur, sed demonstratur gratia : nec a quocumque demonstratur, sed ab eo qui misericordiam Domini meruit. Horum ergo meliora quam Apostolorum consilia ? Apostolus dicit : « Con» silium do ; » isti dissuadendum putant, ne qua studeat virginitati.

XXXVI. Cujus quantam laudem brevi versiculo Propheta expresserit, vel potius Christus in Propheta, debemus cognoscere. « Hortus, inquit, clausus, soror mea » Sponsa, hortus clausus, fons signatus[3]. » Christus hoc dicit ad Ecclesiam, quam vult esse virginem, sine macula, sine ruga[4]. Bonus hortus virginitas, quæ plurimos boni ferat fructus odoris. « Hortus clausus ; quia undique vallata est muro castitatis. « Fons signatus ; » eo quod virginitas sit fons et origo pudicitiæ, quæ inviolata custodiat integrita-

[1] Exod. XV, 20. — [2] 1 Cor. VII, 25. — [3] Cant. IV, 12. — [4] Ephes. IV, 27.

tis signacula : in quo fonte imago Dei luceat ; quia cum munditia corporis congruit etiam puritas simplicitatis.

XXXVII. Nec potest dubitare quisquam quod Ecclesia virgo sit, quam etiam in Corinthiis despondit apostolus Paulus, virginem castam assignare Christo[1]. In superiore igitur Epistola dat consilium, et existimat bonum esse munus virginitatis ; ut nullis instantis sæculi turbetur necessitatibus, nulla illuvie coinquinetur, nullis exagitetur procellis : in posteriore sponsor est Christo[2], quod virginitatem Ecclesiæ in illius plebis consignare possit integritate.

XXXVIII. Responde mihi nunc, Paule, qua ratione propter instantem necessitatem des consilium[3] ? Quoniam « Qui sine uxore est, sollicitus, inquit, est quæ Domini » sunt, quomodo placeat Deo. » Et addidit : « Et mulier » innupta et virgo cogitat quæ sunt Domini ; ut sit sancta » corpore et spiritu[4]. » Habet igitur murum suum adversus mundi hujus turbines, et ideo septo divinæ munita protectionis nullis sæculi flabris inquietatur. Bonum ergo consilium ; quia in consilio utilitas est, in præcepto laqueus. Consilium invitat voluntarios, præceptum astringit invitos. Si qua ergo secuta fuerit consilium, et eam non pœnituerit, acquisivit utilitatem : si quam vero pœnituerit, non habet quod accuset Apostolum ; ipsa enim de infirmitate sua judicare debuit : et ideo sibi voluntatis suæ rea est, cujus graviore quam ferre posset, laqueo se ac nodo ligavit.

XXXIX. Itaque tanquam bonus medicus, qui et fortibus stabilitatem virtutis conservare cupiat, et infirmis salubritatem dare, aliis dat consilium, aliis demonstrat remedium, « Qui infirmus est, olera manducet[5], » acci-

[1] 1 Cor. VII, 26. — [2] 2 Cor. XI, 2. — [3] 1 Cor. VII, 26. — [4] Ibid. 32, et seqq. — [5] Rom. XIV, 2.

piat uxorem : qui validior est, fortiorem virtutis cibum expetat. Meritoque adjunxit : « Nam qui statuit in corde » suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem » habens suæ voluntatis ; et hoc judicavit in corde suo » servare virginem suam, bene facit. Igitur et qui matri» monio jungit virginem suam, bene facit : et qui non » jungit, melius facit. Mulier vincta est legi, quanto tem» pore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata » est: cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem » erit, si sic permanserit, secundum meum consilium ; puto » enim, et ego Spiritum Dei habeo [1]. » Hoc est consilium Dei habere, explorare diligenter omnia, et quæ meliora sunt, suadere ; quæ tutiora, demonstrare.

XL. Providus ductor multas ostendit vias, ut qua vult unusquisque, quam sibi accommodam arbitratur, incedat; dummodo occurrat, quo possit in castris prætendere. Bona virginitatis via, sed sublimis et ardua validiores requirit. Bona etiam viduitatis, non tam difficilis, ut superior : sed confragosa et aspera cautiores exigit. Bona etiam matrimonii, plana et directa longiore circuitu ad castra sanctorum pervenit, ea plurimos recipit. Sunt ergo virginitatis præmia, sunt merita viduitatis, est etiam conjugali pudicitiæ locus. Gradus singularum sunt et incrementa virtutum.

XLI. State igitur in corde vestro, ne quis vos subruat, ne quis possit subvertere. Docuit nos Apostolus quid sit stare, hoc est, quod Moysi dictum est : « Locus enim in » quo tu stas, terra sancta est [2] ; » nemo enim stat, nisi qui fide stat, nisi qui fixus stat sui cordis sententia. Alibi quoque legimus : « Tu autem hic sta mecum. » Utrumque ad Moysen a Domino dictum est, et, « Ubi tu stas, » terra sancta est [3] ; » et, « Hic sta mecum, » hoc est, me-

[1] 1 Cor. VII, 38, et seqq. — [2] Exod. III, 5. — [3] Deut. V, 31.

cum stas, si stes in Ecclesia. Ipse enim locus est sanctus; ipsa terra fœcunda sanctitatis, et opima virtutum messibus.

XLII. Sta ergo in Ecclesia, sta ubi tibi apparui, ibi ego tecum sum. Ubi est Ecclesia, ibi firmissima statio tuæ mentis est : ibi fundamentum animi tui, ubi tibi de rubo apparui. Tu rubus, ego ignis : ignis in rubo, ego in carne. Propterea ignis, ut tibi luceam, ut tuas spinas, ut tua peccata consumam, et meam tibi demonstrem gratiam.

XLIII. Stantes ergo in corde vestro lupos fugate ab Ecclesia quærentes prædam tollere. Non sit in vobis desidia, non sit pravum os, lingua amarior. Nolite in concilio vanitatis sedere; scriptum est enim : « Non sedi in con» cilio vanitatis[1]. » Nolite audire detrahentes de proximis; ne dum auditis alios, provocemini; ut et ipsi derogetis proximis, et dicatur unicuique vestrum : « Sedens adver» sus fratrem tuum detrahebas[2]. »

XLIV. Sedentes detrahunt, stantes autem Dominum benedicunt, quibus dicitur : « Ecce nunc benedicite Do» minum omnes servi Domini, qui statis in domo Do» mini[3]. » Qui sedet, ut de corporeo usu loquar, quasi otioso resolvitur corpore, atque intentionem mentis relaxat. Stat autem speculator providus, explorator impiger, pervigil custos, qui prætendit in castris. Bellator quoque strenuus ante expectatum stat in agmine[4], qui vult adversarii consilia prævenire.

XLV. « Qui stat, videat ne cadat[5]. » Qui stat, obtrectare nescit; otiosorum etenim fabulæ sunt, quibus obtrectatio seritur, malignitas proditur. Unde ait Propheta : « Odio habui congregationem malignorum, et cum im-

[1] Psal. xxv, 4. — [2] Id. xlix, 20. — [3] Id. cxxxiii, 1. — [4] Est ibi manifesta imitatio versus Virg. e lib. iii. Georg. vers. 348.

Ante expectatum positis stat in ordine castris.

— [5] 1 Cor. x, 12.

» piis non sedebo[1]. » Et in trigesimo sexto Psalmo, quem præceptis refersit moralibus, in principio statim posuit : « Noli malignari inter malignantes, neque æmulatus » fueris facientes iniquitatem[2]. » Malignitas plus nocet quam malitia; quia malignitas nec puram simplicitatem habet, nec apertam malitiam : sed absconditam malevolentiam. Difficilius autem caventur occulta, quam quæ sunt cognita. Unde et Salvator noster a spiritibus malignis cavendum admonet, quod nos blandarum specie voluptatum capiant, cæterarumque rerum simulatione; cum ad ambitionem, honorem, avaritiam, divitias, ad superbiam potentiæ lenocinia prætendunt.

XLVI. Itaque cum in omni actu, tum maxime in episcopi petitione abesse debet malignitas, in quo vita formatur omnium; ut placido et pacifico judicio præferatur vir omnibus, qui eligatur ex omnibus, et qui medeatur omnibus : Etenim « Mansuetus homo, cordis medicus est[3]. » Cujus se medicum etiam Dominus in Evangelio locutus est, dicens : « Non opus est sanis medicus, sed iis qui » male habent[4]. »

XLVII. Bonus medicus, qui infirmitates nostras suscepit, sanavit ægritudines; et tamen iste, sicut est scriptum, non se honorificavit fieri summum sacerdotem : sed qui locutus est ad eum, Pater dixit, « Filius meus es tu, » ego hodie genui te. » Sicut et alibi dicit : « Tu es sacer» dos in æternum secundum ordinem Melchisedech[5]. » Qui quoniam typus futurus erat sacerdotum omnium, ideo carnem suscepit; « Ut in diebus carnis suæ preces et » supplicationes Deo Patri cum magna voce et lacrymis » offerret : et ex iis quæ passus est, quamvis esset Filius » Dei, discere videretur obedientiam, quam nos doceret,

[1] Psal. xxv, 5. — [2] Id. xxxvi, 1. — [3] Prov. xiv, 30. — [4] Matth. ix, 12. — [5] Psal. cix, 3, 4.

» ut nobis fieret auctor salutis[1]. » Denique consummatis passionibus, tanquam consummatus ipse, sanitatem dedit omnibus, peccatum tulit omnium.

XLVIII. Ideo et Aaron sacerdotem ipse elegit[2], ut non humana cupiditas in eligendo sacerdote præponderaret, sed gratia Dei, non voluntaria oblatio: nec propria assumptio, sed cœlestis vocatio; ut is offerat munera pro peccatis, qui possit affici pro peccantibus: quia et ipse, inquit, gestat infirmitatem. Non sibi quis honorem debet sumere, sed vocari a Deo, sicut et Aaron[3]; et ita Christus non exegit, sed accepit sacerdotium.

XLIX. Denique cum ab Aaron per genus ducta successio, generis magis teneret hæredes, quam justitiæ consortes; propterea ad typum illius Melchisedech, quem in Veteri Testamento legimus, verus Melchisedech, verus rex pacis, verus rex justitiæ venit, hoc enim habet nominis interpretatio, « Sine patre, sine matre, sine generationis enumera» tione, neque initium dierum, neque finem vitæ habens[4]; » quod et ad Filium Dei refertur, qui matrem in illa divina generatione nescivit, patrem in hoc virginis Mariæ partu ignoravit; ex Patre solo natus ante sæcula, ex Virgine sola ortus in hoc sæculo, initium dierum habere utique non potuit, qui erat in principio. Quomodo autem vitæ finem haberet, qui vitæ auctor omnibus est? « Ipse principium » et finis omnium[5]. » Sed refertur et ad exemplum, ut tanquam sine patre et sine matre sacerdos esse debeat; in quo non generis nobilitas, sed morum eligatur gratia et virtutum prærogativa.

L. Sit in eo fides, et morum maturitas: non alterum sine altero, sed utrumque in uno cum bonis operibus conveniat et factis. Unde nos apostolus Paulus eorum

[1] Hebr. v, 2, et seqq. — [2] Num. xvii, 8. — [3] Hebr. v, 2, 3. — [4] Id. vii, 2, 3. — [5] Apoc. i, 8.

vult esse imitatores, qui per fidem, inquit, et patientiam possident repromissiones Abrahæ, qui per patientiam promissæ sibi benedictionis meruit accipere et possidere gratiam[1]. Imitatores nos sancti Aaron David propheta debere esse admonet, qui eum inter sanctos Domini ad imitandum nobis constituit, dicens : « Moyses et Aaron » in sacerdotibus ejus, et Samuel inter invocantes nomen » ejus[2]. »

LI. Dignus plane vir qui sequendus proponatur omnibus; nam cum dira mors propter contumaces in plebem serperet, medium se inter viventes morientesque objecit[3]; ut mortem statueret, ne plures perirent. Vere vir mentis et animi sacerdotalis, qui se pro Domini grege quasi pastor bonus pio objiceret affectu. Itaque infregit aculeum mortis, impetum tenuit, transitum negavit. Pietas meritum adjuvit; quia pro ipsis se obtulit, qui resistebant.

LII. Discant igitur dissidentes timere Domini commotionem, sacerdotes placare. Quid? Dathan et Abiron et Core nonne propter dissensionem hiatus terræ absorbuit[4]? Nam cum instigassent Core et Dathan et Abiron ducentos quinquaginta viros adversus Moysen et Aaron, ut separarent se ab iis, insurrexerunt illi dicentes : « Satis sit vobis » quod tota Synagoga, omnes sancti, et in ipsis Do» minus[5]. »

LIII. Unde iratus Dominus locutus est ad omnem Synagogam. Consideravit et novit Dominus qui sunt ejus[6], et sanctos adduxit ad se : et quos non elegit, non adduxit ad se. Et jussit Dominus, ut eligerent sibi arulas, et incensum ponerent Core et omnes, qui cum eo insurrexerant adversum Moysen et Aaron sacerdotes Domini; ut qui electus esset a Domino, ipse sanctus confirmaretur inter Levitas Domini.

[1] Hebr. XI, 9, et seqq. — [2] Psal. XCVIII, 6. — [3] Num. XVI, 48. — [4] Ibid. 33. — [5] Ibid. 3. — [6] 2 Tim. II, 19.

LIV. Et dixit Moyses ad Core : « Audite me, filii Levi, » numquid hoc pusillum est vobis, quod separavit vos Deus » a synagoga Israël, et adduxit vos ad se ; ut ministraretis » ministeria Tabernaculi Domini[1] ? » Et infra : Quæritis sacerdotio fungi, sic tu et omnis synagoga tua congregata ad Deum? Et Aaron quid est, quia murmuratis de eo?

LV. Consideratis igitur, quæ offensionis causæ extiterint, quod sacerdotio fungi indigni vellent, et propterea dissiderent, quod immurmurarent improbantes in sacerdotis sui electione judicium Dei : propterea totum populum metus ingens corripuit, pœnæ terror involvit universos. Obsecrantibus tamen omnibus, ne paucorum insolentia omnes perirent, designantur sceleris rei, et a totius populi corpore ducenti quinquaginta cum auctoribus suis separantur viri, immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxii, et ita ab omnibus mundi hujus ablegantur elementis; ut nec aërem haustu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulcro.

LVI. Cessavit pœna, non cessavit malitia : ex hoc ipso immurmuratio exorta populi, quod per sacerdotes perisset populus. Qua indignatione Dominus perdidisset omnes, nisi Moysi et Aaron primo precibus inflexus, post etiam objectu sacerdotis sui Aaron maluisset ingratos majore veniæ pudore donare iis, quorum abnuebant gratiam.

LVII. Ipsa prophetissa Maria, quæ cum fratribus pede transmeaverat freta maris[2], quia Æthiopissæ mysterium adhuc nesciens, immurmuraverat adversus fratrem Moysen, lepræ maculis inhorruit; ut vix tanto esset absoluta contagio, nisi Moyses rogasset. Quamvis ad typum Synagogæ illa refertur admurmuratio, quæ Æthiopissæ istius, id est, Ecclesiæ ex gentibus sacramentum ignorans; quo-

[1] Num. XVI, 9, et seqq. — [2] Id. XII, 10.

tidiano immurmurat convicio, et invidet ei plebi, cujus fide etiam ipsa exuetur a perfidiæ suæ lepra, secundum quod legimus, quia « Cæcitas ex parte in Israël contigit, » donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israël » salvus fieret[1]. »

LVIII. Et ut advertamus quia in sacerdotibus divina magis quam humana operatur gratia, una ex multis, quas Moyses per Tribus acceperat et recondiderat, virga Aaron floruit : atque ita divini judicii munus spectandum in sacerdote populus advertit, ac destitit parem sibi humano judicio vindicare gratiam, qui ante parem sibi prærogativam competere arbitrabatur. Virga autem illa quid aliud ostendit, nisi quod nunquam sacerdotalis marcescat gratia, et in summa humilitate habeat in suo munere commissæ sibi florem potestatis, vel quia id quoque ad mysterium refertur? Nec otiose prope exitum vitæ Aaron sacerdotis hoc factum putamus. Declarari videtur populus senior, sacerdotalis longævæ infidelitatis vetustate chariosus, quod ultimis temporibus imitatione Ecclesiæ reformatus in studia fidei et devotionis, emortuum jam tot sæculis rediviva gratia florem remittat.

LIX. Quid autem illud significat, quod post defunctum Aaron non universo populo, sed soli Moysi qui est in sacerdotibus Domini, imperavit Deus ut exuviis Aaron sacerdotis filium ejus indueret Eleazarum[2]; nisi ut cognosceremus quod sacerdos sacerdotem consecrare debeat (50), et ipse eum induere vestimentis, hoc est, virtutibus sacerdotalibus : ac tunc si nihil ei deesse indumentorum adverterit sacerdotalium, et apte quadrare omnia, sacris eum adhibeat altaribus? Supplicaturus enim pro populo, eligi a Domino, et probari debet a sacerdotibus[3]; ne quid sit, quod in ipso graviter offendat, cujus officium est pro

[1] Rom. XI, 25. — [2] Num. XX, 26. — [3] Hebr. V, 1, et seqq.

aliorum offensa intervenire. Neque enim mediocris virtus sacerdotalis est, cui cavendum non solum ne gravioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem; ut sit promptus ad misericordiam, promissum non remordeat, lapsum revocet, compatiatur dolori, mansuetudinem teneat, pietatem diligat, iram repellat vel decoquat: sit quidam lituus plebis excitandæ ad devotionem, mitificandæ ad tranquillitatem.

LX. Vetus dictum est: Assuesce unus esse; ut vita tua quamdam picturam exprimat, eamdem servans semper imaginem, quam acceperit. Quomodo potest unus esse, qui nunc iracundia inflammatur, nunc indignatione gravi exæstuat, nunc vultu excandescit, nunc pallore immutatur, per momenta varius et discolor? Sed esto, sit naturæ irasci, aut plerumque causæ; hominis est tamen temperare iracundiam, non leonino raptari furore, ut non norit mansuescere, clamores non serere, nec acerbare familiare jurgium; scriptum est enim: « Vir iracundus effodit peccatum[1]. » Non est unus duplici corde, non est unus qui se cohibere nescit in iracundia, de quo pulchre David ait: « Irascimini, et nolite peccare[2]. » Non iram imperat, sed indulget naturæ: quam homo prævenire non potest, mitigare potest. Ergo etsi irascimur, affectus noster motum recipiat secundum naturam, non peccatum præter naturam. Quis enim ferat, si ipse se gubernare nequeat, qui alios gubernandos receperit?

LXI. Ideoque Apostolus formam dedit, quia et episcopum esse oportet irreprehensibilem[3]; et alibi ait: « Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei » dispensatorem, non superbum, non iracundum, non » vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupi» dum[4]. » Nam quomodo conveniunt sibi dispensantis misericordia, et cupientis avaritia?

[1] Prov. xv, 18. — [2] Psal. iv, 15. — [3] 1 Tim. iii, 2. — [4] Tit. i, 7, et seqq.

LXII. Hæc posui, quæ cavenda acceperim : virtutum autem magister Apostolus est, qui cum patientia redarguendos doceat contradicentes, qui « Unius uxoris virum[1] » præcipiat esse, non quo exortem excludat conjugii (nam hoc supra legem præcepti est) sed ut conjugali castimonia servet ablutionis suæ gratiam : neque iterum ut filios in sacerdotio creare Apostolica invitetur auctoritate; habentem enim dixit filios, non facientem, neque conjugium iterare.

LXIII. Quod ideo non prætermisi, quia plerique ita argumentantur, unius uxoris virum dici post baptismum habitæ; eo quod baptismo vitium sit ablutum, quo afferebatur impedimentum. Et vitia quidem atque peccata diluuntur omnia; ut si quis contaminaverit suum corpus cum plurimis, quas nulla conjugii lege sociaverit, remittantur ei omnia : sed conjugia non resolvuntur, si quis iteraverit; culpa enim lavacro, non lex solvitur; nulla enim culpa conjugii, sed lex est. Quod legis est igitur non remittitur, quasi culpa : sed tenetur, quasi lex. Ideo et Apostolus legem posuit, dicens : Si quis sine crimine est, unius uxoris vir. Ergo qui sine crimine est, unius uxoris vir, tenetur ad legem sacerdotii suscipiendi : qui autem iteraverit conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogativa exuitur sacerdotis.

LXIV. Diximus quid legis sit, dicamus etiam quid rationis. Sed prius cognoscamus non solum hoc Apostolum de episcopo et presbytero statuisse, sed etiam Patres in concilio Nicæni tractatus addidisse (51), neque clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit. Quomodo enim potest consolari viduam, honorare, cohortari ad custodiendam viduitatem, servandam marito fidem, quam ipse priori conjugio non reservaverit ? Aut

[1] Tit. I, 7, et seqq.

quid interesset inter populum et sacerdotem, si iisdem astringerentur legibus? Debet præponderare vita sacerdotis, sicut præponderat gratia; nam qui alios præceptis suis ligat, debet ipse legitima præcepta in se custodire.

LXV. Quam resistebam ne ordinarer! postremo cum cogerer, saltem ordinatio protelaretur! Sed non valuit præscriptio (52), prævaluit impressio. Tamen ordinationem meam occidentales episcopi judicio, orientales etiam exemplo probarunt. Et tamen neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur superbia [1]. Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est : si non deest humilitas competens sacerdotio, ubi causa non hæret, vitium non imputatur.

LXVI. Quod si in aliis Ecclesiis tanta suppetit ordinandi sacerdotis consideratio, quanta cura expetitur in Vercellensi Ecclesia, ubi duo pariter exigi videntur ab episcopo, monasterii continentia, et disciplina Ecclesiæ? Hæc enim primus in Occidentis partibus diversa inter se Eusebius sanctæ memoriæ conjunxit (53); ut et in civitate positus instituta monachorum teneret, et Ecclesiam regeret jejunii sobrietate. Multum enim adjumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ, et ad normam integritatis juventutem astringat, et versantes intra urbem abdicet usu urbis et conversatione.

LXVII. Hinc illi processerunt viri, Elias, Eliseus, Joannes Elisabeth [3], qui pelliceis tunicis et caprinis exuviis induti, inopes atque egentes, angustiis et doloribus afflicti, in solitudinibus errabant [2], inter alta et condensa montium, invia rupium, speluncarum horrida, fovearum vadosa, quorum conversatione dignus orbis terrarum non erat. Hinc illi Daniel, Ananias, Azarias, Misaël, qui in

[1] Tit. III, 6. — [2] Hebr. I, 36, et seqq. — [3] Ædit. quædam omittunt *Elisabeth*, eam vocem in gignendi casu positam esse non advertentes; phrasi autem etiam græce dicitur *Joannes Elisabeth*, supple, *filius*.

aula regia pascebantur[1], jejunio alebantur tanquam in desertis, cibo aspero, potuque obvio. Meritoque regii servuli regnis prævaluerunt, et captivitatem decusso jugo contempserunt, potestates subegerunt, elementa vicerunt, naturam ignis extinxerunt, hebetarunt flammas, obtuderunt aciem gladii, strinxerunt leonum ora; et ubi infirmiores fieri æstimabantur, ibi fortiores reperiebantur: non refugiebant ludibria humana, quia cœlestia sperabant præmia: non horrebant tenebras carceris, quibus æterni luminis gratia refulgebat.

LXVIII. Hos secutus Eusebius sanctus exivit de terra sua, et de cognatione sua, et domestico otio peregrinationem prætulit. Pro fide quoque exilii dura præoptavit atque elegit, conjuncto sibi sanctæ memoriæ Dionysio, qui posthabuit imperatoris amicitiam exilio voluntario. Itaque memorabiles viri circumdati armis, vallati exercitu, cum raperentur de Ecclesia majore, triumphabant de imperio; quia contumelia terrestri mercabantur mentis fortitudinem, regni potentiam, quibus militaris manus, armorum strepitus extorquere non potuit fidem, subegerunt bestialis animi feritatem, quæ nocere sanctis nequivit. Ira enim regis, ira leonis, ut in Proverbiis habes[2].

LXIX. Confessus est victum se esse, qui rogabat ut mutarent sententiam: sed illi validiorem calamum suum ferreis gladiis arbitrabantur. Denique vulnerata est perfidia, ut occideret, non est vulnerata sanctorum fides: non desiderarunt patrium sepulcrum, quibus reservabatur cœleste domicilium. Erraverunt toto orbe, ut nihil habentes, et possidentes omnia[3]. Quocumque missi essent, locus deliciarum putabatur; neque enim illis quidquam deerat, quibus fides locuples abundabat. Denique locupletabant alios, ipsi inopes ad sumptum, opimi ad gratiam. Tenta-

[1] Dan. I, 14, et seqq. — [2] Prov. XIX, 12. — [3] 2 Cor. VI, 10.

bantur, sed non mortificabantur, in jejuniis, in laboribus, in custodiis, in vigiliis. Evaserunt de infirmitate fortes. Non expectabant deliciarum illecebras, quos saginabat fames [1] : non adurebat eos torrida æstas, quibus refrigerabat æternæ spes gratiæ : non frangebant glacialis plagæ frigida, quibus ferventi spiritu vernabat devotio : non verebantur vincula hominum, quos Jesus solverat : non desiderabant redimi a morte, qui præsumebant a Christo resuscitari.

LXX. Denique sanctus Dionysius exegit votis, ut in exilio vitam poneret; ne regressus confusa institutis seu usu infidelium studia plebis aut cleri inveniret : meruitque hanc gratiam; ut pacem Domini tranquillo affectu secum referret. Itaque ut Eusebius sanctus prior levavit vexillum confessionis; ita beatus Dionysius in exilii locis priori Martyribus titulo vitam exhalavit.

LXXI. Hæc igitur patientia in sancto Eusebio monasterii coaluit usu, et durioris observationis consuetudine hausit laborum tolerantiam. Namque hæc duo in attentiore Christianorum devotione præstantiora esse quis ambigat, clericorum officia, et monachorum instituta? Ista ad commoditatem et moralitatem disciplina, illa ad abstinentiam assuefacta atque patientiam : hæc velut in quodam theatro, illa in secreto : spectatur ista, illa absconditur. Ideo bonus athleta ait : « Spectaculum facti sumus huic mundo et An» gelis [2]. » Dignus sane qui spectaretur ab Angelis, cum luctaretur, ut ad Christi bravium perveniret; cum certaret, ut in terris vitam Angelorum institueret, in cœlo nequitiam Angelorum refelleret : colluctabatur enim nequitiis spiritalibus. Merito mundus eum spectabat, ut mundus imitaretur.

LXXII. Hæc ergo vita in stadio, illa in spelunca : hæc

[1] Hebr. XI, 34. — [2] 1 Cor. IV, 9.

adversus confusionem sæculi, illa adversus carnis appetentiam : hæc subjiciens, illa refugiens corporis voluptates : hæc gratior, illa tutior : hæc se ipsam regens, illa semet ipsam coërcens : utraque tamen se abnegans, ut fiat Christi; quia perfectis dictum est : « Qui vult post me ve» nire, abneget se ipsum sibi, et tollat crucem suam, et » sequatur me[1]. » Sequitur ergo Christum, qui potest dicere : « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Chris» tus[2]. »

LXXIII. Negabat se Paulus, cum sciens quia vincula et tribulationes eum manerent in Hierusalem, voluntarius se offerret periculis, dicens : « Nec facio animam meam cha» riorem mihi, dummodo consummem cursum meum, et » ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu[3]. » Denique circumstantibus plurimis, plorantibus et obsecrantibus, non reflexit animum : ita fides prompta dura sui censor est!

LXXIV. Hæc ergo dimicat, illa se removet : hæc illecebras vincit, illa refugit : huic mundus triumphatur, illi exulat : huic mundus crucifigitur, vel ipsa mundo[4], illi ignoratur : huic plura tentamenta, et ideo major victoria; illi infrequentior lapsus, facilior custodia.

LXXV. Denique ipse Elias, ut confirmaretur verbum oris ejus, missus est a Domino, ut se ad torrentem absconderet Chorath[5]. Minabatur Achab, minabatur Jeza» bel, timuit Elias et exurrexit[6], et iterum in virtute escæ intelligibilis quadraginta diebus ambulavit, et quadraginta noctibus usque ad mentem Dei Choreb, et introïvit in speluncam, et requievit ibi; et sic postea missus est, ut ungeret reges. Duratus igitur ad patientiam est sollicitu-

[1] Matth. XVI, 25. — [2] Galat. II, 20. — [3] Act. XX, 24, et seqq. — [4] Galat. VI, 14. — [5] 3 Reg. XVII, 3. — [6] Id. XIX, 8.

dinum incolatu, et tanquam pastus ad virtutis adipalem agresti alimento processit fortior.

LXXVI. Joannes quoque in deserto adolevit, et Dominum baptizavit[1]; et constantiam illic prius exercuit, ut postea regem increparet.

LXXVII. Et quia de sancti Eliæ habitatione deserti nomina locorum non otiosa quasi feriati prætcrivimus, quid significent repetendum videtur. Missus est Elias ac torrentem Chorath, ibi eum corvi alebant, mane panem afferebant, ad vesperam carnes. Non immerito mane panis afferebatur; quia confirmat cor hominis[2]. Quo enim cibo nisi mystico aleretur Propheta? Ad vesperam caro ministrabatur. Intellige quæ legis, quia Chorath intellectus est; Choreb omne cor, vel quasi cor dicitur, Bersabee quoque puteus septimi, aut juramenti latina interpretatio est.

LXXVIII. Primum Elias in Bersabee concessit ad sanctæ Legis mysteria, divinique juris sacramenta : postea ad torrentem mittitur, ad illum fluminis impetum, qui lætificat civitatem Dei[3]. Utrumque advertis unius auctoris Testamentum : vetus Scriptura quasi puteus profunda atque obscurior, unde cum labore haurias : non plena; quia adhuc qui impleret eam, non venerat. Denique postea ait: « Non veni Legem solvere, sed implere[4]. » Ideo ad fluvium transire Sanctus a Domino jubetur[5]; quoniam qui de Novo Testamento biberit, non solum flumen est, sed etiam flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ[6], flumina intellectus, flumina cogitationis, flumina spiritalia : quæ tamen perfidiæ aruerunt tempore, ne sacrilegi biberent, potarent perfidi.

LXXIX. Ibi Prophetam Domini agnoscebant corvi, quem non agnoscebant Judæi. Pascebant corvi quem ge-

[1] Luc. III, 2, et 19. — [2] Psal. CIII, 15. — [3] Id. XLV, 5. — [4] Matth. V, 17. — [5] 3 Reg. XVII, 3. — [6] Joan. VII, 38.

nus regale illud et nobile persequebatur. Quæ est Jezabel, quæ persequebatur[1], nisi Synagoga, vane fluens, vane abundans Scripturis, quas neque custodit, neque intelligit? Qui corvi pascebant, nisi quorum pulli eum invocant, quorum jumentis dat escam, ut legimus, « Pullis corvorum » invocantibus eum[2]. » Sciebant illi corvi, quem pascerent: qui juxta intellectum erant, et ad illum cognitionis sacræ fluvium escam vehebant.

LXXX. Pascit Prophetam, qui intelligit, qui custodit quæ scripta sunt. Dat ei succum fides nostra, dat ei alimentum noster profectus: mentes ille nostras sensusque pascitur, in nostro sermo ejus intellectu epulatur. Damus ei mane panem, qui in lumine Evangelii positi, conferimus ei nostri firmamenta cordis. His alitur, his viget, his jejunantium replet ora, quibus Judæorum perfidia nullum fidei cibum subministrabat. Jejunus est illic omnis sermo propheticus, cujus adipem interiorem non vident, exesus et tenuis, qui impinguare eorum fauces non potest.

LXXXI. Fortasse ideo deferebant ad vesperam carnes[3], quasi fortiores cibos, quos infirmi ingenio Corinthii non poterant sumere; et ideo lacte potabantur Apostolico[4]. Esca ergo fortior ad vesperam mundi hujus deferabatur, mane panis. Et ideo quia Dominus hanc ministrari mandavit alimoniam, bene illud propheticum dici ei hoc loco convenit: « Exitu matutino et vespere delectabis; » et infra: « Parasti cibum illorum; quia ita est præparatio ejus[5]. »

LXXXII. Sed satis de magistro dictum puto, nunc discipulorum vitam persequamur, qui in illam se laudem induerunt, hymnis dies ac noctes personant. Hæc nempe Angelorum militia est semper esse in Dei laudibus, orationibus conciliare crebris, atque exorare Dominum: stu-

[1] 3 Reg. XVII, 6. — [2] Psal. CXLVI, 9. — [3] 3 Reg. XVII, 6. — [4] 1 Cor. III, 2. — [5] Psal. LXIV, 9.

dent lectioni, vel operibus continuis mentem occupant, separati a cœtu mulierum, sibi ipsi invicem tutam præbent custodiam. Qualis hæc vita, in qua nihil sit quod timeas, et quod imiteris plurimum adest? Jejunii labor compensatur mentis placiditate, levatur usu, sustentatur otio, aut fallitur negotio : non oneratur mundi sollicitudine, non occupatur alienis molestiis, non urgetur urbanis discursibus.

LXXXIII. Huic vel servando, vel edocendo muneri advertitis qualis adhibendus magister sit, quem reperire possumus, si vestra unanimitas aspiret, si vos donetis invicem vobis, si quis ab altero se læsum putat[1]. Non enim hæc sola est forma justitiæ, ut non lædas eum, qui te non læserit; sed etiam illa, ut etiam ei remittas, qui te læserit. Lædimur plerumque fraude alterius, dolo proximi : numquid hoc virtutis putamus, ut dolum dolo ulciscamur, fraudem referamus fraudibus? Etenim si justitia virtus est, crimine debet vacare, nec improbitatem improbitate refellere. Quæ enim virtus hoc a te fieri, quod in altero ipse punias? Contagio ista improbitatis non ultio est : nihil autem interest cui malefacias, utrum justo, an injusto, cum te malefacere non oporteat. Neque distat quomodo malignus sis, utrum vindicandi studio, an voto nocendi; cum malignitas in utroque genere non careat reprehensione. Nam malignum esse ab injusto nihil distat; ideoque tibi dictum est : « Noli malignus esse inter malignantes, neque » æmulatus fueris facientes iniquitatem[2]; » et supra idem ait : « Odio habui congregationem malignantium[3]. » Omnes utique complexus est, nullum excepit : malignitatem tenuit, non causam interrogavit.

LXXXIV. Quæ autem melior forma quam justitiæ divinæ? Dicit enim Filius Dei : « Diligite inimicos vestros. »

[1] Ephes. iv, 32. — [2] Psal. xxxvi, 1. — [3] Id. xxv, 5.

Et iterum dicit : « Orate pro persequentibus et calumnian» tibus vos[1]. » Eo usque perfectis studium adimit ultionis, ut lædentium charitatem imperet. Et quoniam in veteri Scriptura dixerat : « Mihi vindictam, et ego retribuam[2], » in Evangelio ait orandum pro iis qui læserint; ne in eos vindicet, qui vindicandum promisit : vult enim ex tua dimittere voluntate, in quo ex sua convenitur promissione. quod si vindictam requiris, habes quia injustus amplius suis punitur opinionibus, quam judiciariis severitatibus.

LXXXV. Et quoniam nemo potest esse sine aliquibus adversis, id agamus, ne nobis nostro vitio adversa accidant. Nemo enim gravius alieno condemnatur judicio, quam insipiens suo, qui sibi auctor est malorum. Unde molesta et plena contentionis declinemus negotia, quæ neque fructum habent, et impedimentum afferunt. Quanquam id agere debemus, ne nos arbitrii nostri pœniteat, aut facti : Prudentis est enim prospicere, ne frequenter eum pœniteat sui; nunquam enim pœnitere solius est Dei. Quis vero justitiæ fructus, nisi mentis tranquillitas? Aut quid est juste vivere, nisi cum tranquillitate vivere? Qualis forma fuerit domini, talis totius domus est status. Quod si domui quæruntur ista, quanto magis in Ecclesia, « Ubi » et dives et pauper, servus et liber, Græcus et Scytha, ho» noratus et plebeïus, omnes in Christo unum sumus[3]? »

LXXXVI. Nemo præsumat, quia dives est, plus sibi deferendum. Ille est dives in Ecclesia, qui fide dives est; fideli enim totus mundus divitiarum est[4]. Quid mirum si mundum fidelis possidet, qui possidet Christi hæreditatem, quæ pretiosior est mundo? « Sanguine pretioso » redempti estis[5], » omnibus utique non solis pecuniosis dictum est. Sed si vultis divites esse, sequimini dicen-

[1] Matth. v, 44. — [2] Deut. xxxii, 35. — [3] Coloss. iii, 11. — [4] Prov. xvii, 5. — [5] I Petr. i, 19.

tem : « Sancti in omni conversatione estote[1]. » Non solis divitibus dicit, sed omnibus; quia sine discrimine personarum judicat, ut bonus testis ejus Apostolus dicit : Et ideo non in remissione, non in fastidio, non in exaltatione cordis : sed « In timore, inquit, hoc incolatus vestri tem»pore conversamini[2]. » Tempus accepistis hac in terra, non perpetuitatem : ipsi tempore utamini, qui sciatis vos migraturos.

LXXXVII. Nolite in divitiis confidere; quia omnia illa hîc relinquuntur, sola vos comitabitur fides. Erit sane etiam justitia comes, si fides prævia sit. Quid vos palpant divitiæ? « Non auro vel argento, » non possessionibus, non sericis vestibus, « De vana vestra conversatione re»dempti estis : sed pretioso sanguine Christi Jesu[3]. » Ille ergo dives est, qui fuerit hæres Dei, Christi cohæres. Noli pauperem contemnere, ille te divitem fecit. Noli egentem fastidire : « Iste pauper clamavit, et Dominus »exaudivit eum[4]. » Noli inopem refutare : et Christus pauper factus est, cum dives esset : sed propter te pauper factus est; ut te inopia sua divitem faceret. Noli quasi dives te attollere : sine pecunia misit Apostolos suos.

LXXXVIII. Denique primus eorum dixit : « Argentum et » aurum non habeo[5]. » Gloriatur in paupertate, quasi refugiat contaminationem. « Argentum, inquit, et aurum non » habeo : » non, aurum et argentum. Nescit ordinem, qui nescit usum. « Argentum et aurum non habeo, » sed fidem habeo. Satis dives sum in nomine Jesu, quod super omne nomen est[6]. Argentum non habeo, sed nec requiro; aurum non habeo, sed nec desidero : sed habeo quod vos divites non habetis, habeo quod pluris esse etiam vos arbitremini, et dono pauperibus; ut in nomine Jesu dicam : « Convalescite, manus remissæ, et genua dissoluta[7]. »

[1] I Petr. I, 15. — [2] Ibid. 17. — [3] Ibid. 18 et 19. — [4] Psal. XXXIII, 6. — [5] Act. III, 6. — [6] Philip. II, 9. — [7] Isa. XXXV, 3.

LXXXIX. Sed si vultis divites esse, estote pauperes. Tunc eritis per omnia divites, si fueritis pauperes spiritu[1] : Non census divitem, sed animus facit.

XC. Sunt qui se humiliant in multis divitiis, et recte, ac prudenter; satis enim dives omnibus naturæ lex est, cui cito invenias, quod abundet : cupiditatibus autem omnis divitiarum abundantia inopia est. Denique nemo pauper nascitur, sed fit. Non ergo naturæ paupertas, sed opinionis est; ideoque cito invenitur dives naturæ, difficile cupiditati. Etenim quo plus unusquisque acquisierit, plus sitit, et quasi quadam inardescit ebrietate cupiditatum suarum.

XCI. Quid quasi necessarium quæritis cumulum divitiarum? Nihil tam necessarium, quam cognoscere quid non sit necessarium. Quid in carnem retorquetis excusationem? Non corporis venter insatiabilem, sed mentis avaritia facit. Numquid caro spem futuri abstulit? Numquid caro spiritalis gratiæ suavitatem ademit? Numquid caro fidem impedivit? Numquid caro aliquid tanquam furiosis dominis, vanis opinionibus adjudicavit? Plus amat caro moderatam frugalitatem, qua exitur onere, induitur salubritate; quia sollicitudinem deponit, assumit tranquillitatem.

XCII. Sed nec ipsæ divitiæ vituperabiles. Denique « Redemptio animæ viri, divitiæ ejus[2]; » quoniam qui pauperi donat, redimit animam suam. Est ergo et his materialibus divitiis virtuti locus. Quasi gubernatores estis in magno mari. Si quis bene gubernat suum navigium, cito transit fretum, ut perveniat ad portum; qui autem nescit regere suum censum, onere suo mergitur. Ideo scriptum est : « Possessio divitum civitas firmissima[3]. »

XCIII. Quæ est ista, nisi Hierusalem : quæ in cælo est,

[1] Matth. v, 3. — [2] Prov. xiii, 8. — [3] Id. x, 15.

in qua regnum est Dei? Bona hæc possessio, quæ fructus perpetuos facit. Bona possessio, quæ non hîc relinquitur, sed illic possidetur. In hac possessione qui fuerit, dicit: « Portio mea Dominus[1]. » Non dicit: Portio mea ab illis usque ad illos porrecta et diffusa terminos. Non dicit: Portio mea inter illos vicinos, nisi forte inter Apostolos, inter Prophetas, inter sanctos Domini; hæc est enim justa portio. Non dicit: Portio mea in pratis, non in sylvis, non in campis; nisi forte in campis sylvæ, in quibus invenitur Ecclesia, de qua scriptum est: « Invenimus eam » in campis sylvæ[2]. » Non dicit: Portio mea greges equorum: « Mendax enim equus ad salutem[3]. » Non dicit: Portio mea armenta boum, asini, oves; nisi forte inter illa se numerat armenta, quæ agnoscunt possessorem suum[4]: et in illa asina vult consortium habere, quæ non refugit præsepe Christi: et illa ovis sibi portio est, quæ ad immolandum ducta est, et ille « Agnus coram tondente » sine voce, qui non aperuit os suum[5]; » cujus in humilitate judicium exaltatum est. Bene ait: « Coram tondente, » quia superflua, non propria in illa deposuit cruce: qui corpus exuit, non divinitatem amisit.

XCIV. Non quicumque ergo dicit: « Portio mea Domi- » nus. » Non avarus dicit; quia venit avaritia, et dicit: Mea portio es, ego te subditum habui, mihi servisti, mihi te in illo auro vendidisti, mihi te in illa possessione adjudicasti. Non dicit luxuriosus: Portio mea Christus; quia venit luxuria, et dicit: Mea portio es, ego te in illo mihi mancipavi convivio, illis te cepi epularum retibus, ego te addictum teneo gulæ tuæ chirographo. An ignoras quia charius fuit mensæ tuæ quam vitæ pretium? Tuo te judicio revinco: nega, si potes, sed negare non potes.

[1] Psal. cxviii, 94. — [2] Id. cxxxi, 6. — [3] Id. xxxii, 17. — [4] Isaï. i, 3. — [5] Id. liii, 7.

Denique nihil ad vitam reservasti, totum ad mensam expendisti. Non potest dicere adulter : « Portio mea Dominus; » quia venit libido, et dicit : Ego sum tibi portio, mihi te in illius adolescentulæ addixisti amore, in illius nocte meretricis in meas leges, in mea jura migrasti. Non dicit proditor : Portio mea Christus; quia statim irruit in eum nequitia mali, et dicit : Fallit te, Domine Jesu, meus est iste.

XCV. Habemus exemplum, quia cum Judas panem a Christo accepisset[1], immisit se in cor ejus diabolus, quasi possessionem suam vindicans, quasi portionis suæ jus retinens, quasi dicens : Non est tuus iste, sed meus : meus certe minister, tuus proditor; meus plane iste est. Denique tecum recumbit, et mihi servit : tecum epulatur, et mecum pascitur : a te panem accepit, a me pecuniam : tecum bibit, et mihi tuum sanguinem vendidit. Quam vera diceret, probavit. Denique Christus recessit ab eo, ipse quoque Judas reliquit Jesum, secutus diabolum.

XCVI. Quam multos dominos habet, qui unum refugerit! Sed nos non refugiamus. Quis refugiat eum quem sequuntur alligati vinculis, sed vinculis voluntariis, quæ solvunt, non alligant, quibus vincti vinculis gloriantur dicentes : « Paulus vinctus Jesu Christi, et Timotheus[2] : » Gloriosius ab hoc stringimur, quam aliis absolvimur et relaxamur. Quis igitur fugiat pacem? quis fugiat salutem? quis fugiat misericordiam? quis fugiat redemptionem?

XCVII. Videtis, filii, quales evaserint, qui hæc secuti sunt, quomodo operentur defuncti? Quarum virtutum laudem miramur, earum studeamus adipisci industriam : et quas prædicamus in aliis, eas in nobis taciti recognoscamus. Nihil molliculum, nihil infractum ad laudem pervenit : « Regnum cœlorum cogitur, et cogentes diripiunt

[1] Joan. XIII, 2. — [2] Philem. 1.

» illud[1]. » Festinantes patres agnum manducabant. Festina est fides, alacris devotio, spes impigra : contradictiones animi non amat, sed traductionem ab infructuoso otio ad fructum laborum. Quid in crastinum differs? Potes et hodiernum diem lucrari; cavendum est enim ne et illum non teneas, et hunc amittas. Non exiguum detrimentum est vel horæ unius : et una hora totius vitæ portio est.

XCVIII. Sunt juvenes, qui cito volunt ad senectutem pervenire; ne subjaceant diutius seniorum arbitrio; sunt etiam senes, qui velint, si possint, ad juventutem redire. Quorum studium neutrum probo; quia juvenes fastidiosi præsentium, quasi ingrati mutationem vivendi requirunt, senes dilationem; cum possit et juventus senescere moribus, et senectus virere operibus. Neque enim emendationem morum magis ætas affert, quam disciplina. Quanto ergo magis nos oportet spem attollere ad regnum Dei, ubi vitæ novitas, ubi gratiæ erit, non ætatis commutatio?

XCIX. Non otio, non somno merces paratur. Nullum opus dormientis est, nullus fructus otii : imo magis dispendium. Otiosus Esaü amisit primatus benedictionis[2]; quia maluit cibum accipere, quam quærere. Laboriosus Jacob apud utrumque parentem invenit gratiam.

C. Et tamen cum superior esset Jacob virtute et gratia, cessit fratris indignationi, qui sibi prælatum fratrem juniorem dolebat. Ideo scriptum est : « Date locum iræ[3], » ne alterius indignatio te quoque in peccatum trahat, dum vis resistere, dum vis vindicari. Potes et ab illo et a te removere culpam, si cedendum putes. Imitare Patriarcham, qui de consilio matris longinqua petiit[4]. Et cujus matris? Rebeccæ utique, hoc est, patientiæ. Cujus enim nisi patientiæ hoc consilium esse poterat? Amabat mater filium;

[1] Matth. XI, 12. — [2] Gen. XXVII, 35. — [3] Rom. XII, 19. — [4] Gen. XXVII, 43.

maluit enim sibi eum exulare quam Deo. Et ideo quia bona mater, utrique detulit, juniori tamen filio benedictionem, quam conservare poterat, dedit; non enim filium filio, sed impigrum otioso prætulit, fidelem infido. Sed etiam filio ipsi seniori non parum contulit amandando minorem filium, ne parricidium faceret.

CI. Itaque quoniam ob pietatem non propter improbitatem exulabat a parentibus, loquebatur cum Deo, augebatur censu, liberis, gratia. Neque istis elatus est, cum fratri occurreret : sed humiliatus adoravit, non utique illum immitem, illum furibundum, illum degenerem; sed eum quem in fratre considerabat. Ideoque adoravit septies, numero scilicet remissionis (54); quia non hominem adorabat, sed eum, quem in carne hominis esse venturum prævidebat spiritu, ut tolleret peccata mundi [1]. Quod tibi ex Petri responsione aperitur mysterium, dicente eo : « Si peccaverit in me frater meus, quoties remittam ei? » Usque septies [2] ? » Vides quoniam peccatorum remissio, typus est illius magni sabbati, illius quietis perpetuæ gratiæ; et ideo contemplatione donatur.

CII. Sed quid sibi vult quod et uxores, et filios, et omnes disposuit suos, et præcepit ut et ipsi adorarent super terram [3]? Non utique ut elementum, quod plerumque repletur sanguine, in quo officina est scelerum, aut vastis plerumque horret cautibus, aut præruptis rupibus, aut sterili et jejuno solo : sed ut carnem præsidio nobis futuram. Et fortasse hoc illud est mysterium, quod te docuit Dominus dicens : « Non solum septies, sed etiam septuagies » septies [4]. »

CIII. Et vos igitur donate injurias vestras [5], ut sitis filii Jacob. Nolite exasperari sicut Esaü. Imitamini sanctum

[1] Joan. I, 29. — [2] Matth. XVIII, 21. — [3] Gen. XXXIII, 6. — [4] Matth. XVIII, 22. — [5] Coloss. III, 13.

David, qui tanquam bonus magister reliquit nobis quod imitaremur, dicens: « Pro eo ut diligerent me, detrahe» bant mihi: ego autem orabam[1]; » et cum malediceretur, orabat. Bonum scutum oratio, qua contumelia excluditur, maledictum repellitur, et in ipsos qui maledixerint, frequenter retorquetur; ut suo telo vulnerentur: « Maledicent, » inquit, et tu benedices[2]. » Ambienda hominum maledictio, quæ acquirit Dominicam benedictionem.

CIV. Quod superest, charissimi, considerate quia Jesus extra portam passus est, et vos egredimini de hac terrena civitate[3]; quia civitas vestra superior est Hierusalem. Ibi conversamini, ut dicatis: « Nostra autem conversatio » in cœlis est[4]. » Ideo Jesus exivit de civitate, ut vos exeuntes de hoc mundo, supra mundum sitis. Moyses solus qui Deum videbat, extra castra habebat tabernaculum, quando loquebatur cum Deo[5]: et hostiarum, quæ pro peccato fiebant, sanguis quidem altaribus inferebatur, corpora autem extra castra comburebantur[6]; quia nemo intra mundi hujus vitia positus peccatum deponit, nec sanguis ejus acceptus est Deo, nisi de corporis hujus exeat inquinamento.

CV. Hospitalitatem diligite, per quam sanctus Abraham invenit gratiam, Christum hospitio suscepit, filium Sara meruit effœta jam senectute[7]: Lot quoque Sodomitani excidii evasit ignem[8]. Et tu potes suscipere Angelos, si advenientibus hospitium tuum offeras. Quid de Rahab dicam, quæ hoc munere invenit salutem[9]?

CVI. Compatimini iis qui alligati tenentur vinculis, tanquam simul alligati. Consolamini in luctu positos: « Melius » est enim ire in domum luctus quam in domum gaudii[10]. » Illic officii meritum boni, hîc vitium lapsus refertur. Pos-

1 Psal. CVIII, 4. — 2 Ibid. 28. — 3 Hebr. XIII, 12. — 4 Philip. III, 20. — 5 Exod. XXXIII, 7, et seqq. — 6 Id. XXIX, 12 et 13. — 7 Gen. XVIII, 3, et seqq. — 8 Id. XIX, 2, et seqq. — 9 Josué. II, 1, et seqq. — 10 Eccli. VII, 3.

tremo illinc mercedem sperans, hîc recepisti. Sentite de laborantibus tanquam simul laborantes.

CVII. Mulier viro deferat, non serviat : regendam se præbeat, non coërcendam. Indigna est conjugio, quæ digna est jurgio. Vir quoque uxorem tanquam gubernator dirigat, tanquam consortem vitæ honoret, participet ut cohæredem gratiæ.

CVIII. Matres, ablactate filios, diligite eos : sed orate pro iis ut longævi super terram sint, non in terra, sed super terram, nihil enim longævum in hac terra; et quod est diu, breve est et magis lubricum. Monete eos ut magis crucem Domini tollant, quam hanc vitam diligant.

CIX. Maria mater Domini ante crucem filii stabat : nullus me hoc docuit, nisi sanctus Joannes evangelista[1]. Mundum alii concussum in passione Domini conscripserunt cœlum tenebris obductum, refugisse solem, in paradisum latronem, sed post piam confessionem receptum[2]. Joannes docuit quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce positus matrem appellaverit, pluris putans quod victor suppliciorum pietatis officia matri exhibebat, quam quod regnum cœleste donabat. Nam si religiosum est, quod latroni donatur venia; multo uberioris pietatis est, quod a filio mater tanto affectu honoratur : « Ecce, inquit, filius » tuus.... Ecce mater tua[3]. » Testatur de cruce Christus, et inter Matrem atque Discipulum dividebat pietatis officia. Condebat Dominus non solum publicum, sed etiam domesticum testamentum, et hoc ejus testamentum signabat Joannes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum non pecuniæ, sed vitæ æternæ : quod non atramento scriptum est, sed Spiritu Dei vivi, qui ait : « Lin» gua mea calamus scribæ velociter scribentis[4]. »

[1] Joan. XIX, 25. — [2] Matth. XXVII, 45, et Luc. XXIII, 43.— [3] Joan. XIX, 27. — [4] Psal. XLIV, 2.

CX. Sed nec Maria minor, quam matrem Christi decebat. Fugientibus Apostolis, ante crucem stabat, et piis spectabat oculis filii vulnera; quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut fortasse quia cognoverat per filii mortem mundi redemptionem aula regalis, etiam sua morte putabat se aliquid publico addituram muneri. Sed Jesus non egebat adjutore ad redemptionem omnium, qui omnes sine adjutore servavit. Unde et dicit: «Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber[1].» Suscepit quidem affectum parentis, sed non quæsivit alterius auxilium.

CXI. Hanc imitamini, matres sanctæ, quæ in unico filio dilectissimo tantum maternæ virtutis exemplum edidit; neque enim vos dulciores liberos habetis, neque illud Virgo quærebat solatium, quod alium posset generare filium.

CXII. Domini servis imperate non quasi conditione subditis, sed ita ut naturæ ejusdem cujus vos estis, consortes eos esse memineritis. Servi quoque dominis servire cum voluntate[2]; etenim unusquisque quod natus est, patienter debet suscipere: nec solum bonis, sed etiam asperis obedite dominis. Nam quæ est vestræ servitutis gratia, si bonis serviatis sedulo? Sed si etiam asperos promereamini; nam liberi quoque nullam habent mercedem, si peccantes puniantur a judicibus: sed illa merces est, si etiam non peccantes. Et vos ergo contemplatione Domini Jesu etiamsi difficilibus serviatis dominis cum patientia, mercedem habebitis. Siquidem ipse Dominus justus ab injustis passus est, et patientia mirabili peccata nostra suæ affixit cruci: ut qui illum imitatus fuerit, peccata sua sanguine suo diluat.

CXIII. Ad summam, convertimini omnes ad Dominum

[1] Psal. LXXXVII, 5. — [2] I Petr. II, 18.

Jesum. Sit in vobis vitæ hujus delectatio in bona conscientia, patientia mortis cum spe immortalitatis, confirmatio resurrectionis cum Christi gratia, veritas cum simplicitate, fides cum confidentia, abstinentia cum sanctitate, industria cum sobrietate, conversatio cum modestia, eruditio sine vanitate, sobrietas doctrinæ, fidelitas sine hæresis temulentia. Gratia Domini Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

CLASSIS II.

EPISTOLA LXIV.

Irenæo roganti cur manna quod olim pluit Israëlitis, Christianis non pluat; respondet manna Dominici corporis typum fuisse, ac proinde ubi hoc præsens datum est, illud evanuisse. Addit insuper in eodem extitisse figuram sapientiæ, quæ verus animarum cibus est, et cujus subtilitas ex variis Scripturæ locis commendatur.

Ambrosius Irenæo salutem.

I. Quæris a me cur Dominus Deus manna pluerit populo patrum, et nunc non pluat. Si cognoscis, pluit, et quotidie pluit de cœlo manna servientibus sibi. Et corporeum quidem illud manna hodie plerisque in locis invenitur: sed nunc non est tanti res miraculi; quia venit quod perfectum est. Perfectum autem panis de cœlo, corpus ex Virgine, de quo satis Evangelium te docet. Quanto præstantiora hæc superioribus? Illud enim manna, hoc est, panem illum qui manducaverunt, mortui sunt[1]: hunc autem panem qui manducaverit, vivet in æternum.

II. Sed est spiritale manna, hoc est, pluvia spiritalis sapientiæ, quæ ingeniosis et quærentibus de cœlo infunditur, et irrorat mentes piorum, et obdulcat fauces eorum. Qui igitur intellexerit infusionem divinæ sapientiæ, delec-

[1] Joan. vi, 59.

tatur, nec alium cibum requirit, nec in solo pane vivit, sed in omni verbo Dei[1]. Qui curiosior fuerit, quærit quid sit istud quod melle dulcius sit. Respondet illi minister Dei : « Hic est panis, quem dedit tibi Deus manducare[2]. » Quid sit iste panis, audi : « Sermo, inquit, quem ordina- » vit Deus. » Hæc ergo ordinatio Dei, hæc alimonia alit animam sapientis, et illuminat atque obdulcat, resplendens veritatis corusco, et mulcens tanquam favo quodam, ita diversarum virtutum suavitate et sermone sapientiæ : « Favi » enim mellis sermones sunt boni[3], » sicut scriptum est in Proverbiis.

III. Cur autem minutum sit, causam accipe; quia et granum sinapis minutum est, quod comparatur regno cœlorum[4] : et fides quæ sicut granum est sinapis, potest montes tollere, et jactare in mare[5]. Et « Fermento simile » est regnum cœlorum, quod abscondit mulier in farinæ » mensuris tribus, donec fermentetur totum[6]. » Et Moyses caput vituli aurei comminuit sicut pulverem, et misit in aquam, et dedit populo bibere[7]; incrassatum enim erat cor eorum perfidiæ immanitate, ut emolliretur (55) et fidei sumeret subtilitatem. Denique illa mulier, quæ bene emoluerit, assumetur : ea autem quæ male emoluerit, derelinquetur[8].

IV. Emole ergo et tu fidem tuam, ut sis sicut illa anima quæ Christi in se charitatem excitat, quam mirantur ascendentem Virtutes cœlorum; quod sine offensione ascendat, et ex hoc mundo ascendat cum lætitia et jucunditate : sicut vitis propago, et sicut fumus se ad superna subrigat, flagrans odorem resurrectionis piæ, et suavitatem fidei, sicut habes scriptum : « Quæ est hæc, quæ ascendit a de-

[1] Matth. IV, 4. — [2] Exod. XVI, 15 et 16. — [3] Prov. XVI, 24. — [4] Luc. XIII, 19. — [5] Id. XVII, 6. — [6] Id. XIII, 21. — [7] Exod. XXXII, 20. — [8] Matth. XXIV, 41.

» serto, sicut vitis propago fumo incensa, odorificata mir» rha et thure ab omnibus pulveribus unguenti[1]?

V. Pulchre subtilitatem ejus expressit pulveris comparatione et unguenti commemoratione; quia in Exodo subtile legimus, et ex multis compositum thymiama illud esse incensum propheticum, quod est sanctorum oratio[2]; ut dirigatur in conspectu Domini, sicut et David dicit: « Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo[3]. » Denique græcus Καθευθυνθήτω ἡ προσευχή μου ὡς θυμίαμα ἐνώπιόν σου dixit. Et in Apocalypsi Joannis legimus quia « Ste» tit Angelus ante altare, habens thuribulum aureum, et » data sunt ei thymiamata multa de orationibus sanctorum » omnium. Et ascendit, inquit, fumus thymiamatum ora» tionum sanctorum de manu Angeli in conspectu Dei[4]. »

VI. Et umbilicus animæ ac venter subtilis est illius, quæ ascendit ad Christum; ideoque laudatur voce sponsi dicentis : « Umbilicus tuus crater tornatilis, non deficiens » mixto, venter tuus acervus tritici minuti inter lilia[5]. » Est enim in omni doctrina tornatus, et potus spiritalis non deficiens plenitudine, et cœlestium secretorum cognitione. Venter quoque animæ mysticus, sicut umbilicus, quo ventre non solum fortem cibum sumit, quo corda firmantur; sed etiam suavem ac florulentum, quo delectantur. Et fortasse hoc docuit Moyses multis orationibus, et piis illud mitigandum sacrilegium.

VII. In libro quoque Regnorum cum se Dominus sancto revelaret Eliæ[6], vox auræ tenuis præcessit, et statim se ei Dominus revelavit; ut cognoscamus ea, quæ corporea sunt, crassa esse et pinguia : ea quæ spiritalia, mollia et subtilia, ut non possint comprehendi oculis. Denique et spiritus sapientiæ subtilis et mobilis legitur in

[1] Cant. III, 6. — [2] Exod. XXX, 8. — [3] Psal. CXL, 2. — [4] Apoc. VIII, 3, 4. — [5] Cant. IV et V. — [6] 3 Reg. XIX, 12.

libro Sapientiæ, quia est in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, et mobilis[1]: qui sermones suos molat prius, ne quid offendat vel in sensu, vel in alloquio. Denique Babyloni illi, cum destruetur, dicetur? « Et vox molæ non audietur in te amplius[2]. »

VIII. Hoc igitur manna subtile erat, et ad diem colligebatur, in diem alterum non servabatur; eo quod inventa sapientiæ in tempore sint gratiora, nec tam miranda quæ spatio temporis reperiuntur, quam illa quæ præsentis funduntur ingenii vivacitate; sive quia futura revelantur mysteria, eo quod servatum manna usque ad solis exortum, esui jam esse non posset, id est, usque ad Christi adventum habere gratiam: oriente autem justitiæ Sole, et splendidioribus Christi corporis et sanguinis sacramentis refulgentibus, cessarent inferiora, perfecta illa sumenda populo forent. Vale, et nos dilige; quia nos quoque te diligimus.

[1] Sap. VII, 22. — [2] Apoc. XVIII, 22.

EPISTOLA LXV.

Simplicianum cur hostiarum sanguis partim super altare, partim in crateras infunderetur, scire cupientem Ambrosius honorifice allocutus, per cruoris partem, qua perfundebatur altare, mysteriorum cognitionem: per eam vero, quæ in crateras immittebatur, morum scientiam significari docet. Subdit insuper adventum Christi, qui utraque disciplina nos erudivit, quique proprio sanguine omnes redemit, in eodem sacrificio figuratum.

Ambrosius Simpliciano salutem.

I. Motum te, cum legeres, significasti mihi, quid sibi velit, quod Moyses post oblatum sacrificium, et immolatas Domino salutares hostias dimidiam partem sanguinis in crateras miserit, dimidiam autem ad altare effuderit[1]. Sed quid est, quod ipse dubites, et a nobis requiras; cum fidei et acquirendæ cognitionis divinæ gratia totum orbem peragraveris, et quotidianæ lectioni nocturnis ac diurnis vicibus omne vitæ hujus tempus deputaveris, acri præsertim ingenio etiam intelligibilia complectens; utpote qui etiam philosophiæ libros, quam a vero sint devii demonstrare soleas, et plerosque tam inanes esse, ut prius scribentium in suis scriptis sermo, quam vita eorum defecerit.

II. Tamen quia collatio sermonis, ut pecuniæ, magno est usui, atque ea maximus in commune emolumentum

[1] Exod. xxvi, 6.

negotiationis profectus paratur, quam mirabilis sit ista sanguinis divisio, reticere non queo. Pars enim ejus moralem sapientiæ disciplinam videtur significare, pars mysticam. Illa quæ in crateras mittitur, moralis est : hæc quæ ad altare effunditur, mystica ; eo quod divino munere et aspiratione quadam humanis infundatur mentibus, ut convenientia et fidei plena de Deo sentiant.

III. Denique qui locuti sunt de ejus majestate, et de cœlestibus, vel Apostoli, vel sancti Prophetæ, nonnisi ex revelatione demonstrata sibi loqui ausi sunt. Unde Paulus et raptum se in paradisum, et audisse se verba, quæ non licet homini loqui, in Epistola sua testificatus est[1] : Stephanus quoque vidit cœlos apertos, et Jesum ad dexteram Dei stantem[2] : et David propheta vidit sedentem[3]. Nam de Moyse quid loquar, de quo dicit Scriptura, quod non surrexit amplius Propheta in Israël, sicut Moyses, qui scivit Dominum facie ad faciem[4], in omnibus signis et prodigiis, quæ fecit in terra Ægypti.

IV. Mystica ergo Deo libatur, qui splendore divinæ sapientiæ, cujus pater et genitor est, inflammat animæ vigorem ac mentem illuminat. Sapientia autem Dei Christus, in cujus pectore recumbebat Joannes[5], ut de principali illo secretoque sapientiæ hausisse divina proderetur mysteria. Denique ipse conscius muneris hoc scripsit, qui sibi, quod acceperat, vindicare, et suo assignare ingenio reformidabat. Sed et ipse Dominus dicebat Apostolis, os suum aperiens : « Accipite Spiritum sanctum[6] ; quo declaravit se esse, qui Moysi dixerat : « Ego aperiam » os tuum, et instruam te quid debeas loqui[7]. » Ergo hæc sapientia divina, inenarrabilis, impermixta atque incorrupta sanctorum animis sui infundit gratiam, et cognitionem revelat, ut speculentur ejus gloriam.

[1] 2 Cor. XI, 4. — [2] Act. VII, 55. — [3] Psal. CIX, 1. — [4] Deut. XXXIV, 10 et 11. — [5] Joan. XIII, 25. — [6] Id. XX, 22. — [7] Exod. IV, 12.

V. Illa autem moralis sapientiæ disciplina est, quæ mittitur in crateras, et ex illis percipitur atque hauritur. Crateres igitur sensuum receptacula. Crateres oculi sunt duo, aures sunt, nares sunt, os quoque, et aliæ partes convenientes muneri; oculi enim visum recipiunt et ministrant, auditum aures, odorem nares, ora gustatum, et cætera. In istos crateres Verbum illud, in quo est principatus sacerdotii vel prophetiæ, effundit sanguinis sui partes; ut vivificet atque animet irrationabiles portiones, et faciat rationabiles.

VI. Denique ubi Legis præcepta enumeravit atque annuntiavit populo[1], theoriam postea intelligibilis illius arcæ testimonii, vel candelabri, vel thymiamaterii locuturus, immolavit hostias et libavit, sanguinis partem affundens altaribus sacris, partem autem infundens crateribus.

VII. Fit ergo divisio mysticæ illius, hoc est, divinæ moralisque sapientiæ. Λόγος enim divisor est animarum atque virtutum: λόγος autem verbum Dei validum et acutum, quod pertransit ac penetrat usque ad divisionem animæ, virtutes quoque distinguit et dividit[2]; cujus minister Moyses divisione sanguinis virtutum genera distinxit.

VIII. Et quia nihil præ cæteris in Lege, nisi Christi adventus annuntiatur atque ejus præfiguratur passio; vide ne ista sit hostia salutaris, quam Verbum Deus in semetipso obtulit, atque in suo immolavit corpore: quod primo moralem in Evangelio, sed etiam in Lege docuit disciplinam, et in sua patientia atque in ipso actu et opere monstravit, tanquam in crateras, ita in mores nostros sensusque transfundens velut substantiam quamdam et vitalia ipsa sapientiæ, quibus mentes hominum vivificavit ad virtutis seminarium, et instituta pietatis: deinde accedens ad altare, effudit hostiæ suæ sanguinem.

[1] Exod. xxv, 31, et seqq. — [2] Hebr. iv, 12.

IX. Itaque sive ita hæc accipias, pius, ut arbitror, sensus est : sive secundum Salomonem velis, concurrit æque, ut quia sanguinem misit in crateras Moyses propheta, cognoscas ipsum esse sanguinem, de quo scriptum est quia sapientia miscuit in cratere vinum suum[1], dicens ut relinquerent insipientiam, et quærerent sapientiam. Hauritur ergo de cratere sapientia, hauritur disciplina, hauritur intellectus, hauritur correctio, hauritur vitæ emendatio, hauritur morum et consiliorum temperatio, pietatis gratia, virtutis incrementum, fons ubertatis.

X. Quod vero ad altare effundit sanguinem, ut intelligas licet ablutionem mundi, remissionem omnium peccatorum. Etenim sanguinem illum ad altare quasi hostiam effundit ad multorum exhaurienda peccata. Agnus enim hostia est, sed agnus non irrationabilis naturæ, sed divinæ potentiæ, de quo dictum est : « Ecce Agnus Dei, » ecce qui tollit peccatum mundi[2]. » Non solum enim mundavit sanguine delicta universorum, sed etiam divina potestate donavit. An non tibi videtur effudisse sanguinem suum, de cujus latere supra ipsum passionis altare aqua cucurrit et sanguis[3] ? Vale, et nos parentis affectu dilige, ut facis.

[1] Prov. IX, 2. — [2] Joan. I, 29. — [3] Id. XIX, 34.

EPISTOLA LXVI.

Præmissa laude epistolarum, maxime quæ de re utili instituuntur, docet per id quod Aaron mulierum inaures in vituli caput conflaverit, significari ereptum serpentinis flatibus fidei signaculum, ac præmonstratam Judæorum idololatriam : per id vero quod fractis tabulis, Moyses vitulum comminuit, indicari delendam superbiam ac perfidiam : per illud tandem quod in proximum jussit sævire, nos admoneri, ut consanguineos posthabeamus religioni, et quidquid Deo in nobis resistit, præcidamus.

Ambrosius Romulo.

I. Epistolarum genus propterea repertum, ut quidam nobis cum absentibus sermo sit, in dubium non venit : sed fit hoc usu exemploque pulchrius, si inter parentem ac filios crebra et jucunda alloquia cædantur; ut vere inter disjunctos corpore quædam imago referatur præsentiæ : his enim adolescit officiis amor, sicut tuis ad me, aut meis ad te augetur litteris. Sed hoc multo locupletius proximis tuæ dilectionis experiri cœpi affatibus, quibus me consulendum putasti, quid sibi vellet quod Aaron aurum detraxerit populo poscenti sibi fieri deos[1], et quod eo auro figuratum sit vituli caput, vel quod Moyses tam dure indignatus sit, ut juberet proximum quemque insurgere gladiis in necem proximi sui. Magnum est enim nullum pati absentibus damnum irrepere, non solum suavitatis, sed etiam collationis et liberalis scientiæ. Quid

[1] Exod. xxxii, 2, et seqq.

igitur de eo sentiam, quoniam exposcis, conferendi magis quam exponendi studio loquar.

II. Cum Moyses in monte Sina Legem acciperet, populus erat cum Aaron sacerdote[1]; et quamvis frequenter ad culpam lubricus, tamen quandiu Lex dabatur, sacrilegio errasse non proditur. Verum ubi divinum conticuit oraculum, peccatum irrepsit, ut peterent sibi fieri deos. Coactus Aaron petiit annulos eorum, et inaures mulierum: quæ tradita in ignem misit, et conflatum est vituli caput.

III, Neque excusare tantum sacerdotem possumus, neque condemnare audemus. Non imprudens tamen, qui annulos Judæis et inaures abstulit; etenim qui sacrilegium moliebantur, nec fidei signaculum habere poterant, nec ornamenta aurium. Denique et patriarcha Jacob abscondit inaures cum simulacris gentium, quando in Sichimis abscondit[2]; ut nullus audiret superstitiones gentilium. Pulchre autem dixit: « Deponite annulos et inaures » aureas, quæ sunt inaures mulierum vestrarum[3]; » non quo virorum inaures relinqueret, sed quod viros non habere manifestaret. Congrue quoque inaures auferuntur mulieribus, ne iterum Eva vocem serpentis audiret.

IV. Et ideo quia sacrilegium audierant, conflatis earum inauribus, conflata est imago sacrilegii; qui enim male audit, conflare sacrilegium solet. Cur autem caput vituli exierit, sequentia docent; quia significabatur futurum quod Hieroboam posteriore tempore hoc genus sacrilegii induceret[4]; ut populus Hebræorum adoraret vitulas aureas: sive quod omnis perfidia similis immanitatis atque insipientiæ bestialis sit.

V. Cujus rei indignitate percitus fregit tabulas Moyses, et comminuit vituli caput, atque in pulverem redegit; ut omnia impietatis aboleret vestigia. Fractæ sunt enim

[1] Exod. XXIV, 14.— [2] Gen. XXV, 4.— [3] Exod. XXXII, 2.— [4] 3 Reg. XII, 30.

primæ tabulæ; ut repararentur secundæ, quibus per Evangelii prædicationem perfidia comminuta evanuit. Sic Moyses typhum[1] illum dissipavit Ægyptium, et altitudinem extollentem se compressit æternæ legis auctoritate. Unde et David ait : « Et confringet Dominus cedros Li» bani, et comminuet eas tanquam vitulum Libani[2]. »

VI. Itaque absorbuit populus omnem perfidiam ac superbiam, ne eum absorberet impietas et arrogantia. Melius est enim, ut unusquisque prævaleat carni et vitiis ejus; ne dicatur de eo quia devoravit eum mors prævalens[3], sed dicatur magis : « Devorata est mors in victoria. » Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, aculeus » tuus[4]? » Et de Domino dictum : « De torrente in via bi» bet[5]; » quia acetum accepit[6], ut absorberet universorum tentationes.

VII. Quod autem occidi fecit a proximis proximos, filios a parentibus, a fratribus fratres, præceptum evidens, quia præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati. Ea est enim vera pietas, quæ præponit divina humanis, perpetua temporalibus. Unde et ipse Moyses ad filios Levi dixit : « Qui paratus est a Domino, veniat ad » me. Et dixit illis; Hæc dixit Dominus Deus Israël : Impo» nite unusquisque gladium suum in femore suo, et per» transite[7]; ut contemplatione atque amore reverentiæ divinæ perimeretur omnis affectus necessitudinis. Et occisa quidem scribuntur tria millia hominum, nec numeri invidia movemur; quia melius est paucorum supplicio universos exui, quam in omnes vindicari. Neque vero aliquid durum videtur pro vindicta injuriæ cœlestis.

[1] Typhus apud auctores ecclesiasticos pro superbia et fastu sumitur. Nam vox τῦφος, unde oritur, proprie fumum significat. — [2] Psal. xxviii, 5, 6. — [3] Isaï. xxv, 8. — [4] 1 Cor. xv, 54, 55. — [5] Psal. cix, 7. — [6] Joan. xxx. — [7] Num. xviii, 6.

VIII. Denique sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Levitarum, quorum portio Deus : Nesciunt enim suis parcere, qui nihil suum norunt; quoniam sanctis omnia Deus est. Est etiam ille Levita verus ultor et vindex, qui carnem interimit, ut servet spiritum, qualis erat ille qui ait : « Castigo corpus meum, et servituti re» digo[1]. » Quid autem tam proximum, quam caro animæ ? Quid tam proximum, quam sunt passiones corporis? Eas in se Levita bonus interimit spiritali gladio, qui est verbum Dei bis acutum et validum[2].

IX. Est et gladius spiritus, qui pertransit animam, sicut ad Mariam dictum est : « Tuam ipsius animam per» transibit gladius, ut revelentur multorum cordium co» gitationes[3]. » Nonne caro animæ fraterno quodam copulatur consortio? Nonne etiam menti nostræ affinis et propinquus sermo est? Cum igitur comprimimus sermonem, ne multiloquio peccatum incidamus, jus germanitatis abrumprimus, et fraternæ vinculum propinquitatis dissolvimus; irrationabile quoque suum anima tanquam cognatum rationabili vigore dissociat.

X. Sic ergo Moyses docuit populum insurgere in proximos suos, per quos fides revocaretur, et virtus impediretur; ut desecaretur in nobis quidquid a virtute devium foret, confusum erroribus, vitiis innexum. Hac institutione populi meruit, ut non solum deliniret indignationem divinam, atque offensam averteret; verumetiam conciliaret gratiam.

XI. Pro captu itaque nostro quid sentiremus, quoniam consuluisti, expressimus. Ipse si quid melius habes, nobiscum participato; ut ex te, et ex nobis discamus quid potius eligendum et sequendum sit. Vale, et ut filius nos dilige; quoniam et nos te diligimus.

[1] 1 Cor. IX, 27. — [2] Hebr. IV, 12. — [3] Luc. II, 35.

EPISTOLA LXVII.

Ubi ostensum est, quod Aaron filios excusanti Moyses acquieverit, innui sententiam cujusque circa proprium munus antecellere, idem locus consideratur. Inde colligitur raram esse veram pœnitentiam; ei enim officere naturam ac verecundiam, nec non affectum velocitatem: ad hac eam agi non posse, nisi extinctæ sint cupiditates, et vigeat amor justitiæ: propterea cassam fuisse Judæ resipiscentiam; nullam enim Deo acceptam, nisi sinceram: quæ res sub figura trium hircorum designabatur.

Ambrosius Simpliciano salutem.

I. Quantus sit unusquisque in suo munere, exemplo debet esse lectio, que jure te movit, quod Moyses ille, quo nemo præsentius Deum vidit[1], neque surrexit amplius in Israël Propheta, qui Deum facie ad faciem, sicut Moyses videret[2]: ille qui quadraginta diebus et noctibus jugiter cum Domino fuit, cum Legem acciperet in monte[3]: ille, inquam, cui Deus dabat, quos loqueretur, sermones, invenitur magis Aaron fratris consilium quam suum probasse[4]. Fuit ergo quisquam hominum Moyse prudentior et instructior? Atqui ipsum Aaron postea cum Maria circa Æthiopissæ personam legimus errasse.

II. Sed hoc ipsum diligenter discute, ubi Moyses scien-

[1] Num. XII, 8. — [2] Deut. XXXIV, 10. — [3] Exod. XXXIV, 29. — [4] Id. IV, 12.

tia præponderet, ubi Aaron consilio[1]. Moyses magnus Propheta, qui de Christo dixit : « Sicut me, ipsum audie- » tis[2]. » Et de quo ipse Dominus ait : « Si Moysen et pro- » phetas non audiunt, nec si quis ex mortuis ad illos » abierit, credent[3]. » Ergo in causa prophetiæ præfertur Moyses sicut Propheta : ubi autem causa, et munus, et officium sacerdotii est, præfertur Aaron sicut sacerdos. Tractemus ergo ipsum locum.

III. Immolatus erat hircus pro peccato, et oblatus in holocaustum. Quæsivit eum postea Moyses, et combustus fuerat : « Et iratus est Moyses ad filios Aaron Eleazar et » Ithamar, qui superfuerant, dicens : Quare non mandu- » castis, quod pro peccato immolatum est in loco sancto? » Quoniam quidem sancta sanctorum sunt, hoc vobis dedi » manducare ; ut auferatis peccatum Synagogæ : et intus » manducandum esse, sicut mihi præceptum est, » ait. Cum ergo iratum eum vidisset Aaron placide respondit ei : « Si hodie obtulerint pro peccato suo holocausta sua » contra Dominum, et acciderint mihi talia ? manducabo » quod pro peccato obtulerunt hodie? Numquid placebit » Domino? et audivit Moyses, et placuit illi[4]. » Quid ista significent, consideremus.

IV. Nihil peccare solius est Dei : emendare sapientis est, et corrigere erratum, et pœnitentiam gerere peccati. Id tamen est difficile in hac vita hominum. Quid enim tam rarum, quam ut invenias virum, qui se ipsum coarguat, et factum condemnet suum? Rara itaque confessio de peccato, rara pœnitentia, rara in hominibus verbi ejus assertio. Repugnat enim natura, repugnat verecundia : natura, quia omnes sub peccato ; et qui carnem gerit, culpæ obnoxius est. Ergo repugnat natura carnis et

[1] Num. xii, 1.— [2] Deut. xviii, 15. — [3] Luc. xvi, 21.— [4] Levit. x, 16, et seqq.

illecebra sæculi innocentiæ integritatique. Repugnat etiam verecundia; quia erubescit unusquisque propriam culpam fateri, dum præsentia magis, quam futura cogitat.

V. Studebat autem Moyses peccati vacuam reperire animam, ut exuvias erroris deponeret, et nuda culpæ sine ullo sui pudore discederet : sed non invenit, quia cito impetus irrationabilis prævenit, et flamma quædam celerrimi motus animam depascitur, atque exurit ejus innocentiam; præponderant enim futuris præsentia, et violenta moderatis, et plura potioribus, et jucunda seriis, et asperis mollia, et tristibus læta, et illecebrosa rigidioribus, et præpropera tardioribus. Velox enim est iniquitas, quæ ad nocendum occasiones suggerit; quia « Veloces » pedes ejus ad effundendum sanguinem[1] : » lenta autem virtus omnis et diuturna cunctatrix, ante judicat, et adorienda inspicit. Ita mens boni, speculatrix consiliorum suorum est, priusque examinat quid decorum atque honestum : iniquitas vero opere cogitationi antevertit. Pigra igitur et verecunda est pœnitentia; quia premitur, et revocatur præsentium pudore; solis enim intendit futuris, quorum spes sera, tardior fructus, et ideo petitio ipsa tardior.

VI. Inter hæc spei et virtutis molimina præcurrit impudentia, et specie præsentium pœnitentia excluditur, et tanquam exuritur affectus ejus, et hujusmodi aboletur intuitus. Quærit eam Lex, et non invenit; ambusta est enim fervore et fumo iniquitatis, et indignatio quædam Legis movetur. Dicit Moyses devorandam fuisse pœnitentiam in sanctis sanctorum, sacerdotes quasi segniores increpat. Respondit Aaron providum debere esse judicium sacerdotale, nec facile malesanæ committendum id muneris; ne fiat error priore deterior. Vase enim

[1] Psal. XIII, 3.

fœtido vel oleum vel vinum facile corrumpitur ac deterioratur.

VII. Quomodo autem poterat, ubi ignis alienus erat, peccatum exuri; et hoc sub conspectu Domini, cui et occulta sunt cognita? Numquid potest placere Domino, si quis cum adhuc versetur in iniquitatibus, et injustitiam corde inclusam teneat, dicat se agere pœnitentiam? Simile est ac si quis æger se sanum simulet, magis ægrotabit: quia nihil ei prodesse potest simulatio sanitatis; cum verbo adumbretur, non ullo fulciatur virtutis subsidio.

VIII. Ignis itaque alienus est libido, ignis alienus est omne injustæ incendium cupiditatis, ignis alienus est omnis ardor avaritiæ. Hoc igni nemo mundatur, sed exuritur. Nam ubi iste ignis alienus est, si quis in conspectu se offerat Domini, ignis eum cœlestis absumit, sicut Abiud et Nadab, quos exussit ignis cœlestis pariter cum iis, quæ pro peccato sacris fuerant oblata altaribus. Qui ergo vult mundare peccatum suum, ignem a se removeat alienum. Illi soli igni se offerat, qui culpam, non hominem exurit.

IX. Qui sit iste ignis, audi dicentem quia « Jesus bap» tizat in Spiritu sancto et igni[1]. » Hic est ignis, qui siccavit Hæmorroïssæ per duodecim annos sanguinem profluentem[2]. Hic est, qui peccatum Zachæi abstulit dicentis quod dimidium bonorum suorum daret pauperibus, et si cui quidquam abstulit, redderet quadruplum[3]. Hic est ignis qui abstersit culpam latronis; ignis enim consumens est, qui dixit ei: « Hodie mecum eris in paradiso[4]. » Illos itaque sanavit, in quibus simplicem et puram reperit confessionem, nihil malignum, nihil fraudulentum.

X. Denique Judas ad remedium pervenire non potuit, cum diceret: « Peccavi quod tradiderim sanguinem jus-

[1] Matth. III, 11. — [2] Id. IX, 20. — [3] Luc. XIX, 8. — [4] Id. XXIII, 43.

» tum[1]; » qui alienum ignem volvebat in pectore suo, qui eum inflammavit ad laqueum. Indignus enim remedio fuit, quia non in intimo mentis conversus ingemuit, nec sedulo gessit pœnitentiam; tantæ enim pietatis est Dominus Jesus, ut et ipsi donaret veniam, si Christi expectasset misericordiam.

XI. Hanc ergo culpam sacerdotes non auferunt (56), neque peccatum ejus, qui in dolo se offert, et adhuc in studio delinquendi est. Non enim possunt epulari in eo, quod plenum fraudis, et serpentis interius cicatricis est; cibus enim sacerdotis est in peccatorum remissione. Unde ait princeps sacerdotum Christus : « Meus cibus est, ut » faciam voluntatem Patris mei, qui in cœlis est[2]. » Quæ est voluntas Dei, nisi ea : « Cum conversus ingemueris, » tunc salvus eris[3]? » In illo ergo subdolo cibus nullus est. Denique nec ipse epulandi suavitatem capere potest, in quo non sincera et pura conscientia est; amaritudo enim fraudis epulandi suavitatem obducit : nec permittit mala conscientia, ut reficiat et pascat obnoxium animum pœnitentia.

XII. Ideo ergo talis affectus, talis petitio, talis pœnitentia non est usui aut voluptati sacerdotibus. Meritoque hircus ille, qui pro peccato oblatus est in holocaustum, quia non fuit sincera hostia, exustus est[4]; quia in ejus sacrificio ignis alienus repertus est. Non est itaque complacitum et acceptum sacrificium Deo; non est enim acceptum, nisi quod fuerit in divitiis sinceritatis et veritatis probatum.

XIII. Ideo et alibi legis duos hircos, unum in quo sors Domini, alterum transmissionis; illum in quo sors Domini, offerri atque immolari pro peccato[5] : illum vero in

[1] Matth. XXVII, 54. — [2] Joan. IV, 34. — [3] Isaï. XXX, 15. — [4] Levit. XVI, 27. — [5] Ibid. 8, et seqq.

quo sors transmissionis, dimitti in desertum; ut accipiat populi iniquitates, vel alicujus peccatoris. Sicut enim duo sunt in agro, et unus eorum assumetur, et alius derelinquetur[1]; ita sunt duo hirci, unus qui ad sacrificium est utilis, alius qui in desertum dimittitur. Hic nulli usui, neque edendus, neque epulandus est sacerdotum filiis. Sicut enim ex iis, quæ alimentorum sunt, quod bonum est editur: quod inutile aut malum, projicitur; ita et bona opera epulatoria dicimus, quia sunt esui.

XIV. Non placebit ergo Domino, si manducet sacerdos sacrificium, in quod fraus sit oblationis, non sedulæ confessionis sinceritas. Et ideo hircus iste in desertum dimittendus est, ubi erraverunt patres nostri, erraverunt in eo, et non potuerunt ad resurrectionis terram pervenire, sed interiit a terra memoria eorum. Denique quæ sint epulatoria opera, audi: « Et erunt sabbata terræ vobis escæ[2]. » Epulatoria enim et refectoria requies in Deo, quæ facit animi tranquillitatem. Unde et nos etiam in sermone requiescamus. Vale, et nos, ut diligis, dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA LXVIII.

Quidnam Deus Judæis interminatus fuerit, dicens :
Ponam cœlum æreum, et terram ferream.

Ambrosius Romulo.

I. Cum sis in agro, miror qua ratione de me quærendum putaveris, cur dixerit Deus: « Ponam cœlum æreum,

[1] Matth. XXIV, 40. — [2] Levit. XXV, 6.

» et terram ferream[1]. » Nam species ipsa agri, et præsens fertilitas docere nos potest quanta clementia sit aëris, et cœli indulgentia, quando dignatur Deus ubertatem dare: quando autem sterilitas, quemadmodum clausa omnia, spissus aër, ut in rigorem æris solidatus putetur. Unde alibi habes quia in diebus Eliæ clausum est cœlum annis tribus et mensibus sex[2].

II, Significatur igitur clausum cœlum æreum esse, usum sui terris negare. Terra quoque ferrea est, cum proventus abnuit, et jacta sibi semina tanquam hostili duritia genitali excludit arvo, quæ gremio solet blandæ matris fovere. Quando enim ferrum fructificat? quando æs imbres relaxat?

III. Ilis igitur miserandam famem minatur impiis, ut qui pietatem filiorum communi omnium domino et patri exhibere nesciunt, careant nutrimento paternæ indulgentiæ, sit illis cœlum æreum, concreto aëre, et solidato in metalli rigorem, sit illis terra ferrea, partus suos nesciens, ut quod plerumque inopia habeat, discordias serens. Rapto enim utuntur, qui victu indigent; ut alienis dispendiis famem suam ablevent.

IV. Jam si et offensa inhabitantium hujusmodi sit, ut divina commotione iis inferantur prælia, vere terra est ferrea, telorum segetibus inhorrens[3], et suis nuda fructibus, fœcunda ad pœnam, sterilis ad alimoniam. Ubi autem abundantia? « Ecce ego pluo vobis panes, dicit Do» minus[4]. » Vale, et nos dilige; quia nos te diligimus.

[1] Deut. xxviii, 23. — [2] 3 Reg. xvii, 1, et Luc. iv, 25. — [3] Allusionibus Virgilii, ait Nannius, hæc verba constant, Æneid. vii, vers. 526.

Horrescit strictis seges ensibus, æraque fulgent.

— [4] Exod. xvi, 4.

EPISTOLA LXIX.

Roganti quare Lex viros veste muliebri, ac mulieres virili uti prohibeat, respondet a natura id abhorrere, ut ex brutis ipsis intelligitur; fœminas tamen virorum, quam viros fœminarum cultum sumere tolerabilius: at legem potius esse de moribus, quam de vestibus. Post quæ in eos, qui capillos crisparent, invehitur.

Ambrosius Irenæo salutem.

I. Pertulisti ad me quasi filius quæsivisse aliquos de te, quid sibi velit quod tam severe Lex immundos eos dixerit, qui alieni sexus uterentur vestibus, vel viros scilicet vel mulieres; sic enim scriptum est : « Non erit res viri super » mulierem, neque induetur vir stolam muliebrem; quia » immundus est Domino omnis, qui fecerit hæc[1]. »

II. Et si vere discutias, incongruum est, quod ipsa etiam abhorret natura. Cur enim, homo, non vis videri esse quod natus es? cur alienam tibi assumis speciem? cur mentiris fœminam : vel tu, fœmina, virum? Suis unumquemque sexum induit natura indumentis. Denique diversus usus, diversus color, motus, incessus, diversæ vires, diversa vox est in viro et fœmina.

III. Sed etiam in reliqui generis animantibus alia species leonis, alia leænæ, alia vis, alius sonus : alia tauri, alia vitulæ. In cervis quoque quantum distat sexus, discrepat species; ut eos etiam eminus possis discernere. In

[1] Deut. xxii, 5.

avibus vero etiam propius ad vestitum est inter eos et homines comparatio; in illis enim sexum naturalia ipsa indumenta discernunt. Pavi mares speciosi, fœminæ non item pennarum vario pinguntur decore. Fasianis quoque diversus color, qui distinguat sexus discretionem. Quid in pullis? Quam canora vox galli, nocturnis vicibus solemne munus ad excitandum et canendum ministrans? Numquid illa mutant speciem suam? cur nos mutare desideramus?

IV. Et quidem græco more influxit ut fœminæ virilibus quasi succinctioribus tunicis utantur. Esto tamen ut illæ imitari videantur melioris sexus naturam (57), quid viri inferioris sexus mentiri speciem volunt? Mendacium et in verbo turpe est, nedum in habitu. Denique in templis, ubi mendacium fidei, ibi mendacium naturæ. Illic assumere viros muliebrem vestem, gestumque fœmineum, sacrum putatur. Unde Lex dicit quia immundus est Domino omnis vir, qui stolam muliebrem induerit.

V. Arbitror autem quod non tam de veste, quam de moribus dixerit, vel de usibus nostris atque actibus, quo alius virum, alius fœminam deceat actus. Unde et Apostolus ait, quasi interpres Legis: « Mulieres vestræ in Ecclesia taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut Lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent[1]. » Et ad Timotheum: « Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum[2]. »

VI. Quam deforme autem virum facere opera muliebria? Ergo et pariant, ergo parturiant, qui crispant comam sicut fœminæ. Et tamen illæ velantur, isti belligerantur. Verum habeant excusationem; qui patrios usus sequuntur, sed tamen barbaros, ut Persæ, ut Gothi, ut Armenii: Major quidem est natura, quam patria.

[1] 1 Cor. XIV, 35, 36, et Gen. III, 16. — [2] 1 Tim. II, 11 et 12.

VII. Quid de aliis dicemus, qui hoc ad luxuriam derivandum putant; ut calamistratos et torquatos habeant in ministerio, ipsi promissa barba, illos remissa coma? Merito illic non servatur castimonia, ubi non tenetur sexus distinctio; in quo evidentia naturæ magisteria sunt, dicente Apostolo : « Decet mulierem non velatam orare » Deum? Nec ipsa natura docet vos quod vir quidem si » comam nutriat, ignominia est illi : mulier vero si capillos » habeat, gloria est illi; quoniam quidem capilli pro vela» mine ei dati sunt[1]. » Hæc sunt quæ referas requirentibus. Vale, et nos ut filius dilige, quia nos te ut parentes diligimus.

EPISTOLA LXX.

Quemadmodum fortis animæ est in bono stare, ita debilis labi, ac resurgere. Quocirca cum in Canticis processus animæ robustioris describantur, in Michææ vero prophetia lapsæ conversio; eam considerandam proponit. Præmissa igitur nominis Michææ interpretatione, miseriam peccatricis animæ exponit, internas correptiones narrat, addit exhortationes ac paratum Domini auxilium, felicem ejusdem immutationem aperit, et quam ei Christus largitur fœcunditatem ac tranquillitatem. Deinde ubi repetivit non pauca ex superioribus, subjungit ejusdem animæ pro sua liberatione gratiarum actiones. Post quæ Horontianum ad perseverantiam exhortatur.

Ambrosius Horontiano.

I. Prophetæ quidem congregationem gentium, atque

[1] 1 Cor. XI, 11-15.

Ecclesiæ annuntiarunt ædificationem futuram; sed tamen quia in Ecclesia non solum fortium animarum jugis profectus, verumetiam infirmarum lapsus, et rursus conversio est : ideo possumus ex propheticis libris colligere quemadmodum aut præclara illa et fortis anima sine ulla gradiatur offensione, aut infirmior labatur, aut lapsa reparet, ac reformet gradum.

II. Itaque sicut in Canticis canticorum beatæ illius animæ continuos processus legimus, ita in Michæa, de quo nobis Prophetæ sermo exortus est, consideremus lapsæ conversionem. Non enim otiose te movit : « Et tu » Bethleem domus Ephrata[1], » quod dictum est ab hoc Propheta. Quomodo enim potest domus furoris esse, ubi Christus natus est? Hoc enim exprimunt locorum vocabula, sed illustrant operationum mysteria.

III. Ac primum consideremus quid interpretationis in latino habeat Michæas. Significat autem, quis a Deo : vel, ut alibi invenimus, quis iste, Morathi filius, id est, hæredis[2]. Quis autem hæres, nisi Filius Dei, qui ait : « Omnia » mihi tradita sunt a Patre meo[3]; » et cum ipse esset hæres, nos esse voluit cohæredes? Merito quis iste, non e populo unus, sed electus ad gratiam Dei, in quo loquitur Spiritus sanctus, qui prophetare cœpit « In diebus Joa» than, et Achaz, et Ezechiæ regum Juda[4]. » Quo ordine significatur visionis profectus; a malis enim regibus ad boni regis pervenit tempora.

IV. Et ideo quoniam anima afflicta sub malis ante laborabat regibus, quem processum conversionis suæ habeat, considerandum videtur. Destructa erat quasi infirmior, et omnis munitio ejus facta erat via transeuntium, et incursus passionum, luxuria resoluta, ac deliciis, contrita erat, ac relegata a facie Domini : « Turris ejus squal-

[1] Mich. v, 2. — [2] Id. I, 1. — [3] Matth. XI, 27. — [4] Mich. I, 1.

lida erat[1], » quæ posita est, ut in Esaïæ cantico legimus, in medio florentis vineæ[2]. Squallet etenim turris, quando vitis arescit, et ovis sua errat : regrediente autem vitis viriditate, vel ove, resplendet; nihil enim squallidius iniquitate, nihil splendidius justitia.

V. Ad hanc turrim revocatur ovis, quando anima revocatur a lapsu, et in illa ove Christi regnum redit, quod est initium; quia ipse est initium et finis, vel initium salutis[3] : sed tamen corrigitur prius, eo quod tam graviter erraverit, et dicitur ei : « Ut quid cognovistis mala ? numquid rex non erat tibi[4] ? » Hoc est, habebas regem, qui te regeret, et tueretur, deviare a justitiæ tramite non debuisti, nec relinquere vias Domini, qui tibi rationabiles sensus impertivit. Ubi erant cogitationes tuæ, ubi consilia, quibus prævidere injustiam, propulsare iniquitates insito tibi vigore potuisti ? « Cur comprehenderunt te dolores ut parturientis[5] ; ut parturires iniquitates, et pareres injustitias ? Nullus enim major est dolor, quam is qui peccati mucrone vulnerat conscientiam : neque ullum gravius est onus, quam peccatorum sarcina, et pondus flagitiorum. Deprimit animam, curvat usque ad terram; ne se erigere possit. Gravia, fili, gravia nimis delictorum pondera. Denique illa in Evangelio mulier, quæ curvata erat[6], speciem prætendens animæ laborantis, a Christo potuit solo erigi.

VI. Huic ergo animæ dicitur : « Viriliter age, et appropinqua, filia Sion, ut parturias[7]. » Dolores enim parturientis tribulationem operantur, « Tribulatio patientiam, » patientia probationem, probatio spem; spes autem non » confundit in æternum[8]. » Simul egeritur atque excluditur omne quod adversum est bonis moribus; ne residentia

[1] Mich. IV, 8. — [2] Isaï. v, 2. — [3] Apoc. I, 8.— [4] Mich. IV, 9.— [5] Ibid. — [6] Luc. XIII, 11. — [7] Mich. IV, 10. — [8] Rom. v, 3, 4.

ejus frutescant semina, atque in novos iterum germinent partus.

VII. Nec otiose dantur ei cornua et ungulæ; ut conterat omnes manipulos areæ, sicut vitulum Libani[1]. Nisi enim manipuli contriti fuerint, paleæ ventilatæ, fructus apparere interiores et absolvi nequeunt. Comminuat igitur atque excutiat prius anima proficiens passionum superflua ; ut fructus suos demonstrare possit in ipsa segete. Quanta adversa sunt, quæ partus impediant bonos! Hæc prius extirpanda sunt ; ne his fructifera internecentur animæ sata.

VIII. Tunc etiam illud prospicit providus animæ consultor, ut concludat eam in voluptatibus suis, atque intercludat ejus cupiditates, ne in iis delectetur. Utiles enim sunt correptiones parentis, qui non parcit virgæ ; ut obedientem præceptis salutaribus præstet animam filii sui[2]. Virga enim visitat, sicut legimus : « Visitabo in virga ini»quitates eorum[3]. » Itaque qui virga maxillam percutit Israëliticæ animæ, erudit eam ad disciplinam patientiæ Dominica correptione. Nemo enim desperare debet, quicumque corripitur atque arguitur ; qui enim diligit filium, corripit[4]. Nemo de remedio diffidat.

IX. Ecce tibi ubi domus furorem videntis erat, ibi domus panis est : ubi crudelitas, ibi pietas : ubi pœna innocentium, ibi universorum redemptio, sicut scriptum est : « Et tu Bethleem, domus Ephrata, non es minima inter »principes Juda ; ex te enim exibit Princeps in Israël[5]. » Bethleem domus panis est : Ephrata domus furorem videntis. Hoc habet interpretatio istorum nominum. In Bethleem natus est de Maria Christus : eadem autem Bethleem, quæ Ephrata[6]. In domo igitur furoris genera-

[1] Mich. IV, 13. — [2] Prov. XIII, 24. — [3] Psal. LXXXVIII, 33. — [4] Eccli. XXX, 1. — [5] Mich. V, 2. — [6] Luc. II, 6.

tus est Christus : et ideo jam non domus furoris, sed domus panis; quia panem recepit eum, qui descendit de cœlo[1]. Domus autem furorem videntis est Ephrata; quia illic Herodes dum Christum requirit, perimi statuit infantulos ; unde « Vox in Rama audita est Rachel plorantis » filios suos[2]. »

X. Sed jam nemo timeat ; quia requies illa quam quærebat David, audita est in Ephrata, inventa est in campis sylvæ[3]. Tunc adhuc sylva erat nationum congregatio : sed posteaquam in Christum credidit, fructuosa facta est; quia benedicti ventris fructum recepit[4]. Mortua est ergo Rachel parturiens[5] ; qua jam tunc quasi Patriarchæ uxor furorem Herodis videbat, qui nec minusculæ ætati pepercit. Simul quia in Ephrata peperit Benjamin specie superiorem, mysterio posteriorem, Paulum scilicet, qui antequam generaretur, non minimos dolores matri præstitit, cujus filios persequebatur. Et illic mortua et sepulta est ; ut nos commortui et consepulti cum Christo, in Ecclesia resurgamus. Inde enim alia interpretatione, vel fœcundata, vel repleta fructibus, Ephrata significatur.

XI. Hic tamen, id est, in libro prophetico invenimus, ὀλιγοστὸς εἶ, id est, in paucioribus es. In Matthæo autem : « Et tu Bethleem domus Juda, non es in paucioribus[6]. » Ibi domus Juda; hic domus Ephrata : in quo verborum discrepantia, non sensuum est. Nam et Judæa interior vidit furorem, et exterior pertulit. Et in paucioribus est ; quia pauci sunt, qui intrant in domum panis per angustam viam. Et non est in paucioribus, id est, de proficientibus, quæ Christum non agnovit. Nec minima est, quæ est domus benedictionis, et divinæ gratiæ receptaculum : et in eo minima, cui is qui aliquid confert Christo,

[1] Joan. VI, 50. — [2] Matth. II, 18. — [3] Psal. CXXXI, 6. — [4] Luc. I, 42. — [5] Gen. XXXV, 19. — [6] Mich. V, 2.

videtur deferre. Et qui appetit Ecclesiam, Christum appetit; in quovis minimo enim Christus aut læditur, aut honoratur, secundum quod ipse ait : « Quod enim uni ho-» rum minimorum fecistis, mihi fecistis[1]. »

XII. Ipsam autem Bethleem esse quæ est Ephrata, docet lectio Genesis, ubi ait : « Mortua est autem Rachel, » et sepulta est in via Ephrata, ipsa et Bethleem[2]. » In via sepultura est sanctæ Rachel, quæ typus fuit Ecclesiæ, ut transeuntes dicant : « Benedictio Domini super vos[3] ; » et : « Venientes venient in exultatione[4]. »

XIII. Omnis itaque anima, quæ recipit panem illum descendentem de cœlo, domus panis est, hoc est, panis Christi, quæ habitantis in se panis cœlestis firmamento alitur, et corde confirmatur. Unde et Paulus ait : « Omnes » enim unus panis sumus[5]. » Omnia anima fidelis Bethleem est, sicut Hierusalem dicitur, quæ pacem et tranquillitatem habet superioris Hierusalem, quæ in cœlo est. Verus panis est, qui fractus et comminutus satiavit universos.

XIV. Quinta autem traditio habet, Domus panis. « Beth » enim domus est, « Leem » panis dicitur. De aliorum traditionibus propter perfidiam Judaïcam, ne ipsi se redarguerent, vel ab ipsis præteritum putamus, vel sublatum ab aliis.

XV. De Juda quoque tribu esse Bethleem docet lectio in Judicum libro; quia vir ille levita accepit sibi concubinam de Bethleem Juda, et irata est ei concubina ejus, et rediit in domum patris sui in Bethleem Juda[6].

XVI. Egressus itaque Christus a diebus sæculi[7]; tunc enim nobis incipit sæculum, quando dies salutis, et egressus ad currendam viam dedit Israël[8]. « Usque ad tempus

[1] Matth. xxv, 40. — [2] Gen. xxxv, 19. — [3] Psal. cxxviii, 8. — [4] Id. cxxv, 6. — [5] 1 Cor. x, 17. — [6] Judic. xix, 2. — [7] Mich. v, 2. — [8] Psal. xviii, 7.

»parientis[1]. » Cui advenit Christus, advenit fœcunditas, advenit partus; sicut advenit Ecclesiæ, quæ peperit plures, quam quæ filios habebat: et peperit septem, id est, legitimos, tranquillos, pacificos. Incipit ergo concipere anima, et formari in ea Christus quæ receperit adventum ejus, et pascitur in divitiis ejus[2]; ut nihil ei desit, ut videntes etiam eam aliæ animæ revertantur ad viam salutis.

XVII. « Et erit ei pax[3], » sed non potest probari nisi tentationibus. Tunc enim pax ejus æstimabitur et tranquillitas; cum excluserit vanas cogitationes, vel compresserit, cum motus omnes edomuerit passionum insurgentium, cum increbuerint angustiæ, persecutio, fames, periculum, gladius. « Tunc erit, inquit, pax[4]; » quia in his omnibus superamus propter eum, qui nos dilexit, quoniam confidimus in eo, quia neque mors, neque vis tentationum nos ab ejus divellat charitate et separet. Tunc ergo dabit tentationes, ut justi probentur. Et Dominus quidem dat tentationes ea voluntate, ut neminem decipi velit: sed quia plerique vincuntur infirmi tentationibus, qui fortes sunt, probantur.

XVIII. « Tunc illis erit ros a Domino, » tunc requies: tunc erit anima justi, sicut « Catulus leonis in ovilibus »pecorum[5]. » Quod Evangelico exemplo ad Christum referre non dubitaverim; quia ipse dixit: « Tunc justi ful»gebunt sicut sol in regno Patris sui[6]. » Comprimentur enim quadrigæ ejus, irrationabiles scilicet impetus et motus istius corporis[7]; sedabitur illud: « Foris pugnæ, intus »timores[8]; » sed ubique, id est, intus et foris, tranquillitas erit: et non erit qui respondeat et resistat bonæ voluntati; quia obedientia carnis, sublato pariete ma-

[1] Mich. v, 3. — [2] Psal. xxxvi, 4. — [3] Mich. v, 5. — [4] Rom. viii, 35. — [5] Mich. v, 7, 8. — [6] Matth. xiii, 43. — [7] Mich. v, 10. — [8] 2 Cor. vii, 5.

ceriæ, cum fuerint utraque unum, omnes abolebit discordias[1].

XIX. Si qua autem anima infirma, sicut ille secundum carnem Israël, titubaverit, et ab illa Christi charitate persecutionibus turbata se aliquantulum separarit, corripitur atque arguitur quasi infida, quasi ingrata, quasi incredula, quæ liberata a vanitatibus sæculi, in eas respiciendo reciderit : a qua non munera, non taurorum sacrificia; sed tantummodo ut bonum cognosceret, justitiam faceret, postulatum est. « Renuntiatum est (inquit) » tibi, homo, quid sit bonum, aut quid Dominus exquirat a te, nisi ut facias judicium et justitiam, et diligas » misericordiam, et paratus sis ire cum Domino tuo[2]. » Sed quia non servavit hæc illa infirmior anima, ideo Dominus ait : « Heu me, quia factus sum sicut qui colligit » stipulam in messe, et sicut racemum in vindemia[3] ? » Audiens ergo hæc Propheta, in quo loquebatur Deus, ait ad illam animam : « Heu me anima! quod non est plenus » timoris a terra. » Vel si ipse Dominus dicit, miseratus futuras pro peccatis ultiones, atque pro nostris erroribus ingemiscens.

XX. Audiens hæc anima, quia seminum suorum fructus non colliget, nullum, messe amissa, firmamentum inveniet sui, premet olivam, et unctionem lætitiæ non habebit, neque bibet vinum jucunditatis. Cognoscens etiam in operibus carnis omnia plena sanguinis, plena circumscriptionis, fraudum, fallaciæ, ficta officia pietatis, compositas simulationes, et inimicos sibi omnes qui in domo sunt; ideoque proximi sibi corporis motus cavendos, qui sunt graves animæ nostræ adversarii; convertitur, et de Deo sperare incipit, et intelligens vere inimicam sibi carnem existere, ait ad eam : « Noli supergaudere mihi, inimica mea, quia

1 Ephes. II, 14. — 2 Mich. VI, 8. — 3 Id. VII, 1.

» cecidi : sed resurgam; quia si sedero in tenebris, Domi-
» nus illuminabit me[1]. »

XXI. Considerans etiam insultare sibi aliquam potestatem, quæ resistebat sibi; ne meliorem sequeretur viam : et inequitare, quod tradita esset in interitum carnis[2]; ut diversis attereretur malis, quæ vel a Domino propter peccatorum solutionem decernerentur, vel ab iniquo propter invidiam conversionis; ut ad se revocaret afflictam, dicit adhuc : « Iram Domini sustinebo[3]; » qui vel lapsam castigat, vel tibi potestatem affligendi dedit : « Quia peccavi, » sustinebo tamen, « Donec justificet ipse causam meam. » Nisi enim confessa fuero, et exolvero pretia iniquitatum mearum, non potero justificari. Cum autem fuero justificata, solvens duplicia peccata : « Educet judicium meum, » deponens indignationem; quia satisfactum sententiæ est. « Educet me ad lumen, ut videam justitiam ejus[4], » et aspiciam delectationem ejus. « Videbit hoc lumen recon-
» ciliationis meæ Inimica mea, » id est, diaboli nequitia; « Et operietur confusione, quæ nunc dicit : ubi est Domi-
» nus Deus tuus[5]? » Videbit in me misericordiam ejus, videbit pietatem ejus.

XXII. Et ideo non audiamus eum, quando sumus in adversis aliquibus sæculi; cum aut dolor corporis est, aut filiorum amissio, vel cæterarum necessitudinum : non audiamus, inquam, dicentem : « Ubi est Dominus Deus tuus? » Tunc ejus tentationes cavendæ sunt, cum gravis urget dolor, tunc animam ægram avertere studet.

XXIII. Ergo anima, quæ illum non audierit insidiantem sibi, videns postea mirabilia Dei, videns se in cœlo, diabolum autem sicut colubrum reptantem in terrestribus, gratulabitur dicens : « Quis Deus sicut tu, auferens pec-

[1] Mich. vii, 8. — [2] 1 Cor. v, 5. — [3] Mich. vii, 9. — [4] Ibid. 10. — [5] Ibid. 18.

» cata, et transferens impietates[1] ? » Qui non fuisti memor indignationis tuæ : sed sicut in mari mersisti omnes iniquitates nostras, sicut Ægyptium plumbum, et redisti ad misericordiam voluntarius, quam gemino contulisti munere, dimittens peccata, atque abscondens, secundum quod scriptum est : « Beati quorum remissæ sunt iniqui» tates, et quorum tecta sunt peccata[2] ! » Alia enim sanguine Filii tui abluis, alia donas nobis; ut bonis operibus et confessionibus nostros errores tegamus (58). Quod ergo ait : « Auferens peccata, » ad remissionem pertinet; quia penitus ea tollit, ita ut non sint quorum memor non erit. Quod vero ait : « Transferens iniquitates ; » eo quod confitentibus nobis lapsus nostros, et obumbrantibus eos bonæ operationis fructu referantur in auctorem culpæ, et peccati incentorem. Quid enim aliud agit, qui culpam fatetur, nisi ut adversantis nequitiæ spiritalis dolo se et malitia transductum probet?

XXIV. In eo itaque gratias agit anima ista; quia et aufert Dominus peccata, et transfert iniquitates, et demergit in profundo maris. Quod potest et ad baptismum referri, quo Ægyptius mergitur, Hebræus resurgit : et quo altitudine sapientiæ, et bonorum operum abundantia tegantur peccata superiora, per divitias misericordiæ Dei nostri, qui memor promissionis suæ, quam dederat Abrahæ, hæredem ejus animam non est passus perire.

XXV. Et illa quidem anima hoc revocatur modo. Tu autem, fili (59), qui a primo flore pueritiæ es hæres Ecclesiæ, quæ te suscepit et tenet, persevera to in proposito, memor gratiæ Dei et muneris, quod per impositionem suscepisti manuum mearum; ut et in hoc gradu sicut in ministerio sacro fidem tuam demonstres atque industriam, et expectes remunerationem Domini Jesu. Vale, et nos ut filius dilige; quia nos te diligimus.

[1] Mich., VII, 18. — [2] Psal. XXXI, 1.

EPISTOLA LXXI.

Post varios gradus, quibus anima lapsa se se reparat, supra descriptos, hîc animæ fidelis a Christo susceptio, eruditio et consummatio considerantur; ostenditurque in Christi itineribus diversos ejusdem animæ progressus designari.

Ambrosius Horontiano.

I. SUPERIORE epistola de ea anima sermonem contulimus, quæ itineris sui devios aliquos habuerit anfractus, ut vetus Israël secundum carnem fluctuans; quia et ipse liberabitur per Domini nostri Jesu Christi gratiam, « Cum » intraverit plenitudo gentium[1] : » licet ista leviore errore conversione se se reformaverit. Hac vero epistola de Ecclesiæ filia nobis sermo sit, quam Dominus Jesus quemadmodum primo susceperit, erudierit, consummaverit in suo Evangelio, consideremus.

II. Suscepit itaque eam primo tuendam in confusione positam; exul enim paradisi[2], ubi nisi in confusione degeret anima uniuscujusque hominis? deduxitque eam in Bethleem[3]. » Jam profectus susceptæ animæ significatur, quod ascendit ad domum panis, in qua famem fidei et sterilitatem nesciat. De nostrarum animarum genere et ordine loquor, quibus nos vivimus et movemur, non de aliqua specialiter; non enim de proprietate et specie alicujus, sed de genere, ut dixi, animarum disputandum putamus.

[1] Rom. XI, 25. — [2] Gen. III, 23. — [3] Matth. II, 1.

III. Descendit in Ægyptum Christus, patrocinium et ductum nostræ animæ ferens, inde rediit in Judæam[1]. Fuit in deserto, fuit in Capharnaum, fuit juxta fines Zabulon, circa maritima[2], transivit per sata, fuit in Bethphage, fuit in Ephrem, in Bethania; inde transivit in paradisum, ubi se capiendum dedit, passus est in Golgotha.

IV. Omnes isti processus animæ nostræ sunt, per quos exercitata gratiam piæ institutionis invenit. Nam posteaquam exclusa de paradiso conditio humana in Adam et Eva, in castellum relegata est, vagari cœpit huc atque illuc, errabunda circumferens vestigia sine ullo delectu: sed tempore complacito sibi exinanivit se Dominus Jesus, ut exulem in se susciperet, et veteri reformaret gratiæ. Itaque inventam recurso anfractu erroris revocavit ad paradisum, ut Evangelii docet lectio.

V. Per sata eam duxit, ut jejunam pasceret, primum in deserto, deinde in Capharnaum, agri non urbis incolatu: deinde juxta fines Zabulon, circa nocturna profluvia, id est, Prophetarum obscuriora ænigmata; ut disceret prætendere ad fines gentium, quo omnes convenirent, nec timeret fluctus vitæ hujus et procellas; quia habet Christus naves Tharsis, intelligibiles scilicet, quæ percurrant mare, et ad templi constructionem pias merces advehant[3]. In hujusmodi navibus navigat Christus[4], et in puppi tanquam bonus gubernator tranquillo quiescit mari: commoto excitatur, et increpat ventos, ut suis tranquillitatem refundat. Transiens quoque ad gentes, hanc animam liberat, quæ Legis vinculis tenebatur; ne transiret ad nationum consortia.

VI. Venit in Bethaniam[5], in locum obeditionis, ideo ibi

[1] Matth. II, 14. — [2] Id. IV, 13. — [3] 3 Reg. X, 22. — [4] Matth. VIII, 26. — [5] Joan. XI, 17, et seqq.

mortuus suscitatur; cum enim caro subdita fuerit animæ, tunc jam non quasi mortua jacet in sepulcro suo conditio humana, sed resuscitatur per gratiam Christi : ibi etiam se pro Dei nomine passioni discit offerre. De loco obeditionis, ut Joannes docet[1], in Ephrem ducitur, id est, ad bonorum fructuum fœcunditatem : inde in Bethaniam reducitur, id est, obedientiam; semel enim quæ piæ subjectionis fructum gustaverit, servare eam, et in ea probari sæpius nequaquam recusat.

VII. Unde jam probata Hierosolymam venit, digna quæ sit in templum Dei, in qua Christus habitaret. Denique sedens super pullum asinæ Dominus Jesus cum gratulatione et gaudio innocentis suscipitur ætatis[2].

VIII. Postea in paradiso verba vitæ æternæ docentur; unde etiam Dominus se permisit capi, sicut Joannes scribit Evangelista[3], significans animam nostram, vel potius conditionem humanam, solutis erroris vinculis, eo unde ejecta erat in Adam, per Christum regressam. Unde et latroni illi confitenti dicitur : « Amen, amen dico tibi, ho- » die mecum eris in paradiso. » Ille dixerat : « Memento » mei, cum veneris in regnum tuum; » Christus non de regno respondit, sed ad causam : « Hodie mecum eris in » paradiso[4], » id est, reformandum est ante quod amissum est, postea conferendum id quod augendum est; ut per paradisum ad regnum perveniatur (60), non per regnum ad paradisum.

IX. Servatur Discipulis, quod plus conferatur pro laboribus; ideoque incolatum promisit, regnum distulit. Itaque is qui sub ictu mortis convertitur, et confitetur Dominum Jesum, mercatur incolatum paradisi : qui vero multo ante se exercuit, et Christo militavit, acquisivit populorum animas, pro Christo se obtulit; habeat para-

[1] Joan. XII, 1. — [2] Ibid. 14. — [3] Id. XVIII, 8. — [4] Luc. XXIII, 42, 43.

tum stipendiis suis Dei regnum, cujus se remuneratione donatum gaudeat. Ideoque Petro dicitur : « Tibi dabo cla- » ves regni cœlorum[1]. Ex latrocinio conversus requiem habet, in apostolatu probatus accepit potestatem.

X. Hæc est anima Evangelica, hæc est de gentibus, hæc filia Ecclesiæ, longe melior e cursu, quam illa ex Judæa projecta, ad Dominum Jesum, et ad superiora se bonis consiliis et operibus attollens, quam suscepit in Golgotha Christus. Ibi Adæ sepulcrum[2]; ut illum mortuum in sua cruce resuscitaret. Ubi ergo in Adam mors omnium, ibi in Christo omnium resurrectio. Vale, fili, et nos dilige; quia nos te diligimus.

[1] Matth. xvi, 19.— [2] Hic materiæ suæ Ambrosius Hebræorum quorumdam et aliorum veterum opinionem accommodat, de qua lib. x *in Lucam* n. 114 idem loquitur. Vide tom. v, p. 440.

EPISTOLA LXXII.

Rogabant aliqui cur Deus cum in Testamento Veteri circumcisionem instituerit, eam abrogaverit in Novo? cur etiam de illa omnino legem tulerit, cum ipsa puerum in discrimen adduceret? cur tandem in ea corporis parte fieri voluerit? Primum igitur ut illis satisfaciat, qui erant a fide alieni; reponit circumcisionem a sapientibus viris, plurimisque populis usurpatam esse, nec deesse rationem, cur octavo die celebraretur. Deinde Christianos docet in illa signum fuisse redemptionis, ac proinde ubi pretium hujus solutum est, illam omitti jam debuisse. Tum hæreticos legem de fundendo sanguine calumniantes ostendit passionem Domini simul damnare. Hinc eos refellit, qui fidei circumcisionem obfuisse criminabantur, sicut et illos, qui partem corporis, quæ naturalis esset, argutabantur non esse recidendam. Postremo pluribus de occulta Christianorum circumcisione disputatis, eos ad externam probat non obligari.

Ambrosius Constantio.

I. Non mediocris plerosque movet quæstio, qua causa circumcisio et Veteris Testamenti auctoritate quasi utilis imperetur, et Novi Testamenti magisterio quasi inutilis repudietur[1]; cum præsertim Abraham primus oraculum circumcisionis celebrandæ acceperit[2], qui diem Domini Jesu vidi, et gavisus est[3]. Quod utique in evidenti est,

[1] Act. xv, 10. — [2] Gen. xvii, 10. — [3] Joan. viii, 56.

quia non corporalibus, sed spiritalibus legis divinæ intenderit; et ideo veram Dominici corporis passionem in agni conspexerit immolatione.

II. Quid ergo dicemus secutum patrem Abraham, ut id primus institueret, quod ejus non sequeretur hæreditas? aut qua ratione circumciduntur infantulorum corpora; et in ipso ortu subjiciuntur periculis, et hoc imperari oraculo; ut discrimen salutis fiat de mysterio religionis. Quid hoc significat? Latet enim causa veri, et oportuit aut aperto aliquid mysterio significari, aut non periculoso mysteriorum indicio mandari.

III. Cur vero signum Testamenti divini in ea datur parte membrorum, quæ visu inhonestior æstimatur? aut qua gratia ipse operator corporis nostri in ipso nostræ generationis exordio circumcidi voluit opus suum, et vulnerari, et cruentari, et abscidi partem, quam velut necessariam, qui omnia disposuit ordinate, cum cæteris membris faciendam putavit? Aut enim præter naturam est hæc portio corporis nostri, et non oportuit habere omnes homines, quod esset præter naturam: aut secundum naturam est, et non decuit amputari, quod secundum naturæ perfectionem creatum foret; cum præsertim alieni a portione Domini Dei nostri, id præcipue irridere soliti sint. Deinde cum propositum sit Deo, ut frequenter ipse testificatus est, plures ad sacræ observantiam provocare religionis; quanto magis invitarentur, si non aliqui circumcisionis ipsius aut periculo, aut opprobrio revocarentur.

IV. Ergo ut ad prima redeamus, et propositum persequamur ordinem, de ipsa circumcisionis qualitate dicendum videtur. Cujus gemina debet esse defensio, quia duplex est accusatio: una quæ irrogatur a gentilibus, altera quæ ab iis, qui de populo Dei sunt, æstimatur. Vehementior autem gentilium, qui viros circumcisione signatos

etiam opprobrio et illusione dignos arbitrantur (61). Sed etiam ipsorum sapientissimi quique ita circumcisionem approbant, ut electos suos erga cognoscenda et celebranda mysteria circumcidendos putent.

V. Denique Ægyptii, qui et geometriæ, et colligendis siderum cursibus operam intendunt suam, impium judicant sacerdotem, qui nequaquam habeat circumcisionis insigne. Nam neque magici carminis sapientiam, nec geometriam, nec astronomiam judicant vim suam obtinere sine circumcisionis signaculo. Et ideo ut impetrandi vim operationi adhibeant suæ, purgationem quamdam vatum suorum circumcisionis arcano celebrandam existimant.

VI. Reperimus autem in historia veterum non solum Ægyptios (62), sed etiam Æthiopum, et Arabum, et Phœnicum aliquos circumcisione erga suos usos. Et hanc putant se adhuc probandæ viam servare rationis; eo quod sui corporis primitiis et sanguinis initiati, insidias dæmonum, quas illi generi nostro moliuntur, exiguæ partis abitrentur consecrationibus destruendas; ut qui totius hominis saluti nituntur nocere, infirmari operationem suam putent circumcisionis sacræ vel lege, vel specie. Arbitror enim quod in præteritum ipse dæmonum princeps cessare suas artes erga noxiæ operationis effectum æstimaverit, si ei nocere conaretur, quem signaculo circumcisionis sacræ initiatum adverteret, aut ei qui videretur in hoc saltem munere legi divinæ obtemperare.

VII. Jam qui singulorum membrorum officia diligenter expendit, non otiosam causam in hac membri hujus portiuncula æstimare poterit, qua ratione non solum circumcidatur puer, verumetiam octavo circumcidatur die; quando incipit mater pignoris nati in sanguine esse puro, quæ ante octavum diem fertur in sanguine immundo sedere[1]. Hæc adversum eos dicta sint, qui nulla nobis uni-

[1] Gen. XVII, 12.

tate fidei sociantur; et ideo tanquam adversum dissidentes difficilior disputandi locus.

VIII. Responsum autem sibi hujusmodi habeant, qui credunt in Dominum Jesum, quod nudare noluimus, cum adversum opiniones gentilium disputaremus. Nam si redempti sumus non corruptibilibus argento et auro, sed pretioso sanguine Domini nostri Jesu Christi[1]; quo utique vendente, nisi eo qui nostrum jam peccatricis successionis ære quæsitum servitium possidebat: sine dubio ipse flagitabat pretium, ut servitio exueret, quos tenebat obstrictos. Pretium autem nostræ liberationis erat sanguis Domini Jesu, quod necessario solvendum erat ei, cui peccatis nostris venditi eramus.

IX. Donec igitur hoc pretium pro omnibus solveretur hominibus, quod Dominici sanguinis effusione pro omnium fuit solvendum absolutione, opus fuit singulorum sanguine, qui Lege et consuetudinis ritu, sacræ præcepta sequerentur religionis. Sed quia pretium pro omnibus solutum est, posteaquam passus est Christus Dominus, jam non opus est, ut viritim sanguis singulorum circumcisione fundatur; cum in sanguine Christi circumcisio universorum celebrata sit, et in illius cruce omnes simul crucifixi simus cum eo, et consepulti in ejus sepulcro, complantati similitudini mortis ejus, ut ultra non serviamus peccato: « Qui enim mortuus est, justificatus est a » peccato[2]. »

X. Quod si quis, ut Marcion et Manichæus (63), reprehendendum Dei putat esse judicium, quia vel oraculum de circumcisione celebranda edendum putavit esse, vel legem qua sanguinis effusio mandatur; necesse est ut is etiam Dominum Jesum reprehendendum arbitretur, qui non exiguum, sed multum sanguinem pro hujus

[1] I Petr. I, 18, 19. — [2] Rom. VI, 7.

mundi effudit redemptione, et hodieque nos fundere jubet sanguinem nostrum pro tanto religionis certamine, dicens : « Qui vult me sequi, tollat crucem suam, et sequatur me[1]. » Si autem nequaquam justa est accusatio, cum aliquis totum se pro pietate offerat, et multi sanguinis se mundet effusione; quomodo legem possumus reprehendere, exigui stillam exigentem sanguinis, cum prædicemus Dominum Jesum multi effusionem sanguinis, et totius corporis mortem imperantem?

XI. Nec ipsum circumcisionis signaculum et species feriabatur, quo populus Dei velut quodam sigillo signatus corporis, discernebatur a cæteris nationibus. Nunc autem Christi donatus nomine signum corporis nequaquam requirit, qui prærogativam divinæ meruit nuncupationis. Quid autem absurdum si propter pietatem aliquid doloris vel laboris inferri videbatur, quo plus devotio per hæc certamina probaretur? Pulchrum etiam ut ab ipsis vitæ incunabulis insigne religionis adolesceret, et puderet unumquemque ætatis provectioris vel labori, vel dolori cedere, quorum utrumque tenera infantia vicisset.

XII. Sed jam levi circumcisionis dolore non opus est Christiano populo, qui mortem Domini circumferens, per momenta singula fronti propriæ mortis contemptum inscribit (64), utpote qui sciat sine cruce Domini salutem se habere non posse. Quis enim acu utatur ad præliandum, cum telis instructus sit validioribus?

XIII. Jam illud quivis facile refellendum advertit, quia propositum est plerosque potuisse ad sacræ religionis provocari obsequium, nisi essent doloris timore, vel laboris contuitu revocati. Et potuit hoc terrere majorem, quod infantuli plerique sustinebant sine periculo? Esto tamen aliquos infantulos Judæorum, cum dolorem circumcisi

[1] Matth. XVI, 24.

corporis plagæque ferventis sustinere non potuerint, defunctos fuisse : sed hoc nec cæteros deterrebat provectiori ætate robustos, et laudabiliorem faciebat eum, qui præceptis obedisset cœlestibus.

XIV. Quod si hoc in exiguo dolore arbitrantur confessionis fuisse obstaculum, quid de martyrio dicunt ? Nam si reprehendunt circumcisionis dolorem, reprehendant et martyrum mortem, per quos cumulata non minuta religio est. In tantum autem abest nocuisse fidei circumcisionis dolorem : ut probabiliorem fidem faciat dolor; major enim fidei gratia, si quis pro religione contemnat dolorem : et hic magis habet præmium quam ille, qui ideo dolorem voluit circumcisionis subire, ut gloriaretur in Lege, et laudem ex hominibus magis quam ex Deo quæreret.

XV. Oportuit igitur circumcisionem ex parte fieri ante ejus adventum, qui totum circumcideret hominem; ex parte enim debuit assuescere humana conditio, quemadmodum in id, quod perfectum est, crederetur. Si autem oportuit circumcidi, in qua magis parte membrorum oportuit circumcisionem fieri quam in ea, quæ quibusdam videtur inhonestior? « Ut iis quæ putarentur ignobi- » liora esse membra corporis nostri, honestatem abundan- » tiorem circumdarent : et quæ inhonesta sunt nostra, » honestatem abundantiorem haberent[1]. » Ubi enim magis vir sanguinis sui admoneri debuit, quam in ea parte, quæ ministerium errori exhibet.

XVI. Nunc tempus est ut et illis respondeamus, qui dicunt, si ea pars corporis nostri secundum naturam est, nequaquam eam amputari oportuisse : si non est secundum naturam, non debuisse simul nasci. Qui quoniam tam arguti sunt, et ipsi mihi respondeant, utrum secundum naturam successio humana sit, quæ generationibus

[1] 1 Cor. XII, 23.

adolescit, an contra naturam. Si enim secundum naturam, nunquam igitur intermittenda est : et quomodo integritas virorum, virginitas puellarum, abstinentia viduarum, continentia conjugum prædicatur? Nullum ergo studium quærendæ successionis feriari debuit. Sed ipse auctor naturæ non utique generationi obsecutus est, qui de se, cum esset in corpore constitutus, præbuit magisterium, et hortatus est Discipulos ad integritatem, dicens : « Sunt » spadones, qui se castraverunt propter regnum cœlorum; » qui potest capere, capiat[1]. »

XVII. Cum sit autem homo compositus ex corpore et anima (satis est enim interim hoc dicere (65), et silere de spiritu) non est in utroque idem secundum naturam: sed quod est secundum corporis naturam, id contra naturam est animæ; et quod secundum naturam est animæ, id contra naturam est corporis; ut si dicam quod secundum naturam est visibili, id contra naturam est ei, quod non videtur; et quod secundum naturam est ei, quod non videtur, id contra naturam est visibili. Nihil ergo incongruum in hominibus Dei, si fiant aliqua contra naturam corporis, quæ sint secundum animæ naturam.

XVIII. Qui autem dicunt quoniam plures credidissent, si circumcisio non fuisset, ii sibi responsum hoc habeant, quoniam plures crederent, si martyria non fuissent : sed præstantior est fortitudo paucorum, quam remissio plurimorum. Sicut autem plurima baptismatum genera præmissa sunt, quia secuturum erat verum illud unum in spiritu et aqua sacramentum baptismatis, quo totus redimitur homo : ita plurimorum circumcisio præmittenda fuit; quia secutura erat circumcisio Dominicæ passionis, quam pertulit Jesus quasi Agnus Dei, ut tolleret peccata mundi[2].

[1] Matth. XIX, 12. — [2] Joan. I, 36.

XIX. Hæc ideo scripsimus, ut ostenderemus quia et debuit præmitti circumcisio, quæ foris est, ut et ea jam post adventum Domini jure videatur exclusa. Nunc autem circumcisio est necessaria, quæ in occulto est, sicut Judæus præstantior, qui in occulto, in spiritu, non littera; quoniam cum sint in uno homine duo homines, de quibus dictum est : « Et si is qui foris est, homo noster corrumpitur secundum desideria erroris, sed qui intus est, renovatur de die in diem[1] ; » et alibi : « Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem[2] ; » interior est homo noster, qui est ad imaginem et similitudinem Dei factus, exterior qui figuratus e limo. Sic denique et in Genesi duas tibi creaturas hominis ostendit, secundo creatum hominem significans[3]. »

XX. Sicut ergo duo homines, ita et gemina conversatio est : una interioris hominis, altera exterioris. Et quidem plerique actus interioris hominis perveniunt ad exteriorem hominem, quemadmodum castimonia interioris hominis transit etiam ad castitatem corporis. Qui enim adulterium cordis ignorat, idem utique nescit corporis adulterium : non tamen etiam illud est consequens, ut qui non adulteravit corpore, non adulteraverit etiam corde, secundum illud : « Quoniam qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam adulteravit eam in corde suo[4]. » Nam etsi adhuc non sit adulter corporis, tamen jam affectu adulter est. Ergo est interioris hominis circumcisio : nam qui circumciditur, totius carnis illecebras tanquam præputium exuit; ut sit in spiritu, non in carne, et spiritu mortificet corporis sui actus.

XXI. Et hæc est, quæ in occulto est circumcisio, sicut Abraham ante in præputio erat, postea factus est in cir-

[1] 2 Cor. IV, 16. — [2] Rom. VII, 22. — [3] Gen. I, 27, et II, 7. — [4] Matth. V, 28.

cumcisione[1]. Sic interior homo noster, quando est in carne, tanquam in præputio est : quando autem jam non est in carne, sed in spiritu, incipit esse in circumcisione, non in præputio. Sicut autem qui circumciditur, non totam carnem exuit, sed solum præputium, ubi corruptela frequentior; ita qui in occulto circumciditur, carnem illam exuit, de qua scriptum est : « Omnis caro fœnum, et » omnis gloria ejus, ut flos fœni. Aruit fœnum, et flos ejus » decidit : verbum autem Domini manet in æternum[2]. » Et remanet caro, quæ videbit salutare Dei, sicut scriptum est : « Et videbit omnis caro salutare Dei[3]. » Quæ sit ista caro, munda aures, ut intelligas.

XXII. Talis ergo debet esse in occulto circumcisio, ut nullam habeat comparationem cum ea, quæ foris est, circumcisione. Et ideo qui in occulto Judæus est, ipse præstat; qui est a Juda, cujus manus supra cervicem inimicorum ejus, qui recubans requievit ut leo[4], et ut catulus leonis, quem laudant fratres ejus. Ab hoc Juda non deficit princeps; quia sermo ejus principes facit, qui non subjiciantur illecebris sæcularibus, et captiventur voluptatibus istius mundi. Et quia ipse Judas in hanc generationem venit, ideo plurimi, qui postea generati sunt, præferuntur; ut virtutum principatu gaudeant. Habeamus itaque circumcisionem in occulto, et in occulto Judæum, qui est spiritalis : spiritalis autem, utpote princeps, dijudicat omnia, ipse autem a nemine dijudicatur[5].

XXIII. Debuit ergo Legis mandata præscripto circumcisio, quæ ex parte erat, cessare; posteaquam venit qui circumcisionem faceret totius hominis, et impleret circumcisionem Legis. Quis autem est iste, nisi qui dixit : « Non veni Legem solvere, sed implere[6] ? »

[1] Rom. IV, 11. — [2] Isaï. XL, 6, 7. — [3] Luc. III, 6. — [4] Gen. XLIX, 8. — [5] 1 Cor. II, 15. — [6] Matth. V, 17.

XXIV. Quanquam si diligenter intendas, et illa sit ratio, qua jam cessare debuerit præputii circumcisio; quia plenitudo gentium venit. Non enim gentibus circumcisio mandata est, sed semini Abraham; sic enim habes in primo oraculo: « Et dixit Deus ad Abraham : Tu autem Testa» mentum meum observabis, tu et semen tuum post te in » progenies eorum. Et hoc est Testamentum meum, quod » observabis inter me et vos, et semen tuum post te in » progenies eorum. Circumcidetur omne vestrum mascu» linum, et circumcidetis carnem præputii vestri, et erit » in signo Testamenti inter me et vos. Infans octo dierum » circumcidetur vobis, omne masculinum in progenies » vestras. Vernaculus domus tuæ et pecunia emptus ab omni » filio alterius, qui non est ex semine tuo, circumcisione » circumcidetur: et erit Testamentum meum in carne ves» tra, in Testamentum æternum. Et incircumcisus masculus, » qui non circumciderit carnem præputii sui octava die, » exterminabitur anima illa de generatione illa; quia Tes» tamentum meum transgressus est[1]. » Hebræus quidem negatur habere de octavo die, sicut Aquila significat. Sed non in Aquila omnis auctoritas, qui quasi Judæus in littera præteriit, nec posuit octavum diem.

XXV. Interim et octavum diem, et in signo datam circumcisionem audisti: signum autem rei majoris indicium est, indicium veritatis futuræ; et datum Testamentum Abrahæ et semini ejus, cui dictum est: « In Isaac erit » semen tuum[2]. » Ergo circumcidi licuit Judæum, vel domi ejus natum vel pecunia ejus emptum. Non possumus derivare hoc ad alienigenam, aut proselytum, nisi fuerint in domo Abrahæ nati, aut pecunia ejus empti, vel seminis ejus. Denique nihil dixit de proselytis, de quibus quando voluit dicere, nominavit eos, sicut habes: « Et locutus est

[1] Gen. XVII, 9, et seqq. — [2] Gen. XXI, 12.

Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad Aaron, et ad » filios ejus, et ad omnes filios Israël, et dices ad eos : Homo » homo a filiis Israël, et a proselytis, qui sunt appositi » vobis, quicumque fecerit holocaustum [1]. » Ubi ergo comprehendit eos, ibi Lex eos tenet : ubi oraculo non significantur, quomodo astringi videntur? Sic habes denique : « Dic filiis Aaron [2], » quando de sacerdotibus dicit. Habes, quando et de Levitis dicit.

XXVI. Ergo omnifariam claret etiam secundum litteram Legis, quanquam Lex spiritalis sit, et secundum ipsam tamen litteram ad circumcisionem teneri non potuisse nationum populos : sed ipsam circumcisionem in signo fuisse, donec plenitudo gentium intraret; et sic omnis Israël salvus fieret, circumcisus corde, non exigua membri unius parte. Ergo satis et excusata a nobis, et exclusa est Judæorum manens hodieque circumcisio.

XXVII. Quod autem reprehensioni eam dicunt fuisse, vel esse gentilibus, primum non habent reprehendere ipsi, vel irridere, quod alii consortes faciunt sui. Esto tamen, fuerit quod irriderent; quid hoc nos movere debet, cum ipsa crux Domini Judæis scandalum, Græcis stultitia, nobis autem virtus Dei sit, atque sapientia [3]? Et ipse Dominus dixerit : « Qui me confusus fuerit coram hominibus, » confundar et ego eum coram Patre meo, qui est in cœ» lis [4] ; » docens nos iis, quæ ridentur ab hominibus, non commovendos, si qua pro religionis obsequio deferuntur.

[1] Gen. XVII, 12. — [2] Levit. XVII, 21, et seqq. — [3] 1 Cor. I, 23, 24. — [4] Luc. IX, 26.

EPISTOLA LXXIII.

Interroganti cur lata sit Lex, cum eam obesse Paulus indicet; respondetur inutilem eam futuram, si naturalis, quæ inscribitur cordibus nostris, et in infantibus deprehenditur, servata esset: hac soluta, illam fuisse necessariam, ut excusationem tolleret peccatum manifestando, quod postmodum Christi gratia sublatum est.

Ambrosius Irenæo.

I. Decursa lectione Apostoli, non perfunctorie motus es; quia audisti hodie lectum: « Lex enim iram operatur: » ubi autem non est Lex, nec prævaricatio[1].» Unde et consulendum arbitratus es cur lata sit Lex, si nihil proderat; imo oberat, quæ operaretur iracundiam, et prævaricationem introduceret.

II. Et quidem secundum interrogationem tuam certum est non fuisse Legem necessariam, quæ per Moysen data est. Nam si naturalem legem, quam Deus creator infudit singulorum pectoribus, homines servare potuissent, non fuerat opus ea lege, quæ in tabulis scripta lapideis, implicavit atque innodavit magis humani generis infirmitatem, quam elaqueavit atque absolvit. Esse autem legem naturalem in cordibus nostris etiam Apostolus docet, qui scripsit quia plerumque «Et gentes naturaliter ea, quæ Legis » sunt, faciunt; et cum Legem non legerint, opus tamen » Legis scriptum habent in cordibus suis[2]. »

[1] Rom. iv, 15. — [2] Id. ii, 14.

III. Ea igitur lex non scribitur, sed innascitur : nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, et humanis ingeniis hauritur. Quam debuimus vel futuri judicii metu servare, cujus testis conscientia nostra tacitis cogitationibus apud Deum ipsa se prodit, quibus vel redarguitur improbitas, vel defenditur innocentia. Itaque cum semper pateat Domino, tum maxime in die judicii manifestabitur[1] ; quando occulta cordis in examen venient, quæ putabantur latere. Quorum tamen proditio, occultorum scilicet, nequaquam noceret, si lex naturalis inesset pectoribus humanis; est enim sancta, sine versutia, sine fraude, consors justitiæ, expers iniquitatis.

IV. Denique interrogemus infantiam, videamus si quod in ea crimen reperitur, si avaritia, ambitio, dolus, sævitia, insolentia. Nihil suum novit, nullos honores sibi arrogat, præferre se alteri ignorat, fraudem nescit, vindicare se se nec vult, nec potest. Insolentia quid sit puro ac simplici nequit animo comprehendere.

V. Solvit hanc legem Adam, qui voluit sibi arrogare quod non acceperat[2], ut esset sicut creator et conditor suus, sic ut divinum honorem affectaret. Itaque per inobedientiam offensam traxit, et culpam incidit ex insolentia. Qui si non rupisset imperium, et obediens fuisset mandatis cœlestibus, prærogativam naturæ atque ingenitæ sibi innocentiæ hæredibus propriis reservasset. Ergo quia per inobedientiam prærogativa naturalis legis corrupta atque interlita est, ideo scriptum legis existimatum est necessarium; ut vel partem haberet, qui universum amiserat : et cui perierat quod nascendo assumpserat, discendo saltem cognosceret et custodiret. Simul quia causa dejectionis ejus superbia fuit, superbia autem orta est ex prærogativa

[1] Rom. II, 15. — [2] Gen. III, 6.

innocentiæ; debuit ea Lex ferri quæ subditum Deo et subjectum redderet. Nam sine Lege peccatum nesciebatur[1], et minor erat culpa, ubi erat culpæ ignorantia. Unde et Dominus ait : « Si non venissem, et locutus non fuis» sem iis, peccatum non haberent : nunc autem excusa» tionem non habent de peccato[2]. »

VI. Lata est ergo Lex, primum ut excusationem tolleret, ne quis diceret : Peccatum nescivi; quia præscriptum non erat quid caverem. Deinde ut omnes subditos faceret Deo agnitione peccati[3]. Omnes autem subditos fecit; quia non solum Judæis data est, sed etiam gentes vocavit; proselyti enim ex gentibus sociabantur. Neque vero exceptus videri potest, qui vocatus defuit; Lex enim quos vocavit et alligavit. Universorum itaque culpa operata est subjectionem, subjectio humilitatem, humilitas obedientiam. Itaque quia superbia culpam contraxerat, e contrario culpa obedientiam generavit. Unde lex scripta, quæ videbatur superflua, facta est necessaria; ut peccatum peccato solveret.

VII. Sed ne rursus aliquis deterreatur, et dicat incrementum peccati factum esse per Legem, et Legem non solum non profuisse, sed etiam obfuisse arbitretur; habet quo solari suam possit sollicitudinem, quia « Etsi per Le» gem superabundavit peccatum, superabundavit et gra» tia[4]. » Quid sit hoc, intelligamus.

VIII. Superabundavit peccatum per Legem; quia per Legem agnitio peccati, et cœpit mihi obesse scire id, quod per infirmitatem vitare non possem[5]; ad cavendum enim prodest præscisse : sed si cavere non queam, obfuit nosse. Versa ergo Lex in contrarium, tamen ipso peccati incremento facta est mihi utilis; quia humiliatus sum. Unde et

[1] Rom. VII, 8. — [2] Joan. XV, 22. — [3] Id. III, 19. — [4] Id. V, 20. — [5] Id. VII, 8.

dixit David: « Bonum est mihi, quod humiliatus sum[1]. » Humiliando autem me, solvi vinculum erroris superioris, quo Adam et Eva nexuerant omnem propriæ seriem successionis. Unde et Dominus quasi obediens venit; ut inobedientiæ et prævaricationis humanæ laqueus solveretur. Itaque sicut per inobedientiam peccatum intravit, ita per obedientiam peccatum solutum est. Unde et Apostolus ait : « Quia sicut per inobedientiam unius hominis peccatores » constituti sunt plurimi; ita et per obedientiam unius ho- » minis justi constituentur multi[2]. »

IX. Habes igitur unum, quia Lex et superflua fuit, et facta est non superflua : superflua in eo, quia non fuisset necessaria, si illam legem naturalem servare potuissemus : sed quia non servavimus, ista lex per Moysen necessaria facta est; ut doceret me obedientiam, et laqueum illum solveret prævaricationis Adæ, qui laqueus totam astrinxit hæreditatem. Crevit quidem culpa per Legem, sed et culpæ auctor superbia soluta est, idque mihi profuit; superbia enim culpam invenit, culpa autem gratiam fecit.

X. Accipe aliud. Non fuit necessaria lex per Moysen, denique subintravit[2] : quod utique non ordinarium, sed velut furtivum significare videtur introïtum; eo quod in locum naturalis legis intraverit. Itaque si illa suum servasset locum, hæc lex scripta nequaquam esset ingressa : sed quia illam legem excluserat prævaricatio, ac propemodum aboleverat pectoribus humanis, regnabat superbia, inobedientiaque sese diffuderat; ideo successit ista ut nos scripto conveniret, et omne os obstrueret, ut totum mundum faceret Deo subditum[3]. Subditus autem mundus eo per Legem factus est, quia ex præscripto Legis omnes conveniuntur, et ex operibus Legis nemo justificatur; id

[1] Psal. CXVIII, 71. — [2] Rom. V, 19. — [3] Ibid. 20. — [4] Id. III, 19.

est, quia per Legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur, videbatur Lex nocuisse, quæ omnes fecerat peccatores.

XI. Sed veniens Dominus Jesus, peccatum omnibus, quod nemo poterat evadere, donavit, et chirographum nostrum sui sanguinis effusione delevit[1]. Hoc est quod ait : « Superabundavit peccatum per Legem : superabun- » davit autem gratia per Jesum[2]; » quia postquam totus mundus subditus factus est, totius mundi peccatum abstulit, sicut testificatus est Joannes; dicens : « Ecce Agnus » Dei, ecce qui tollit peccatum mundi[3]. » Et ideo nemo glorietur in operibus; quia nemo factis suis justificatur : sed qui justus est, donatum habet, quia per lavacrum justificatus est. Fides ergo est quæ liberat per sanguinem Christi[4]; quia beatus ille cui peccatum remittitur, et venia donatur. Vale, fili, et nos dilige, quia nos te diligimus.

[1] Coloss. II, 14. — [2] Rom. V, 20. — [3] Joan. I, 29. — [4] Rom. IV, 6.

EPISTOLA LXXIV.

Quod multi Legem, utpote quam Deus condidisset, negabant abrogandam: aut ex ejus abrogatione utrumque Testamentum ab eodem Deo non esse colligebant, id solvi ex illo Apostoli : Lex pædagogus noster fuit, *etc. non enim nisi pueris pædagogum necessarium; Judæis igitur tanquam infirmis positam Legem, cujus præcepta imperfecta fuerunt, sed perfectorum prænuntia. Postremo ubi obiter in avaritiam disputatum est, subjicitur ad utrumque Testamentum, quod per bovem et asinum ab Esaïa designatur, suscipiendum exhortatio.*

Ambrosius Irenæo.

I. Audisti, fili, hodie lectum in Apostolo quia « Lex » pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur[1]. » Quo uno absolutas arbitror quæstiones, quæ plerosque movere consuerunt. Sunt enim qui dicant : Cum Legem Deus Moysi dederit, quid causæ est ut pleraque in Lege sint, quæ per Evangelium jam vacuata videntur ? Et quomodo unus utriusque conditor Testamenti, cum id quod licebat in Lege, per Evangelium cœperit non licere; ut est circumcisio corporalis, quæ licet etiam tunc signo data sit, ut circumcisionis spiritalis veritas teneretur ; tamen qua ratione vel in ipso signo fuit ? Cur ista diversitas æstimatur, ut tunc circumcidi pietas crederetur, nunc impietas judicetur? Deinde sabbati diem feriatum esse debere obser-

[1] Galat. III, 24.

vabatur ex Lege[1]; ita ut si quis onus aliquod lignorum portasset, mortis fieret reus : nunc autem diem ipsum et oneribus subeundis, et negotiis obeundis sine pœna advertimus deputari. Et pleraque præcepta sunt Legis, quæ præsenti tempore cessare videntur.

II. Quid ergo causæ sit consideremus; non enim otiose dixit Apostolus quia «Lex pædagogus noster fuit in Christo[2].» Pædagogus cujus est, maturioris, an adolescentis? Utique aut adolescentis, aut pueri, hoc est, ætatis infirmæ. Pædagogus enim, sicut etiam interpretatio latina habet, doctor est pueri : qui utique imperfectæ ætati non potest perfecta adhibere præcepta, quæ sustinere non queat. Denique per Prophetam Deus Legis ait : «Dabo vobis præcepta »non bona[3], » hoc est, non perfecta; quod enim bonum, utique perfectum. Idem autem Deus Evangelio perfectiora servavit; siquidem ait : «Non veni Legem solvere, sed im»plere[4].»

III. Quæ igitur istius causa distantiæ, nisi humana varietas? Sciebat duræ cervicis populum Judæorum[5], lapsu mobilem, humilem, perfidiæ promptiorem[6], qui aure audiret et non audiret, oculis videret et non videret, lubrico quodam infantiæ levem et immemorem præceptorum; et ideo Legem tanquam pædagogum mobili plebis ingenio et menti adhibuit infirmæ, ipsaque Legis præcepta moderatus, aliud legi voluit, aliud intelligi; ut insipiens saltem quod legeret, custodiret, et a præscripto litteræ non recederet : sapiens intelligeret divinæ mentis sententiam quam littera non resonaret : imprudens servaret Legis imperium, prudens mysterium. Ideo Lex severitatem gladii habet tanquam pædagogus baculum; ut imperfectæ plebis infirmitatem pœnæ saltem denuntiatione deterreat : Evan-

[1] Num. xv, 35.— [2] Galat. III, 24.— [3] Ezech. xx, 25.— [4] Matth. v, 17. — [5] Exod. xxxiv, 9. — [6] Isaï. vi, 9.

gelium autem indulgentiam habet, quo peccata donantur.

IV. Jure ergo ait Paulus, quia « Littera occidit, spiritus » autem vificat. » Littera igitur circumcidit exiguam corporis portionem : spiritus intelligens circumcisionem totius animæ corporisque custodit; ut superfluis amputatis (quid enim tam superfluum, quam avaritiæ vitia, libidinisque peccata, quæ natura non habuit, culpa quæsivit?) castimonia teneatur, frugalitas diligatur. Signum igitur circumcisio corporalis : veritas autem circumcisio spiritalis est : illa membrum amputat, ista peccatum. Nihil imperfectum in homine natura generavit, nec tanquam superfluum jubebatur auferri : sed ut adverterent, qui partem sui corporis amputabant, multo magis amputanda peccata, recidendos eos, qui delicta suadeant, etiamsi quadam unitate corporis connecterentur, sicut habes scriptum : « Si dextera manus » tua scandalizat te, abscinde eam, et projice abs te ;expedit » enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam to- » tum corpus tuum eat in gehennam[2]. » Ergo sicut pueris, ita Judæis mandata sunt non plena præcepta, sed ex parte, et velut unam membri sui partem mundam servare præcepit sunt, qui totum corpus suum mundum servare non poterant.

V. Sabbati quoque ferias uno die in hebdomada celebrare jussi sunt[3], ut nulli oneri subderentur, qui mundanis operibus absoluti utinam sic abiissent ; ut in illud perpetuum futurorum sabbatum sæculorum nulla secum gravium veherent onera delictorum. Sed quia lubricum populum Deus noverat, partem infirmioribus diei unius observatione præscripsit, plenitudinem fortioribus reservavit : Synagoga diem observat, Ecclesia immortalitatem. In Lege igitur portio, in Evangilio perfectio est.

VI. Populus Judæorum ligna portare prohibetur, hoc est, illa quæ consumuntur incendio[4]. Umbram tenet,

[1] 2 Cor. III, 6. — [2] Matth. v, 30. — [3] Exod. XXXI, 15.— [4] Num. XV, 33.

qui solem refugit. Tibi Sol justitiæ umbram impedimento esse non passus, apertum gratiæ suæ lumen infundens ait: « Vade, et amodo vide ne pecces[1]. » Tibi æterni illius solis imitator ait : « Si quis autem superædificavit super fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam ; uniuscujusque opus manifestum erit. Dies » enim Domini manifestabit, quoniam in igne revelabitur. » Et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit[2]. » Et ideo illud superædificemus supra Christum (Christus enim nostrum est fundamentum) quod non exuratur, sed melioretur. Aurum melioratur igne, melioratur argentum.

VII. Audisti aurum et argentum, putas hoc materiale, congregare desideras : sed ludis operam. Hoc aurum et argentum onus habet, fructum non habet. Onus quærentis est sumptus hæredis. Hoc aurum sicut lignum exuritur, non perpetuatur : hoc argentum in die illo detrimentum vitæ tuæ, non lucrum afferet. Aliud aurum, aliud argentum a te quæritur, hoc est, sensus bonus, verbum optimum, de quibus dicit Deus quia dat vasa aurea et argentea[3]. Hæc sunt munera Dei : « Eloquia Domini, eloquia casta: » argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum » septuplo[4]. » Gratia sensus tui, nitor casti sermonis exigitur : splendor fidei, non tinnitus argenti. Hoc manet, illud perit : hoc mercedem habet, et migrat nobiscum ; illud detrimentum habet, quod hîc relinquitur.

VIII. Si quis divitum putat quod illud argentum repositum et reconditum ei suffragari possit ad vitam, onus inane portat, quod judicii ignis absumat. Hîc relinquite ligna vestra, divites, ut onus vestrum futuro incendio incrementa non addat. Si erogaveris, minuetur onus : et quod remanserit, onus non erit. Noli, avare, recondere ;

[1] Joan. VIII, 11. — [2] 1 Cor. III, 12, et seqq. — [3] Prov. XXVII. — [4] Psal. XI, 7.

ne fias nudo quidem nomine Christianus, opere Judæus : cum adverteris onera tua tibi esse supplicio. Dictum est enim tibi non per umbram, sed in sole : « Si cujus opus » manserit, mercedem accipiet : si cujus arserit, detrimentum patietur[1].

IX. Et ideo tanquam perfectus eruditus in Lege, confirmatus in Evangelio, utriusque fidem suscipe Testamenti : « Beatus enim qui seminat super omnem aquam, » ubi bos et asinus calcat[2], » sicut hodie lectum est, hoc est, qui seminat super populos, qui sequuntur Testamenti utriusque doctrinam; bos est ille aratorius, Legis jugum portans, de quo Lex dicit : « Bovi trituranti os » non alligabis[3] ; » qui habet Scripturarum cornua divinarum. Pullum autem atem asinæ Dominus in Evangelio in figura populi gentilis ascendit[4].

X. Puto autem quoniam dives est verbum Dei, quod etiam illud intelligere debeamus, quia bos habet cornua plena terroris, taurus ferociam habet, asinus mansuetudinem : quod bene ad præsentia derivatur, quia beatus qui et severitatem et mansuetudinem tenet; ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur; nimia enim severitas extorquet plerumque terrore mendacium. Deus diligi maluit, quam timeri : Dominus autem charitatem exigit, servus timorem; cum perpetuus in homine terror esse non possit; quia scriptum est, sicut hodie lectum est, « Ecce in timore vestro ipsi timebunt, quos ti» mebatis. » Vale, fili, et nos dilige; quia nos te diligimus.

[1] I Cor. III, 14. — [2] Isaï. XXXII, 20. — [3] Deut. XXV, 4. — [4] Luc. XIX, 33.

EPISTOLA LXXV.

Proposita eruendi Paulini sensus difficultate, subjungit textum ejusdem Apostoli hæredem nullum fieri, nisi per fidem affirmantis. Deinde Judæos hæreditatem propter Vetus Testamentum sibi debitam contendentes refellit, cujusmodi hæredes habendi sint, patefaciens.

Ambrosius Clementiano.

I. Et si sciam quod nihil difficilius sit, quam de Apostoli lectione disserere; cum ipse Origenes longe minor sit in Novo, quam in Veteri Testamento: tamen quoniam superiori epistola visus tibi sum, cur pædagogus Lex diceretur, non absurde explicavisse; hodierno quoque sermone vim ipsam Apostolicæ disputationis meditabor aperire.

II. Superiora enim lectionis ejus hoc habent, eo quod ex operibus Legis nemo justificetur, sed ex fide; « Quoniam qui ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt..... » Christus autem redemit nos de maledicto Legis, factus » pro nobis maledictum. » Non ex Lege igitur hæreditas data est, sed ex repromissione. « Etenim Abrahæ dictæ » sunt repromissiones, et semini ejus..... quod est Christus. Lex itaque prævaricationum gratia posita est, » donec veniret semen, cui repromissum est; et ideo » conclusa sunt omnia sub peccato, ut repromissio ex fide » Jesu Christi daretur credentibus..... Postquam autem » venit fides, jam non sub Lege, hoc est, sub pædagogo

sumus[1]; » et quia sumus filii Dei, et omnes sumus in Christo Jesu. Si autem omnes sumus in Christo Jesu, ergo Abrahæ semen sumus, secundum promissionem hæredes. Hæc est Apostolicæ conclusio sententiæ.

III. Sed occurrit adhuc ei, qui poterat etiam Judæus dicere : Et ego hæres sum, quoniam sub Lege sum : Lex autem Vetus dicitur Testamentum : ubi autem Testamentum, ibi hæreditas. Et licet ad Hebræos ipse dixerit, quia Testamentum non valet, nisi mors intercedat testatoris[2], id est, quoniam Testamentum non valet quandiu vivit testator, sed ejus morte firmatur ; tamen quia in Hieremia Dominus locutus est de Judæis, et ait : « Facta est hære» ditas mihi sicut leo[3] ; » hæredes eos negare noluit. Sed sunt hæredes sine re, sunt et cum re : et dicuntur hæredes testatore vivente, qui scripti sunt, sed sine re.

IV. Sunt etiam hæredes parvuli, qui nihil differunt a servulo, quoniam sub curatoribus sunt et actoribus : « Ita, » inquit, et nos eramus Judæi sub elementis mundi hujus » servientes. Postquam vero venit plenitudo temporis, et » Christus advenit[4] ; » jam non sumus servi, sed liberi, si credamus in Christum. Ergo dedit illis speciem hæreditatis, possessionem negavit. Habent nomen hæredis, usum non habent; quia sicut parvuli hæredes nomen nudum hæreditatis, non auctoritatem usurpant, jubendi jus et utendi non habent ; quia plenitudinem suæ ætatis expectant, ut a curatoribus liberentur.

V. Sicut ergo parvuli, ita et Judæi sub pædagogo sunt. Lex pædagogus est : pædagogus ad magistrum ducit ; magister noster solus est Christus : « Nolite dicere vobis do» minum et magistrum ; quia dominus et magister vester » unus est Christus[5]. » Pædagogus timetur, magister viam

[1] Galat. III, 10-25.— [2] Hebr. IX, 17.— [3] Jerem. XII, 8. — [4] Galat. IV, 3. — [5] Matth. XXIII, 10.

salutis ostendit. Timor ergo ad libertatem perducit, libertas ad fidem, fides ad charitatem : charitas acquirit adoptionem, adoptio hæreditatem. Ergo ubi fides, ibi libertas; servus enim sub metu, liber ex fide. Ille sub littera, iste sub gratia : ille in servitute, iste in spiritu. Ubi autem « Spiritus Domini, ibi libertas[1]. » Si igitur ubi fides, ibi libertas; ubi libertas, ibi gratia; ubi gratia, ibi hæreditas : Judæus autem littera, non spiritu in servitute est; qui non habet fidem, non habet spiritus libertatem. Ubi autem nulla libertas, nulla gratia; ubi nulla gratia, nulla adoptio; ubi nulla adoptio, nulla successio.

VI. Tanquam clausis ergo tabulis, cernit hæreditatem (66), non possidet, auctoritatem non habet lectionis. Nam quomodo dicit : « Pater noster[2], » qui verum Dei Filium negat, per quem adoptivus acquiritur ? Quomodo Testamentum nuncupat, qui mortem testatoris negat? Quomodo libertatem usurpat, qui negat sanguinem, quo redemptus est ? Hic enim est nostræ pretium libertatis, sicut Petrus dicit : « Sanguine pretioso redempti estis[3], » non agni utique, sed ejus qui mansuetudine et humilitate, tanquam agnus advenit, et totum mundum una sui corporis hostia liberavit, sicut ipse ait : « Sicut agnus ductus » sum ad immolandum[4]. » Unde et Joannes ait : « Ecce » Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi[5]. »

VII. Ergo Judæus hæres in littera, non spiritu, tanquam parvulus est sub curatoribus et actoribus[6] : Christianus autem, qui plenitudinem temporis agnovit, qua Christus advenit factus ex muliere, factus sub Lege; ut omnes qui sub Lege erant, redimeret : Christianus, inquam, per unitatem fidei, et agnitionem Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis exurgit plenitudinis Christi[7]. Vale, fili, et nos dilige; quia nos te diligimus.

[1] 2 Cor. III, 17. — [2] Matth. VI, 9. — [3] I Petr. I, 19. — [4] Isaï, LIII, 7. — [5] Joan. I, 29. — [6] Galat. IV, 2. — [7] Ephes. IV, 13.

EPISTOLA LXXVI.

Rogatus ab Irenæo Ambrosius Epistolæ ad Ephesios summam exhibet. Scribit igitur illic nobis proponi cælestestem hæreditatem, et solii cælestis consortium cum Christo, per quem in libertatem sumus asserti: finem vero fidei charitatem, qua Christo connectimur, ostendi: nullam aliam epistolam pluribus refertan esse benedictionibus, quas singulatim breviterque prosequitur.

Ambrosius Irenæo salutem.

I. Poposcisti ut summam Epistolæ quæ ad Ephesios scripta est, inculcaremus tibi, quæ obscurior videtur, nisi ejus distinctione, colligas, quibus persuadendum putavit Apostolus de Dei regno nobis non desperandum[1].

II. Proposuit itaque primum, quod bonis maximum solet esse ad studia virtutis incitamentum, præmiorum spem, et promissorum cælestium hæreditatem, quæ in passione Christi et resurrectione appropinquaverint.

III. Deinde subjecit non solum in paradisum reditum nobis reformatum esse per Christum: sed etiam cælestis solii honorem per consortium Christi corporis carni huic esse impertitum; ut de ascendendi possibilitate jam non dubites, qui consortia tua in carne Christi regno cælesti adhærere cognoscas, per sanguinem ejus reconciliationem factam omnium, quæ vel in terra, vel in cælo sunt (qui ideo descendit, ut impleret omnia) per ejus Apostolos, Prophetas, sacerdotes, confirmationem universorum,

[1] Ephes. I, 5, et seqq.

et congregationem gentium[1]: finem autem spei nostræ charitatem ipsius, ut augeamur in ipso per omnia; quia ipse est caput universorum, ad quem omnes secundum mensuram operationis in unum corpus ædificatione charitatis assurgimus.

IV. Non ergo desperandum quod capiti suo membra adhæreant; præsertim cum in adoptionem filiorum Dei ab initio simus prædestinati per Jesum Christum in ipso: quam prædestinationem probavit, asserens illud quod ab initio prænuntiatum est, quia « Relinquet homo patrem et » matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt ambo in carne » una[2]; » sacramentum esse Christi et Ecclesiæ. Si ergo Adæ et Evæ copula sacramentum magnum est in Christo et in Ecclesia, certum est quod sicut Eva os de ossibus viri fuit, et caro de carne ejus; et nos membra simus corporis Christi, os de ossibus, et caro de carne ejus.

V. Nulla autem Epistola tantum benedictionis increpuit in plebe Dei, quantum ista, in qua non solum benedictos nos a Deo, sed in omni benedictione benedictos et spiritali et in cœlestibus significavit divinæ locuples gratiæ testis, et prædestinatos nos in adoptionem filiorum[3], in Filio quoque Dei nos cumulatos gratia, abundasse ea ad cognoscendum mysterium æternæ voluntatis: tum præterea in plenitudine temporum cum pacificarentur omnia in Christo, et quæ in terra sunt, et quæ in cœlo, sorte nos in ipso constitutos, ut quæ Legis sunt implerentur in nobis, et quæ gratiæ: cum etiam secundum Legem electi videremur in juventutis ætate, quæ est vita immaculata, nihil habentes lasciviæ puerilis, et senilis infirmitatis: docti quoque prælium non solum adversus carnem et sanguinem, sed etiam adversus omnem militiam spiritalis nequitiæ, quæ est in cœlestibus, vividis gerere virtutibus[4].

[1] Ephes. IV, 15, et seqq. — [2] Gen. II, 28, et Ephes. V, 31. — [3] Ephes. I, 1, et seqq. — [4] Id. VI, 12.

VI. Itaque sicut illis sortito obtigit captarum ex hoste terrarum possessio; ita nobis cecidit sors gratiæ, ut simus possessio Dei, qui renes possidet nostros[1], id est, seminarium castitatis et temperantiæ. Quæris hanc sortem agnoscere? Recordare illam quæ cecidit super Matthiam, ut in duodecimum Apostolorum numerum subrogaretur[2]. Sed etiam propheta David ait: « Si dormiatis inter medias sortes[3]; » eo quod is qui medius inter Veteris sortem et Novi Testamenti est, recumbens in utroque, ad regni cœlestis tranquillitatem asciscitur. Hanc sortem filiæ Salphæ petebant hæreditatis paternæ, et earum petitio divino judicio probata est[4]. Sed illæ petebant in umbra; Salpha enim umbra oris significatur: in umbra ergo sermonis petebant, loquebantur quod non revelabatur. Paternæ itaque hæreditatis petitio Salphæ filiabus in umbra sermonis erat, nobis autem est in Evangelii splendore, et revelatione gratiæ.

VII. Simus itaque nos possessio Dei et ille nobis portio, in quo sunt divitiæ gloriæ et hæreditatis ejus. Quis enim dives, nisi solus Deus, qui omnia creavit? Sed multo magis dives misericordia, qui omnes redemit[5], et nos secundum carnis naturam iræ filios, et commotioni obnoxios mutavit quasi auctor naturæ, ut simus filii pacis et charitatis. Quis enim naturam mutare potest, nisi qui creavit naturam? Itaque suscitavit mortuos, et vivificatos in Christo sedere fecit in cœlestibus in ipso Domino Jesu[6].

VIII. Non quo quisquam hominum prærogativam sedendi meruerit in illa sede Dei, de qua Pater soli Filio dixit: « Sede a dextris meis[7]; » sed quia in illa carne Christi per consortium ejusdem naturæ caro omnis humani generis honorata est[8]. Nam sicut ille in nostra

[1] Psal. CXXXVIII, 13.— [2] Act. I, 26.— [3] Psal. LXVII, 14.— [4] Num. XXVII, 1, et seqq.— [5] Ephes. II, 4.— [6] Ibid. 6.— [7] Psal. CIX, 1.— [8] Luc. II, 37.

carne subditus legitur per unitatem carnis et obedientiam corporis, in quo fuit obediens usque ad mortem[1]; sic et nos in illius carne consedimus in cœlestibus. Non ergo sedimus, sed in Christo consedimus, qui solus sedet ad dexteram Dei Filius hominis, sicut ipse dixit : « Amodo » videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram Dei[2]. » In eo enim abundavit gratia ejus et bonitas super nos in Christo Jesu, ut operibus mortuos, per fidem redemptos, salvatos gratia tantæ donaret libertatis munere, in quo velut resuscitata etiam ipsa natura novæ sensit creaturæ gratiam ; ut in bonis operibus ambulemus creati in Christo, qui ante obnoxiæ hæreditatis vitio degeneravimus.

IX. Etenim sublatis inimicitiis, quæ erant ante in carne, pax facta est universitatis in cœlo; ut essent homines sicut Angeli in terra[3], ut essent gentes unum atque Israëlitæ, ut in homine uno et novus homo et vetus sublato pariete maceriæ, qui utrumque dissidioso obice dividebat, inter se convenirent. Nam cum hujus natura carnis iram et discordias ac dissensiones excitavisset, Lex nos damnatorum nexuisset vinculis, Christus Jesus insolentiam atque intemperantiam carnis mortificatione compressit, legem mandatorum in decretis evacuavit, in quibus ostendit non secundum litteram interpretanda legis spiritalis dogmata ; cum et sabbati ignava otia, et corporalis superflua destrueret circumcisionis, atque omnibus accessum ad Patrem in uno reseraret spiritu. Quomodo enim potest discordia esse, ubi una vocatio, unum corpus, et unus spiritus est?

X. Quid enim aliud descendens operatus est Dominus Jesus, nisi ut de captivitate nos in libertatem vindicaret, et illam captivitatem vinctam perfidiæ vinculis sibi captivam faceret, alligatam sapientiæ compedibus, mittente unoquoque prudente pedes suos in compedes ejus, sicut

[1] Philip. II, 8. — [2] Matth. XXVI, 64. — [3] Ephes. II, 14.

scriptum est : et cum descendisset, et ascenderet, « Ut » impleret omnia[1], » et nos omnes de plenitudine ejus acciperemus[2] ?

XI. Ideoque primum repletos Spiritu sancto posuit in Ecclesia Apostolos, Prophetas alios, alios Evangelistas, alios autem pastores et doctores[3], ut eorum adhortationibus consummaretur profectus credentium, et ministerii fidelis opus cresceret. Ædificatur unusquisque ædificatione virtutum in mensuram ætatis interioris, quæ mensura perfectior vitæ immaculatæ, id est, perfecti viri, accipiens de plenitudine Christi recepit gratiæ plenitudinem[4].

XII. Quis autem vir perfectus est, nisi ille qui absolutus infantia puerilis ingenii, atque adolescentiæ incerto ac lubrico, et immoderato juventutis calore, in viri perfecti firmitatem successerit, atque ad illam morum maturitatem adoleverit ; ut non facile devii disputatoris alloquio flectatur, et quasi quadam doctrinæ irrationabilis turbidiore in scopulos jactetur procella, ad erroris remedia se conferens : et qui veritatem non solum in sermone, sed etiam in operibus sequatur suis, et ædificationem charitatis in se suscipiat ; ut in unitate fidei et agnitionis occurrat, et quasi membrum non desit capiti suo, id est, Christo, qui est caput omnium, ex quo totum corpus fidelium et sapientium per harmoniam rationabilem Verbi, hoc est enim συναρμολογούμενον, ἁρμονίᾳ τοῦ λόγου δεδεμένον, id est, harmonia Verbi compaginatum et compactum atque connexum, per omnem juncturam ministrationis, in mensuram uniuscujusque partis augmentum corporis facit, in ædificationem sui, in charitate ; ut assurgat unum templum Dei in omnibus, et unum domicilii cœlestis habitaculum in spiritu universorum[5] ?

[1] Ephes. IV, 8. — [2] Joan. I, 16. — [3] Ephes. IV, 11. — [4] Ibid. 13. — — [5] Ibid. 16.

XIII. In quo non solum sanctorum hominum, sed omnium credentium, omnium etiam superiorum rationabilium Virtutum ac Potestatum, connexionem fidei, spiritusque accipiendam arbitror; ut per harmoniam quamdam virtutum ac ministeriorum corpus unum ex omnibus rationabilis naturæ spiritibus adhæreat capiti suo Christo, ita ædificationis compage connexa, ut ne tactu quidem junctura singulorum adhærentium discrepare videatur. Hoc est enim quod ἁφὴν dixit Græcus, τῆς χορηγίας κατ' ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ: quod non difficile erit tanto architecto secundum mensuram uniuscujusque meritorum ac fidei convenientem sibi connectere; cum ædificatio charitatis rimam offensionis excludat, atque obstruat. Non est ergo dubitandum cœlestium Potestatum adhæsura ad hoc templum ædificandum consortia; incongruum quippe intelligi quod ita assurgat humanæ charitatis ædificatio in templum Dei, ut fiat in nobis habitatio Dei in spiritu, non sit autem in cœlestibus Potestatibus.

XIV. Cujus rei gratia, ut maturius in nobis ædificatio hujusmodi procederet, hortatur nos Apostolus aperire oculos cordis, elevare ad superiora, agnitionem Dei impense quærere, veritatem discutere, abscondere in corde mandata Dei, deponere erroris desideria, dedecoris occulta, renovari per gratiam sacramentorum, temperare iracundiam, commotionem ante occasum solis relaxare, cavere ne superioria tua occupet adversarius, spiritus ille habens potestatem, qui se immersit in cor Judæ[1], et comminuit animæ ejus januas; ne posset resistere, furem excludere, mendacem avertere, exurgere a mortuis, sobrietatem assumere: uxorem viro, ut Ecclesiam Christo, debere esse subditam, virum pro uxore animam suam offerre, sicut se pro Ecclesia tradidit Christus[2]: postremo

[1] Joan. XIII, 12. — [2] Ephes. V, 25.

quasi bonum bellatorem sumere arma Dei, ac prætendere semper, non solum adversus carnem et sanguinem, sed etiam adversum spiritales nequitias[1]; ne a suis emolliri, ab extraneis capi possit. Hæc breviter comprehensa, ut potui, perstrinxi. Vale, fili, et nos dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA LXXVII.

Roganti quæ hæreditas illa sit, pro qua mortem oppetere plerique non dubitant; respondet hanc ipsam esse quam ex repromissione quasi liberi adipiscimur; nos enim cum Deo ex charitate serviamus, vera potiri libertate. Hoc in Esaü benedictione signatum docet; unde colligit ex Lege per quam servitus fuit, etiam libertatem esse, ut quæ ad fidem nos adduxerit: addit non Christum, sed Moysen accusaturum; atque adeo Judæos desipere, a quibus accusator præ bono Judice eligitur.

Ambrosius Horontiano.

I. Non otiose quærendum putasti quæ sit rei divinæ hæreditas; et cur tanto æstimetur nomine, ut propter eam plerique etiam mortem suam offerant. Verum si considerés quia et in usu humano hæreditatis pecuniariæ gratia facit, ut venerabiliora fiant jura pietatis; quia hoc quoque plus defertur parentibus, ne læsa pietas patris ulciscatur se exhæredatione, vel abdicatione contumacis pignoris:

[1] Ephes. vi, 12.

mirari profecto desines quæ sit tanta divinæ hæreditatis appetentia.

II. Est autem hæreditas proposita Christianis omnibus; sic enim dicit Esaïas : « Est hæreditas credentibus in Do» mino[1] : » quæ speratur ex repromissione, non ex Lege. Quod Veteris Testamenti exemplo probatur, dicente Sarra : « Expelle ancillam, et filium ejus ; non enim hæres erit » filius ancillæ cum filio meo Isaac[2]. » Filius Sarræ Isaac, filius ancillæ Ismaël ; hi ante Legem sunt : ergo antiquior repromissio quam Lex. Nos secundum Isaac filii per repromissionem, Judæi secundum carnem filii ancillæ[3]. Nobis mater libera, quæ non parturiebat, et postea ex repromissione effudit, perperitque masculum : illis mater Agar, generans in servitutem. Liber est, cui gratia promittitur ; servus, cui jugum Legis imponitur : prius ergo nobis repromissio quam illis Lex ; et secundum naturam antiquior libertas, quam servitus. Libertas igitur ex repromissione, ex Lege servitus. Sed licet repromissio ipsa ante Legem sit, ut diximus, ex repromissione autem libertas, in libertate charitas ; secundum Legem tamen est charitas, quæ major libertate est.

III. Non ergo servi? Et quomodo scriptum est : « Lau» date servi Dominum[4] ? » Quomodo ipse Apostolus ait : « Sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo » cum bona voluntate[5] ? Verum est et servitus libera, quæ est voluntaria, de qua Apostolus ait : « Qui liber vo» catus est, servus est Christi[6]. » Hæc est servitus ex animo, non ex necessitate. Itaque nos servi quidem sumus creatoris nostri : sed libertatem habemus, quam per gratiam Christi accepimus, generati ex repromissione secundum fidem. Unde quasi ex libera geniti, libertatis sa-

[1] Isaï. LIV, 17. — [2] Gen. XXI, 10. — [3] Galat. IV, 28. — [4] Psal. CXXXIV, 1. — [5] Ephes. VI, 6. — [6] I Cor. VII, 22.

crificium deferamus, signati in fronte, sicut liberos decet; ut non confundamur, sed gloriemur, signati spiritu, non carne. Quibus recte dicitur : « State, et nolite iterum jugo » servitutis contineri[1]. » Non dixit : Nolite servire, sed « Nolite jugo servitutis contineri ; » est enim gravius jugum servitutis, quam servitus.

IV. Denique Isaac filio suo Esaü petenti benedictionem ait : « Ecce ab ubertate terræ erit tibi habitatio, et a rore » cœli summo : et super gladium tuum vives, et servies » fratri tuo. Erit autem cum deposueris et solveris jugum » illius a collo tuo[2]. » Quomodo istud convenit, ut serviat, cum solverit jugum fratris a collo suo, nisi distantiam esse intelligamus servitutis ? Quæ igitur sit differentia, ipsa nobis exponat lectio. Bonus Isaac, et bonus nobis, qui secundum ipsum in libertatem nascimur : et bonus pater utrique filio. Denique quod utrumque diligeret, circa alterum affectu probavit, circa alterum benedictione ; seniori enim filio dixerat, ut cibum deferret sibi, et acciperet benedictionem : sed dum ille moram facit, et cibum agrestem et forensem requirit, frater junior domesticum detulit ex ovium grege.

V. Bonus cibus omnium Christus est, bonus cibus est fides, suavis cibus misericordia, jucundus cibus gratia. Hos cibos epulatur populus Ecclesiæ sanctæ. Bonus cibus spiritus Dei, bonus cibus peccatorum remissio. At vero ille prædurus cibus rigor Legis, terrorque pœnarum : agrestis cibus observantia litteræ potius, quam gratia indulgentiæ. Denique ille populus sub maledicto[3], nos in benedictione. Velox cibus fides : « Prope est enim verbum » in ore tuo, et in corde tuo[4] : » tardior cibus Legis. Denique dum Lex expectatur, populus erravit[5].

[1] Galat. v, 1. — [2] Gen. xxvii, 39, 40. — [3] Galat. iii, 10. — [4] Deut. xxx, 14. — [5] Exod. xxxii, 1, seqq.

VI. Contulit igitur benedictionem pater impigro et fideli filio : sed quia bonus pater erat, servavit et seniori filio benedictionem; ut eum servum faceret fratris sui : non quo familiam suam degeneri vellet servituti addicere, sed quia is qui regere se non potest et gubernare, servire debet, et subditus esse prudentiori ; ut ejus regatur consilio, ne sua stultitia præcipitetur, et labatur temeritate. Pro benedictione igitur hujusmodi confertur servitus. Denique inter bona annumeratur, inter collatam terræ ubertatem, et rorem cœli a summo. Sed quia dixerat : « Super » gladium tuum vives ; » ne ei fortitudinis aut potestatis noceret præsumptio, addidit : « Servies fratri tuo ; » ut et carnis fructus uberes, et divinæ rorem adipiscaris gratiæ, et eum sequaris, qui te suo gubernaculo regat.

VII. Sed tunc erit istud, cum deposueris jugum ejus a collo tuo; ut voluntariæ servitutis mercedem habeas, non injuriam subeas necessitatis. Inhonorata enim hujusmodi servitus, quæ necessitate cogitur : honorata autem, quæ pietate defertur. Unde Apostolus : « Si volens hoc ago, » mercedem habeo : si invitus, dispensatio mihi credita » est[1]. » Melius utique mercedis præmium, quam dispensationis obsequium est. Nos igitur non contineamur servitutis jugo, sed charitate spiritus serviamus; quia dicit Apostolus : « Per charitatem spiritus servite invicem[2]. » Timor Legis est charitas Evangelii. Denique, « Initium » sapientiæ timor Domini[3], plenitudo autem Legis chari- » tas[4]. » Tamen et ipsa Lex dicit : « Et in hoc verbo omne » mandatum instauratur, et in isto uno, inquit, sermone » impletur : Diliges proximum tuum[5]. »

VIII. Hoc est igitur quod proposuimus, quia etsi ex Lege servitus, tamen secundum Legem libertas ; charitas

[1] I Cor. IX, 17. — [2] Galat. V, 13. — [3] Eccle. I, 16. — [4] Rom. XIII, 8. — [5] Galat. V, 14.

enim libertatis, timor servitutis est. Est igitur et charitas Legis, et servitus charitatis : sed Lex charitatis prænuntia est, charitas Evangelii piæ servitutis arbitra est.

IX. Non superflua itaque Lex, quæ tanquam pædagogus prosequitur infirmiores[1]. Infirmitatem dico morum, non corporum; infantes enim sunt, qui fari verbum Dei nesciunt, qui ejus opera non recipiunt. Nam si ætas senectutis vita immaculata, utique ætas adolescentiæ est vita maculosa[2]. Lex ergo pædagogus fuit, id est νόμος, donec fides veniret. « Et quasi infirmi, inquit, custodiebamur » a Lege, conclusi in eam fidem, quæ revelanda foret[3]. » Postquam autem fides advenit, non dicit Evangelium, sed fidem; ea est enim sola fides, quæ est in Evangelio. Nam licet justitia Dei in eo revelatur, quæ est ex fide in fidem[4]; tamen sic illa Legis est fides, si ei accedat fidei plenitudo. Merito ergo fides ista quasi sola dicitur; quia illa sine hac fides non est, in hac confirmatur. Denique ubi hæc fides venit, plenitudo advenit, advenit filiorum adoptio, cessavit infirmitas, abiit infantia, in virum perfectum assurgimus, Christum induimus. Quomodo igitur infirmus et parvulus esse potest, in quo Christus est Dei virtus? Ergo ad perfectionem venimus, perfectionis præcepta accepimus.

X. Audisti hodie lectum : « Non possum ego a me facere quidquam : sicut audio, judico[5]. » Audisti lectum : « Ego non accuso vos, ego non judico. Ego non accuso, » Moyses vos accusat, in quem speratis[6]. » Audisti lectum : « Si ego testimonium perhibuero de me ipso, testimonium » meum non est verum[7]. » Didici qualis judex, qualis testis esse debeam. Non enim quasi infirmus dicit : « Non » possum ego a me facere quidquam : » sed infirmus ille,

[1] Galat. III, 24. — [2] Sap. IV, 9. — [3] Galat. III, 23. — [4] Rom. I, 17. — [5] Joan. V, 30. — [6] Ibid. 45. — [7] Ibid. 31.

qui sic intelligit. Nihil quidem sine Patre facit Filius; quia communis operatio, et unitas potestatis est : sed hoc loco quasi judex loquitur, ut cognoscamus homines in judicando, quod non ex voluntate nostra et potestate, sed ex æquitate debeamus formare sententiam.

XI. Constitue aliquem reum coargutum et convictum criminis, non astruentem defensionis genera, sed deprecantem et advolventem se ad genua judicis; respondet ei judex : Non possum a me facere quidquam; justitia in judicando, non potentia est in judicando. Ego non judico, sed facta tua de te judicant : ipsa te accusant, et ipsa condemnant. Leges te adjudicant, quas judex non converto, sed custodio. Nihil ex me ego profero, sed ex te forma judicii in te procedit. Secundum quod audio, judico, non secundum quod volo; et ideo judicium meum verum est, quia non voluntati indulgeo, sed æquitati.

XII. Consideremus itaque quæ sit judicandi religio. Dominus cœli atque terrarum judex omnium dicit : « Non » possum a me facere quidquam : sicut audio, et judico; » et homo dicit Domino suo : « Nescis quoniam potestatem » habeo dimittere te, et potestatem habeo crucifigere te[1] ? » Quare Dominus non potest? « Quia judicium, inquit, » meum verum est. Non enim quæro voluntatem meam, » sed voluntatem ejus, qui misit me[2], » id est : Non voluntatem hominis, quem videtis : non arbitrium hominis, quem vos hominem tantummodo judicatis : non voluntatem carnis; quia spiritus promptus, caro autem infirma[3] : sed voluntatem divinam, quæ auctor legis, arbitraque judicii est. Similiter et testis verus est, qui non sibi, sed alii fert testimonium; scriptum est enim : « Laudet te » proximus tuus, et non os tuum[4]. »

[1] Joan. XIX, 10. — [2] Id. V, 30. — [3] Matth. XXVI, 21. — [4] Prov. XXVII, 2.

XIII. Pulchre autem dicitur Judæis mystice : Ego vos non judico, id est, ego universorum redemptio, ego peccatorum remissio vos non judico; quia me non recepistis. Non judico, qui libenter indulgeo. Ego non judico, qui sanguine meo redimo peccatores[1]. Ego non judico, qui deleo iniquitates, et memor non ero. Ego non judico, qui malo vitam quam mortem peccatoris[2]. Ego non judico, qui non damno, sed justifico confitentes. Moyses vos accusat, ille vos arguit, in quem speratis : ille accusat vos; quia judicandi non habet potestatem, quæ ejus debetur auctori. Ille ergo in quem speratis accusat : iste in quem sperare noluistis, absolvit.

XIV. Magna Judæorum imprudentia! Merito accusantur in criminibus suis; quia accusatorem elegerunt, et bonum judicem refutaverunt : ideoque deest illis absolutio, pœna non deest.

XV. Recte ergo, fili, a Lege cœpisti (67), in Evangelio confirmatus es, a fide in fidem, sicut scriptum est : « Justus enim ex fide vivit[3]. » Vale, et nos dilige; quia nos te diligimus.

[1] Isaï. XLIII, 25. — [2] Ezech. XVIII, 23. — [3] Rom. I, 17.

EPISTOLA LXXVIII.

Abrahæ instar nos ex fide justificari, qua sumus filii liberæ : circumcisionem tantum per Christum vim habuisse, quam ipse in semet passus antiquavit : justitiam ergo non expectandum nisi ex fide, quæ si perfecta sit, nunquam charitate destituitur.

Ambrosius Horontiano.

I. « Si Abraham credidit Deo, et reputatum est ei ad » justitiam [1], » quod autem reputatur ad justitiam, ex incredulitate ad fidem est : utique ex fide justificamur, non ex operibus Legis. Abrahæ autem ipsi duo filii Ismaël et Isaac, unus de ancilla, alter de libera [2]. Et responsum hujusmodi, ut expelleret ancillam, et filium ancillæ; non enim hæredem fore ancillæ filium : et ideo non ancillæ nos filios esse, sed liberæ, qua libertate nos Christus liberavit. Unde colligitur quod ii magis Abrahæ filii, qui ex fide; præstant enim fidei quam generationis hæredes. Lex pædagogus est [3], fides libera : abjiciamus ergo opera servitutis, teneamus gratiam libertatis : deseramus umbram, solem secuti : ritus Judaïcos deseramus.

II. Circumcisio membri unius nihil prodest. Denique ait Apostolus : « Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si » circumcidamini, Christus vobis nihil proderit [4]. » Non quia non possit, sed quia indignos beneficiis suis judicet, qui vias ejus deserant.

III. Et quidem ante Sephora circumcidit filium suum,

[1] Gen. xv, 6. — [2] Galat. iv, 22, et seqq. — [3] Id. iii, 24. — [4] Id. v, 2.

et periculum depulit, quod imminebat[1] : sed tunc profuit Christus, cum adhuc perfecta differret. Cum parvulus esset populus credentium, velit non parvulus, sed perfectus in omnibus Dominus Jesus. Circumcisus est primo secundum Legem, ne Legem solveret[2] : postea per crucem, ut Legem impleret. Cessavit ergo quod ex parte est, quia venit quod perfectum est; crux enim in Christo non unum membrum, sed totius circumcidit superfluas corporis voluptates.

IV. Fortasse adhuc quæritur qua ratione circumcidi ex parte voluerit, qui venerat perfectam circumcisionem demonstraturus. De quo non puto esse diutius deliberandum. Nam si peccatum factus est, ut nostra peccata mundaret[3] : si maledictum pro nobis factus est, ut Legis maledicta vacuaret[4] ; ea ratione et circumcisus pro nobis est, ut circumcisionem Legis auferret, daturus salutem crucis.

V. Spiritu igitur ex fide spem justitiæ expectandam nobis asserit Apostolus, et in libertatem vocatos[5], libertatem nostram in occasionem carnis non debere conferre. Siquidem « Neque circumcisio aliquid valet, neque præ» putium : sd fides quæ per charitatem operatur[6]. » Et ideo scriptum est : « Diliges Dominum Deum tuum[7]. » Qui autem diligit, utique credit, et credendo unusquisque diligere incipit. Denique Abraham credidit, et sic diligere cœpit : et credidit non ex parte, sed per omnia. Aliter enim plenam non poterat habere charitatem ; quia scriptnm est : « Charitas credit omnia[8]. » Si non credit omnia, non videtur charitas esse perfecta. Ergo perfecta charitas omnem fidem habet.

VI. Non tamen facile dixerim, quod continuo omnis fides perfectam charitatem habeat ; quia Apostolus dixit :

[1] Exod. IV, 25. — [2] 1 Cor. XIII. 10. — [3] 2 Cor. V, 21. — [4] Galat. III, 13. — [5] Id. V, 5. — [6] Ibid. 6. — [7] Deut. VI, 4. — [8] 1 Cor. XIII, 7.

« Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam : » charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest[1]. » Etenim cum tria sint maxime in viro Christiano, spes, fides, charitas : major his est charitas[2].

VII. Sed arbitror propositi gratia hoc dixisse Apostolum ; neque enim videtur mihi qui habeat omnem fidem, ita ut montes transferat, charitatem non habere; quomodo et illud, si habeat aliquis omnia mysteria, et omnem scientiam ; quomodo non habeat charitatem, præsertim cum dicat Joannes : « Quia omnis qui credit quia Jesus » Christus est, de Deo natus est[3] ; » et supra ipse dixerit : « Quoniam qui de Deo natus est, non peccat[4] ? » Unde colligitur, si is qui credit quia Jesus Christus est, de Deo natus est; et qui de Deo natus est, non peccat : utique is qui credit quia Jesus Christus est, non peccat. Si quis autem peccat, non credit : qui autem non credit, nec diligit : qui autem non diligit, peccato obnoxius est. Ergo non diligit, qui peccat ; charitas enim multitudinem operit peccatorum. Quod si charitas peccandi excludit affectum, quandoquidem etiam timorem excludit foras ; plena est utique perfectæ fidei charitas[5].

VIII. Denique Apostoli, qui futuri erant amici, dixerunt : « Adauge nobis fidem[6], » petentes a bono medico, ut infirmantem in se fidem sanaret. Infirmabatur adhuc fides in iis, cum audiret etiam Petrus : « Minimæ fidei » quare dubitasti[7] ? » Ergo fides velut prævia charitatis occupat animam, et præparat semitas venturæ dilectioni. Sic omnis fides est, ubi perfectio charitatis.

IX. Ideo puto dici quia charitas credit omnia[8], hoc est, facit fidem omnia credere, et habere hujusmodi animam omnem fidem. Ac per hoc ubi perfecta charitas, ibi

[1] 1 Cor. XIII, 2. — [2] Ibid. 13. — [3] 1 Joan. IV, 7. — [4] Id. III, 9. — [5] 1 Petr. IV, 8. — [6] Luc. XVII, 15. — [7] Matth. XIV, 32. — [8] 1 Cor. XIII, 7.

omnis fides : sicut ubi perfecta charitas, ibi spes omnis. Denique sicut omnia credit, ita scriptum est quia sperat omnia[1]. Ideo major, quia spem, fidemque complectitur.

X. Hanc charitatem habens, nihil timet; quia charitas timorem excludit foras; et ideo ablegato et exuto timore, omnia suffert, omnia sustinet. Qui ergo per charitatem omnia sustinet, non potest timere martyrium. Et ideo quasi victor alibi in fine ait : « Mihi enim mundus crucifixus est, et ego mundo[2]. » Vale, fili, et nos dilige, quia nos te diligimus.

EPISTOLA LXXIX.

Bellicio, qui cum credidisset in Christum e morbo convaluerat, asserit et morbum et sanitatem ejusdem Christi tribuenda visitationi, atque ut ipsum retineat, et ad alia sacramenta properet, illum hortatur.

Ambrosius Bellicio salutem.

I. Jactatum te gravi ægritudine significasti mihi credidisse in Dominum Jesum[3], et jam cœpisse revalescere. Ad salutem igitur ea infirmitas fuit, plus aculei quam periculi ferens; quia diu promissum remorabaris. Hoc est quod ait : « Percutiam, et sanabo[4]. » Percussit infirmitate, sanavit fide. Vidit enim interiorem affectum tuum non vacuum piæ cupiditatis, sed excuti dilationibus; et ideo admonere maluit, ita ut salutem non læderet, devotionem excitaret.

[1] I Cor. XIII, 7.— [2] Galat. VI, 14.— [3] Vide D. Guillon, tom. IX, p. 380. — [4] Deut. XXXII, 39.

II. Quomodo enim saluti noceret, qui solet dicere, ut legimus in Evangelio : « Ego veniam, et curabo eum [1] ? » Ergo et cum a tuis invitaretur, ut inviseret domum tuam, sine dubio dixit : « Ego veniam, et curabo eum. » Et si non audisti eum, ille tamen quasi Deus insensibiliter locutus est : et si non vidisti eum, ille tamen quod te incorporaliter inviserit, dubitari non potest.

III. Sed vidisti eum, qui credidisti ei; vidisti eum, qui recepisti eum hospitio tuæ mentis : vidisti eum spiritu, vidisti eum oculis interioribus. Tene ergo hospitem novum, diu expectatum, sed sero susceptum : in quo et « Vivimus, et sumus et movemur [2]. » Gustasti igitur fidei prima exordia, non fiat verbum occultum in corde tuo. Hæc omnis gratia est, hoc est omne munus. Nemo enim penetralia domus de ingressu æstimat, siquidem omnis fructus in interioribus est [3] ; neque enim sapientis est a fenestra respicere in domum, et stultitia hominis audire per ostium.

IV. Alia sunt sacramentorum perfectiorum mysteria ; quia « Oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus diligentibus eum [4], » ut dixit Scriptura. Alia sunt illa, quæ de gloria futura annuntiarunt Prophetæ, quibus revelatum est, et evangelizarunt sant sancti, « Spiritu Dei misso de cœlo, in quem concupiscunt et Angeli videre [5], » ut ait apostolus Petrus. Alia sunt illa, in quibus est mundi redemptio, peccatorum remissio, gratiarum divisio, sacramentorum participatio : quæ cum acceperis, tunc mirabere tantum donatum esse homini, ut illud manna, quod miramur fluxisse de cœlo Judæis [6], nec tantæ gratiæ, nec tantæ operationis judices ad salutem fuisse. Illud enim quicumque acceperunt in deserto, mor-

[1] Matth. VIII, 7. — [2] Act. XVII, 28. — [3] Deut. XV, 7. — [4] 1 Cor. II, 9. — [5] · Petr. I, 12. — [6] Exod. XVII, 15, et seqq.

tui sunt, præter Jesum Nave, et Caleb[1]: hoc sacramentum quicumque gustaverit, non morietur in æternum. Sanet te Dominus Jesus. Vale.

EPISTOLA LXXX.

Ubi curationem cæci a nativitate ostendit divinæ fuisse potestatis, discipulorum interrogationem reprehendit; atque nonnullas ejusdem historiæ partes memorat et paucis edisserit.

Ambrosius Bellicio.

I. Audisti, frater, lectionem Evangeliii, in qua de decursum est quod præteriens Dominus Jesus vidit a generatione cæcum[2]. Ergo si Dominus vidit, non eum præterivit: quare nec nos quidem præterire debemus, quem prætereundum Dominus non putavit; præsertim cum a generatione cæcus fuerit, quod non otiose est positum.

II. Est enim cæcitas, quæ plerumque vi ægritudinis aciem obducit oculorum, eademque temporis spatio mitigatur: est cæcitas, quæ humorum infusione generatur; ea quoque vitio plerumque sublato, medicinæ arte depellitur; ut cognoscas quia quod iste sanatur, qui a generatione sua cæcus est, non artis est, sed potestatis. Donavit enim Dominus sanitatem, non medicinam exercuit; eos enim sanavit Dominus Jesus, quos nemo curaret.

III. Quam stolidi autem Judæi, qui interrogant: « Hic » peccavit, an parentes ejus[3]? » debilitates corporum referentes ad merita delictorum. Et ideo Dominus ait: « Ne-

[1] Num. XXXII, 12. — [2] Joan. IX, 1. — [3] Ibid. 2.

» que hic peccavit, usque parentes ejus : sed ut manifesta» rentur opera Dei in illo[1]. » Quod enim naturæ defuit, creatori competit reformare, qui auctor naturæ est. Unde addidit : « Cum in hoc mundo sum, lux sum hujus » mundi[2] ; » hoc est, omnes possunt videre, qui cæci sunt, si me lumen requirant. Accedite et vos, et illuminamini[3], ut videre possitis.

IV. Deinde quid sibi vult quod is, qui vitam refundebat imperio, salutem præcepto dabat, dicens mortuo : « Exi foras[4], » et egressus est Lazarus de sepulcro ; dicens paralytico : « Surge, tolle grabatum tuum[5] ; » et surrexit paralyticus, et cœpit grabatum ipse portare, in quo solutus membris omnibus, portabatur : quid, inquam, sibi vult, quod expuit et fecit lutum, et superunxit oculos cæci, et dixit ei : « Vade et lava in Siloam, quod inter» pretatur Missus ; et abiit, et lavit, et videre cœpit[6] ? » Quæ ista ratio est? Magna, ni fallor; plus enim videt, quem Jesus tangit.

V. Simul et divinitatem et sanctificationem ejus adverte. Quasi lux tetigit, et lumen infudit : quasi sacerdos per figuram baptismatis mysteria gratiæ spiritalis implevit. Expuit, ut adverteres quia interiora Christi lumen sunt. Et vere videt, qui Christi mundatur internis. Lavat saliva ejus, lavat sermo ejus, sicut habes : « Jam vos mundi » estis propter sermonem, quem locutus sum vobis[7]. »

VI. Quod autem lutum fecit, et superunxit oculos cæci[8], quid aliud significat, nisi ut intelligeres quia ipse hominem, luto illito, reddidit sanitati, qui de luto hominem figuravit[9]; et quod hæc caro luti nostri per baptismatis sacramenta æternæ vitæ lumen accipiat? Accede et

[1] Joan. IX, 3. — [2] Ibid. — [3] Psal. XXXIII, 6. — [4] Joan. XI, 44. — [5] Marc. II, 11. — [6] Joan. IX, 7. — [7] Id. XV, 3. — [8] Id. IX, 6. — [9] Gen. II, 7.

tu ad Siloam, hoc est, ad eum qui missus est a Patre, sicut habes : « Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me » misit[1]. » Diluat te Christus, ut videas. Veni ad baptismum, tempus ipsum adest : veni festinus, ut tu dicas : « Abii, et lavi, et videre cœpi[2] ; » ut et tu dicas : « Cæcus » eram, et videre cœpi ; » ut tu dicas, sicut iste refuso lumine ait : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit[3]. »

VII. Nox erat cæcitas. Nox erat, cum Judas accepit buccellam a Jesu, et introïvit in eum Satanas. Judæ nox erat, in quo diabolus erat : Joanni dies erat qui in Christi pectore recumbebat[4]. Petro quoque dies erat, cum lumen Christi videret in monte. Nox erat aliis, sed Petro dies erat[5]. At vero ipsi Petro nox erat, quando Christum negabat. Denique gallus cantavit, et fleri cœpit[6], ut emendaret errorem ; jam enim dies appropinquabat.

VIII. Interrogabant Judæi cæcum : « Quomodo vi» disti[7] ? » Grandis amentia ! interrogabant quod videbant : interrogabant causam, cum factum viderent.

IX. « Et maledixerunt ei, dicentes : Tu sis discipulus » ejus[8]. » Maledictio eorum benedictio est ; quia benedictio eorum maledictio est. « Tu sis, inquiunt, Discipulus » ejus. » Tunc prosunt, quando nocere se credunt. Vale, fili, et nos dilige, ut facis ; quia nos te diligimus.

[1] Joan. VII, 16. — [2] Id. IX, 11. — [3] Rom. XIII, 12. — [4] Joan. XIII, 27. — [5] Matth. XVII, 2 et seqq. — [6] Id. XXVI, 70, et seqq. — [7] Joan. IX, 10. — [8] Id. IX, 28.

EPISTOLA LXXXI.

Quosdam clericos propter laborem ac difficultatem animo despondentes, verbis erigit, eisque non modo futuram mercedem ponit ob oculos, sed etiam paratum Christi præsidium. Eam ob rem explicatis aliquot Scripturæ locis, admonet ne se divelli ab illo patiantur.

Ambrosius Clericis.

I. Plerumque humanis obrepit mentibus, ut aliqua levi præstricti offensione, si non illis cedant pro studio voluntaria, officio desistant : quod in alio genere hominum tolerabile, in iis vero qui rei divinæ intendunt plenum doloris.

II. Sunt enim aliqui in clericorum munere, quibus inimicus obrepere studet, si alias eos non potuerit circumvenire, ut læsis hujusmodi inserat cogitationes. Quid mihi prodest in clero manere, subire injurias, labores perpeti, quasi non possit ager meus me pascere, aut si ager desit, quasi aliter exercere sumptum non queam ? Itaque hujusmodi cogitationibus etiam boni mores ab officio retrahuntur : quasi vero hoc solum sit in clerico, ut sumptum expediat suum, et non ut divinum sibi post mortem potius subsidium locet; quanquam ille post mortem abundet, qui totus hîc potuerit decernere adversum tot inimicorum insidias.

III. Unde Ecclesiastes ait : « Optimi duo super unum, » quibus est merces bona in labore ipsorum ; quoniam si » ceciderit, unus erigit socium suum [1]. » Ubi sunt « Duo

[1] Eccle. IV, 9 et 10.

optimi super unum, » nisi ubi Christus est, et is quem Christus tuetur? Quia si ceciderit, qui cum Domino est Jesu, erigit eum Jesus.

IV. Sed qua ratione dixit : « In labore ipsorum[1]? » Ergo et Christus laborat? Utique laborat, qui ait : « Labo» ravi clamans. » Laborat, sed in nobis : denique ad puteum fatigatus sedebat[2]. » Sed quomodo laboret, docuit nos Apostolus minore exemplo dicens : « Quis infirmatur, » et ego non infirmor[3]? » Docuit et ipse Dominus sua voce : « Æger eram, et non visitastis me : nudus eram, et non » operuistis me[4]. » Laborat, ut me jacentem erigat.

V. Unde et in Elisæo figura Domini præcessit, qui projecit se, ut mortuum erigeret[5] : in quo symbolum est, quod nobis Christus commortuus sit, ut nobis resurgeret. Projecit itaque se usque ad nostram Christus fragilitatem, ut nos erigeret. Projecit se, non cecidit, sed erexit consortem. Ipse enim consortes nos sibi fecit, ut scriptum est, quia « Unctus est oleo justitiæ præ consortibus suis[6]. »

VI. Unde pulchre ait Ecclesiastes : « Quoniam qui ce» ciderit, erigit socium suum[7], non ipse erigatur; Christus enim non alterius auxilio, atque ope erectus est, sed ipse se resuscitavit. Denique « Solvite, inquit, hoc tem» plum, et in triduo illud resuscitabo. Hoc autem dixit de » templo corporis sui[8]. » Nec immerito erectus non est ab alio, qui non cecidit; nam et ille qui a secundo erigitur, cecidit : et qui cecidit, indiget auxilio, ut erigatur. Quod et subjecta docent, dicente Scriptura : « Væ illi uni, cum » ceciderit, et non est secundus qui eum erigat! quia et » si dormierint duo, est calor illis[9]. » Commortui enim » sumus Christo, et ideo convivimus[10]. Christus nobis

[1] Psal. LXVIII, 4. — [2] Joan. IV, 6. — [3] 2 Cor. XI, 29. — [4] Matth. XXV, 43. — [5] 4 Reg. IV, 34. — [6] Psal. XLIV, 8. — [7] Eccle. IV, 10. — [8] Joan. II, 19. — [9] Eccle. IV, 10, 11. — [10] Rom. VI, 8.

commortuus est, ut nos calefaceret, qui ait : « Ignem veni » mittere in terram[1]. »

VII. Mortuus eram, sed quia in baptismate commortuus Christo sum, accepi lumen vitæ a Christo. Et qui in Christo moritur, per Christum calefactus vitæ et resurrectionis vaporem accipit. Frigidus erat puer, calefecit eum Eliseus spiritu suo, dedit ei vitæ calorem. Condormivit ei, ut eum calor quietis ejus, qui in symbolo consepultus ei fuerat, excitaret[2]. Frigidus itaque est, qui non moritur in Christo : calefieri non potest, cui ignis ardens non appropinquat : incalescere non potest alteri, qui secum non habet Christum.

VIII. Et ut cognoscas secundum mysterium dictum, non secundum numerum ; quia « Optimi duo quam unus, » subjecit mysticum : « Et spartum triplex ; non corrumpetur. » Tria enim, quæ non sunt composita, non corrumpuntur : Trinitas itaque incompositæ naturæ corrumpi non potest ; quia Deus unum et simplex et incompositum est quidquid est : quod autem est, permanet, non subjicitur.

X. Bonum est itaque adhærere alteri, et inserere collum in torques ejus, et subjicere humerum, et portare illum, nec tædiare ad vincula ; quia de domo alligatorum exivit, qui regnet, puer ille qui super regem seniorem et stultum est. Ideoque qui eum sequuntur, alligati vinculis sunt. Denique Paulus vinctus Jesu Christi[3]. Unde et ipse Jesus captivam duxit captivitatem[4]. Non satis visum est ei solvere captivitatem, quam diabolus imposuerat ; ne iterum liberos vagantesque invaderet : sed perfecta absolutio æstimata est sub Christo degere, et injicere pedes in compedes sapientiæ, ipsius captivum esse, ut sis liber ab adversario.

XI. Recte puer, quoniam « Puer natus est nobis[5] ; » et

[1] Luc. XII, 49. — [2] 4 Reg. IV, 34. — [3] Ephes. III, 1. — [4] Id. IV, 8. — [5] Isaï. IX, 6.

vere optimus puer, cui dictum est a Patre Deo : « Magnum » tibi est vocari puerum meum[1]. » Sapiens quoque, ut Evangelium docet ; quia « Proficiebat ætate et sapientia[2]. » Convenienter etiam pauper : « Quia cum dives esset, pau» per factus est ; ut nos sua inopia ditaret[3]. » Et ideo non fastidit in regno suo pauperem, sed exaudit eum, et liberat ex omnibus angustiis et molestiis.

XII. Sub hoc ergo vivamus, ut rex ille senior et stultus nullam habeat potestatem supra nos. Qui dum vult regnare quasi voluntatis suæ dominus, nec sub vinculis esse Domini Jesu, inveteratus in peccatis, stultitiæ incidit deformitatem. Quid enim stultius quam, relictis cœlestibus, ad terrena intendisse[4], et posthabitis perpetuis, elegisse ea quæ caduca sunt et fragilia ?

XIII. Nemo ergo dicat: « Non est nobis portio in Jacob, neque hæreditas in Israël[5]. » Nemo dicat : Non sum in clero ; quia scriptum est : « Date Levi cleros ejus[6]. » Et iterum David ait : Quia is qui inter cleros duos medius requiescit[7], ipse ad superna alis evolat spiritalibus. Non dicas de Deo tuo : « Gravis mihi est[8] ; » nec de loco tuo : « Inutilis est mihi ; » quia scriptum est : « Locum tuum » noli relinquere[9]. » Vult enim auferre eum adversarius, vult te abducere ; quia invidet spei tuæ, invidet muneri.

XIV. Sed tu quicumque in clero es Domini, portio ejus et possessio, noli recedere de Domini possessione, ut dicas Domino : « Possedisti renes meos : suscepisti me ex » utero matris meæ[10], » et ille tibi quasi bono servo dicat : « Transi, recumbe[11]. » Valete, filii, et servite Domino ; quia bonus Dominus.

[1] Isaï. XLIX, 5. — [2] Luc. II, 52. — [3] 2 Cor. VIII, 9. — [4] Psal. LXXI. — [5] 3 Reg. XII, 16. — [6] Deut. XXXIII, 8. — [7] Psal. LXVII, 14. — [8] Sap. II, 12. — [9] Eccle. X, 4. — [10] Psal. CXXXVIII, 23. — [11] Luc. XVII, 7.

EPISTOLA LXXXII.

Quomodo in Marcelli, Læti et amborum sororis causa constitutus sit judex, et quare illam cognitionem ita susceperit, ut maluerit arbitrum agere, commemorat, litis exponit statum, ac Marcello damnum non ægre ferendum ostendit. Hinc eum laudat, quod arbitrum se ipse præstiterit longe æquissimum. Cur tamen in ejus arbitrio nonnihil mutaverit, docet: ac demum qua ratione singuli sine Ecclesiæ damno vicerint, declarat.

Ambrosius Marcello.

I. Apud me decursus est tui textus negotii[1], quod non intulisti, sed recepisti; quia erat et pietatis necessitas, et probandæ in pauperes liberalitatis voluntas. Cognovi autem secundum sacræ formam præceptionis, in quam me induit et beatissimi Apostoli auctoritas, et tuæ doctrinæ ac vitæ forma et disciplina. Nam cum ipse arguerem quod adhuc inter vos maneret veternosum jurgium, cognoscendi mihi necessitatem partes imposuerunt.

II. Erubui recusare, fateor, cum præsertim togati utriusque partis invicem se lacesserent, dicentes ut meo sub examine liqueret, cui parti majora juris vel justitiæ suffragia forent. Quid plura? Cum jam conclusi essent dies, et paucarum horarum superesset spatium, quibus tamen alia audiret præfectus negotia; petierunt causæ patroni prorogari paucorum dierum tempora, ut ego residerem cognitor. Tantus ardor erat christianis viris, ne

[1] Vide D. Guillon, tom. IX, p. 380.

præfectus de episcopi judicaret negotio. Aiebant præterea nescio quæ gesta indecore, et pro suo quisque studio jactabat, quæ episcopo potius judice, quam præfecto examinari oporteret.

III. His confusus, simul admonitus Apostolicæ præceptionis, quæ arguit, dicens : « Nonne de iis qui intus sunt, » vos judicatis[1] ? » Et iterum : « Sæcularia igitur judicia si » habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos » constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram » dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit » judicare inter fratrem suum : sed frater cum fratre ju» dicio contendit, et hoc apud infideles[2] ; » recepi cognitionem, ita tamen ut compositionis essem arbiter. Videbam enim quod si pro tuis judicarem partibus, posset ille non acquiescere : si pro illo ferretur sententia, obediret tua et sanctæ sororis defensio. Erat ergo iniqua decernendi conditio. Posset etiam illis videri suspecta necessitudinis sacerdotalis gratia. Quando enim victus quemvis alium quam se æquiorem putat ? Et quod verum est, erant vetusti jurgii intolerabilia utrique parti dispendia ; si finis ejus aut fructu careret, aut liberalitatis solatio.

IV. Cum igitur anceps judicium, jus controversum, multiplices ab utraque parte actiones cernerem, invidiæ plenas supplicationes, rescriptorum quoque obreptiones obtexerent : adverterem etiam gravi conditione illum, si vicisset, acturum de duplis fructibus, et de sumptibus annosæ litis : tuo autem officio non convenire, ut expensas jurgii posceres : nec competere, ut quidquam de fructibus possessor ageres, quos percepisses ; malui jurgium compositione cædere, quam pronuntiatione acerbare. Alia enim habebant excitari jurgia : tum, quod est gravissimum, etsi jurgia sublata forent, erant tamen odia mansura, quæ apud bonos mores dispendii sunt.

[1] I Cor. v, 12. — [2] Id. vi, 4-6.

V. Inter hos æstus positus, cum me persona sacerdotis, fœminæ sexus, viduæ gravitas, amici quoque contemplatio, trino quodam non perfunctorio conveniret nomine, illud sequendum putavi; ut neminem vinci vellem, et omnes vincere. Nec fefellit sententia; vicistis enim omnes germanitati, vicistis naturæ, vicistis Scripturæ dicenti : « Quare non magis injuriam accipitis ? quare non magis » fraudem patimini[1] ?

VI. Sed putas te gravatum jactura juris, damno pecuniæ. Meliora utique sacerdotibus damna, quam lucra sæculi sunt : « Beatius est enim dare, quam accipere[2]. » Sed forte dicas : Fraudem non debui pati, injuriam non debui perpeti, damnum subire. Quid ergo? Inferre velles ? Sed etsi tu non inferres, ille se passum diceret. Itaque vide quid dicat Apostolus : « Quare non magis fraudem pati» mini[3] ? » ut prope videatur, qui non patitur, fecisse; tolerare enim debet, qui fortior est.

VII. Verum quid ego ita tecum ago, quasi hoc meum, et non tuum sit? Tu enim obtulisti, quasi arbiter litis, ut soror in diem vitæ suæ possideret partem prædii, post obitum ejus fratri cederet omnis possessio. Neque quisquam eum vel tuo, vel Ecclesiæ conveniret nomine : sed sibi haberet, si ita mallet, ut nihil dispensaret Ecclesiæ. Hoc cum ego prædicarem, et præferrem tantam animo tuo infusam liberalitatis gratiam; respondit germanus tuus placere sibi oblationem, si metus deteriorandæ possessionis decederet. Quemadmodum enim fœmina, et quod est amplius, vidua possessionem regeret tributariam (68)? Quid sibi profuturum, quod sibi jura possessionis cederes, si majora ex incultu agri subeunda sibi damna arbitraretur ?

VIII. Movebat hoc utriusque partis togatos. Itaque om-

[1] I Cor. VI, 7. — [2] Act. XX, 35. — [3] I Cor. VI, 7.

nium conspirante assensu, placuit ut Lætus V. C. agrum susciperet, et certum numerum frumenti, vini, olei, sorori quotannis pensitaret. Ergo sanctæ germanæ tuæ non jus, sed sollicitudo decessit : non fructus, sed culturæ labor : non reditus, sed incerti eventus quædam, ut dicitur vulgo, alea. Si tempestates ventorum graves proventum impedierint, sorori tamen tuæ sua ubertas manebit. Si nimia siccitate aruerint locorum gignentia, sorori tamen tuæ sata non minuetur fœcunditas. Sibi ascribet Lætus conditionem oblationis suæ : si necessitates temporum et extraordinariæ incubuerint exactiones, germana tua beneficio tuo, ut dispendio Læti, immunis erit : Lætus autem se proprietate locorum solabitur.

IX. Vicistis ergo omnes : Lætus, quia jus loci adeptus est, quod non tenebat : soror, quia annuis potietur fructibus jam sine lite, sine jurgio; nemo tamen plenius, nemo gloriosius quam tu vicisti, qui dum erga sororem confirmari vis liberalitatem tuam, in utrumque eam fraternæ consortem necessitudinis contulisti. Nam et fratri concessisti proprietatem, et sorori usus fructum : Nihil autem adimitur Ecclesiæ, quod pietati acquiritur; charitas enim non damnum, sed lucrum Christi est[1]; denique charitas fructus Spiritus sancti est. Apostolico igitur charactere cognitio decursa est. Dolebamus ante quod litem haberes : profuit jurgium, ut formam indueres apostolicæ vitæ et præceptionis. Illud sacerdotio non congruebat, hæc transactio et apostolicam decet normam.

X. Nec vereare ne immunis sit atque exors Ecclesia liberalitatis tuæ. Habet et illa fructus tuos et quidem uberiores, habet fructus doctrinæ tuæ, habet tuæ vitæ stipendium, habet fœcunditatem, quam tuis institutis rigasti. His dives reditibus, non quærit temporalia; quia æterna pos-

[1] Galat. v, 22.

sidet. Addidisti autem ei non solum apostolicos, sed etiam evangelicos fructus; Dominus enim dixit: « Facite vobis » amicos de iniquo mammona[1]. » Fecisti et tu amicos, et quod mirabile est, ex dissidentibus. Fecisti in jus germanitatis redire fratres, fecisti eos hac charitate, hac gratia securos esse, quod suscipiantur in æterna tabernacula.

XI. Christo igitur auctore et duobus arbitris sacerdotibus, te qui formam prior dedisti, me qui sententiam prompsi, facta pax non claudicabit; quando tanta fidei convenerunt suffragia, ut perfidia non possit esse sine pœna.

XII. Arabit Lætus sorori, cui antea alienos invidebat labores: messem Lætus sorori colliget, in qua ante ferre non poterat alienas donationes: deferet fructus ad sororis horrea; et hoc lætus faciet (69), recepta etiam jam nominis sui proprietate.

XIII. Tu interea conformatus in apostolum Christi, assumens propheticam auctoritatem dices ad Dominum: « Possedisti renes meos[2]. » Hæc melius possessio Christum decet; ut virtutes sacerdotis possideat sui, hos fructus capiat, qui sunt integritatis et continentiæ, et quod est amplius, charitatis et tranquillitatis. Vale, et nos dilige; quia nos te diligimus.

[1] Luc. XVI, 9.— [2] Psal. CXXXVIII, 13.

EPISTOLA LXXXIII.

Sisinnium propter veniam filio, qui se inconsulto uxorem duxerat, datam commendat; et commodis quibusdam quæ ille ex eo relaturus erat, memoratis, eumdem hac ignoscendi facilitate sanctorum vestigiis institisse ostendit.

Ambrosius Sisinnio.

I. Quod filio nostro remisisti meo rogatu, quia te inconsulto, uxorem acceperat, pietati magis tribuo, quam nostro amori; plus est enim pietatem ipsam de te impetravisse, quam cujusque petitionem. Certe sacerdos tunc magis impetrat, cum virtus prævalet; sacerdotis enim petitio doctrina pietatis est. Impetravit igitur natura, impetravit filius eo plenius, quia postulati contemplatio temporalis solet esse : virtutis autem diuturnus habitus, et jugis animorum inductio.

II. Pulchre itaque gestum, ut te patrem recognosceres: simul quia justa indignatio fuit; malo enim culpam fateri, ut plus laudetur paterna indulgentia : sed et ipsa paterna offensio fuit, quoniam venturam in locum filiæ tuo debuisti eligere judicio, cui fieres pater (70). Namque aut natura filios suscipimus, aut electione; in natura casus est, in electione judicium : magisque in adoptatis offendimus, quam in genitalibus filiis; quia genitales filios esse degeneres, ad naturam refertur : ascitos vel adoptione vel copula dedecores esse nostro errori ascribitur. Fuit ergo quod succenseres filio, sed fuit etiam quod remitteres;

quia sibi uxorem elegit. Acquisisti filiam sine electionis periculo. Si bonam duxit, tibi acquisivit gratiam : si erravit, recipiendo meliores facies, refutando deteriores.

III. Maturiore quidem consilio puella filio a patre traditur : sed majore obsequii proposito a filio ad patrem ducitur, et a viro lecta ingreditur soceri domum ; dum metuit et filius displicere judicium suum, et nurus ministerium. Illam paternæ electionis prærogativa attollit atque erigit ; istam offensionis humiliat metus, inclinat verecundia. Non habebit filius, quod in uxorem referat, quasi exors culpæ, si quid fortasse offensum sit, quod habet usus ; imo amplius elaborabit, ut in utroque suum possit probari, et in uxore judicium, et in se obsequium.

IV. Fecisti igitur quod boni parentes, ut cito ignosceres, sed obsecratus ; nam antequam rogareris, non erat ignoscere, sed factum probare. Deinde diutius differre veniam, et tibi acerbum, et illis inutile ; neque enim paterna viscera diutius tolerare possent.

V. Summæ devotionis proposito Abraham filium suum secundum oraculum Dei offerebat in holocaustum [1] ; et quasi exsors naturæ exerebat gladium, ne mora sacrificium decoloraret ; tamen ubi abstinere a filio jussus est, gladium libenter recondit : et qui immolare unigenitum fidei intentione properabat, majore pietatis studio festinavit ovem subrogare sacrificio.

VI. Joseph quoque, ut fratrem juniorem teneret, simulabat iracundiam fratribus [2], et compositam furti fraudem ; indignatus tamen, cum advolveretur ad genua ejus unus ex fratribus Judas, flerent alii, fraterno victus et compassus affectu, diutius tenere non potuit simulationem severitatis : remotisque arbitris, aperuit fratribus quod germani sui essent, et ipse esset Joseph, quem vendidissent : nec

[1] Gen. XXII, 6, et seqq. — [2] Id. XLIV, 15, et seqq.

se memorem suæ esse injuriæ, et fraternæ venditionis acerbitatem fraterne excusare, atque id quod posset arguere, ad altiores causas referre; eo quod ita oportuisset fieri, procurante Deo; ut transiret in Ægyptum, qui gentem suam frugis externæ egentem pasceret, ut sterilitatis tempore alendis patri et filiis subsidio foret.

VII. Quid autem de sancto David loquar, qui degenerem filium, et fraterno oblitum sanguine, ad unius mulieris petitionem paternis visceribus mentem emollitus domo recepit[1]?

VIII. Ipse ille evangelicus pater adolescentiorem filium[2], qui prodegerat omnem substantiam a patre acceptam vivendo luxuriose, regredientem tamen unius sermonis inflexus humilitate, quod in patrem peccasse se fatebatur, occursu pio fovit, supra collum ejus cecidit, primam illi stolam, annulum et calceamenta deferri jussit; atque honoratum osculo, donatum munere, admirabili suscepit convivio.

IX. Horum te imitatorem præbuisti pietate patria, qua proxime ad Deum accedimus; et ideo ego prompte filiam nostram adhortatus sum, ut etiam hyemali tempore viæ laborem exciperet, commodius hybernatura non solum in hospitio, sed etiam in affectu paterno, cum jam successerit indignationi gratia: quandoquidem ut plene te ad similitudinem atque imitationem sanctorum referres, eos accusavisti, qui compositis mendaciis animum tuum adversum filios excitandum arbitrati sunt. Vale, et nos dilige, quia nos te diligimus.

[1] I Reg. XIV, 22. — [2] Luc. XV, 22.

EPISTOLA LXXXIV.

Cynegium de consultatione sua commendat.

Ambrosius Cynegio.

I. Quam ingenuo commendasti pudore, quia de eo consuleres, quod non probares, sed morem gereres parenti; ut pietatem non læderes, securus quod non aliud a me posset referri, nisi quod sanctas deceret necessitudines.

II. Ego vero libenter tua in me onera suscepi, et avo neptem, ut opinor, refudi. Quam nescio plane qua opinione nurum sibi fieri desiderabat, ut avum socero mutaret. Plura non opus est, ne hoc quoque accedat ad verecundiam. Vale, fili, et nos dilige; quia nos quoque te diligimus.

EPISTOLA LXXXV.

Syricio gratiis actis, quod litteras ad se miserit per Syrum presbyterum, celerem hujus reditum laudat, et de sequendo Christo quædam subjungit.

Ambrosius Syricio.

I. Gratum est mihi cum litteras accipio tuas. At cum de conservitio nostro aliquos dirigis, ut fratrem nostrum et compresbyterum Syrum tuis es prosecutus litteris, geminatur lætitia. Sed utinam fructus fuisset iste diuturnior!

Nam statim ut venit, recurrendum putavit : quod quidem desiderium meum plurimum minuit, ad sui gratiam multum addidit.

II. Nam ego diligo eos vel presbyteros vel diaconos, qui cum aliquo processerint, nequaquam se patiuntur a suo diutius abesse munere. Dicit enim Propheta : « Non » laboravi sequens post te[1]. » Quis autem potest laborare sequens Jesum; cum ipse dicat : « Venite ad me omnes » qui laboratis, et onerati estis, et ego vos reficiam[2]? » Sequamur ergo Jesum semper, nec desinamus. Quod si semper sequamur, nunquam deficimus ; dat enim vires sequentibus se. Itaque quo propior virtuti fueris, eo fortior eris.

III. Plerumque cum sequimur, dicitur nobis ab adversariis : « Ubi est Verbum Domini? Veniat[3]. » Sed nos non fatigemur sequendo, non avertamur subdolæ interrogationis impedimento. Dicebatur hoc Prophetæ, cum mitteretur in carcerem, cum demergeretur in voraginem luti[4] : « Ubi est Verbum Domini ? Veniat. » Sed ille multo magis secutus est, et ideo ad bravium pervenit, ideo accepit corônam ; quia non laboravit, qui sequebatur Jesum : « Non est enim labor Jacob, nec dolor videbitur in Israël[5]. » Vale, et nos dilige; quia et nos amantem nostri, et parentem, diligimus.

[1] Jerem. xvii, 16.— [2] Matth. xi, 28.— [3] Jerem. xvii, 15.— [4] Id. xxxvii, 15. — [5] Num. xxiii, 21.

EPISTOLA LXXXVI.

De litteris a Prisco utrinque perlatis.

Ambrosius Syricio.

Prisco amico et æquævo meo dedisti advenienti litteras, ego quoque revertenti reddidi, quas et pro officio, et pro amore debui. Utrumque igitur nostrum suo officio remuneratus est, qui et mihi tuas, et meas tibi restituit; ideo ejus officii pretium incremento debet adipisci gratiæ. Vale, et nos, frater, dilige; quia nos te diligimus.

EPISTOLA LXXXVII.

Laudat Polybium, cujus rogatu se binas ad Segatium et Delphinum epistolas scripsisse significat.

Ambrosius Segatio et Delphino episcopis.

I. Polibius filius noster cum de Africanis regressus partibus, in quibus proconsularem jurisdictionem egregie repræsentavit, aliquantulos nobiscum exegisset dies, summa gratia se meis visceribus infudit.

II. Deinde cum abire hinc et demeare vellet, poposcit ut utrique vestrum scriberem. Promisi futurum. Itaque dictavi epistolam, et utriusque conscriptam nomine dedi. Postulavit alteram. Dixi ad utrumque vestrum datam more, usuque nostro; eo quod sancta mens vestra non epistola-

rum numero, sed conjunctione nominum delectaretur : nec perpeti posset, ut fieret vocabulorum separatio, quorum affectus conveniret; idque præscriptum nostro muneri, ut uteremur charitatis compendio.

III. Quid plura? Exegit alteram, dedi; ut neque illi negarem, quod posceret : nec mihi immutarem, quod in usum venerat. Ita et ille habet quod utrique reddat; quia id solum prætendit, ne cum alteri reddidisset, alteri vacuus foret. Et ego vobis indivisæ gratiæ munus sine ullo dependam offensionis periculo, et divisionis scrupulo; cum præsertim etiam hæc forma scriptionis Apostolicæ sit, ut et unus ad plures, ut Paulus ad Galatas : et duo ad unum possint scribere, sicut scriptum est : « Paulus vinctus Jesu Christi, et Ti- » motheus frater, Philemoni[1]. » Salutem vobis dico : diligite nos, et orate pro nobis; quia ego vos diligo.

EPISTOLA LXXXVIII.

Priscum litterarum utriusque bajulum laudat.

Ambrosius Attico.

Prisco meo dedisti litteras. Priscus meus mihi reddidit, et ego Prisco. Tu priscum, ut soles, dilige; et plus etiam quam soles : quod eo suadeo, quia et ipse Priscum meum facio plurimi. Est enim erga eum priscus hic noster amor, qui a pueritia jam inde nobiscum ætate accrevit simul : sed eum multo post vidi tempore; ut vere mihi non solum nomine, sed etiam tanti intervallo temporis priscus advenerit. Vale, et nos amantes tui dilige; quia nos te diligimus.

[1] Philem. 1.

EPISTOLA LXXXIX.

De Alypii ad se, deque suis ad eum litteris agit.

Ambrosius Alypio.

Antiochus vir consularis reddidit mihi eximietatis tuæ litteras, nec supersedi respondendi munere, nam per meos homines dedi litteras, et ni fallor, alia oborta copia, geminavi epistolam. Sed quia non tam remetienda amicitiæ munia, quam cumulanda arbitror: oportuit ipso præsertim regrediente, qui me tanto litterarum tuarum affecit nomine, referri aliquod officium sermonis mei; ut ego utrique vestrum, et ille tibi absolveretur, qui debebat referre quod acceperat. Vale, et diligentes te dilige.

EPISTOLA XC.

Antonii amorem in se suumque vicissim in illum commemorat.

Ambrosius Antonio.

I. Nunquam es tacitus mihi, nec unquam tuo me transmissum silentio querar, qui sciam quod tuo non desim pectori. Nam cum id pendas, quod pluris est; quî potes etiam id negare, quod sæpe etiam in multos defluit, non tam amoris usu, quam officii vicissitudine?

II. Ego vero etiam ex meo animo tuam vicem æstimo,

ut nunqnam me tibi, et te mihi absentem putem; quoniam semper animis adhæremus: nunquam tuas litteras mihi deesse opiner, aut meas tibi; cum te quotidie coram alloquar, in te oculos, studia, atque omnia officia mea dirigam.

III. His tecum delectat congredi; nam litteræ tuæ, ut aperte cum individuo pectoris mei loquar, verecundari me faciunt. Unde peto ut supersedeas gratiarum relatu; mihi enim mei in vos officii summa merces est, si me debito erga vos muneri non defuisse arbitrarer. Vale, et nos dilige, quia ego quoque te diligo.

EPISTOLA XCI.

Candidianum laudat, ac se deprimit.

Ambrosius Candidiano fratri.

Summus quidem splendor in sermone est tuo, sed magis in affectu elucet mihi; nam in epistolis mentis tuæ aspicio fulgorem, dilectissime frater ac beatissime. Dominus te benedicat, et det tibi suam gratiam; nam et ipse in epistolis tuis vota magis, quam mea merita recognosco. Quæ enim merita mea tantis tuis æquentur sermonibus? Dilige nos, frater, quia nos te diligimus.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

S. AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

OPERA.

PARS VI.

HYMNI.

HYMNUS I.

Æterne rerum conditor [1],
Noctem diemque qui regis,
Et temporum das tempora,
Ut alleves fastidium.
Preco diei jam sonat,
Noctis profundæ pervigil,
Nocturna lux viantibus,
A nocte noctem segregans.
Hoc excitatus Lucifer,
Solvit polum caligine,
Hoc omnis errorum chorus,
Viam nocendi deserit.
Hoc nauta vires colligit,
Pontique mitescunt freta,
Hoc ipsa petra Ecclesiæ
Canente, culpam diluit.
Surgamus ergo strenue,
Gallus jacentes excitat,
Et somnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.

[1] Vide D. Guillon, tom. IX, p. 445-447.

Gallo canente, spes redit,
Ægris salus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides revertitur.
Jesu, labantes respice,
Et nos videndo corrige;
Si respicis, lapsus cadunt,
Fletuque culpa solvitur.
Tu lux refulge sensibus,
Mentisque somnum discute:
Te nostra vox primum sonet,
Et vota solvamus tibi.

HYMNUS II.

Deus creator omnium,
Polique rector, vestiens
Diem decoro lumine,
Noctem soporis gratia.
Artus solutos ut quies
Reddat laboris usui,
Mentesque fessas allevet,
Luctusque solvat anxios.
Grates peracto jam die,
Et noctis exortu preces,
Votis, reos ut adjuves,
Hymnum canentes solvimus.
Te cordis ima concinant,
Te vox canora concrepet,
Te diligat castus amor,
Te mens adoret sobria.

Ut cum profunda clauserit
Diem caligo noctium,
Fides tenebras nesciat,
Et nox fide reluceat.
Dormire mentem ne sinas,
Dormire culpa noverit,
Custos fides refrigerans,
Somni vaporem temperet.
Exuta sensu lubrico,
Te cordis alta somnient;
Nec hostis invidi dolo
Pavor quietos suscitet.
Christum rogemus et Patrem,
Christi Patrisque Spiritum,
Unum potens per omnia
Fove precantes Trinitas.

HYMNUS III.

Jam surgit hora tertia,
Qua Christus ascendit crucem,
Nil insolens mens cogitet,
Intendat affectum precis.
Qui corde Christum suscipit,
Innoxium sensum gerit:
Votisque præstat sedulis,
Sanctum mereri Spiritum.
Hæc hora qua fidem dedit
Diri veterno criminis,
Mortisque regnum diluit,
Culpamque ab ævo sustulit.

Hinc jam beata tempora.
Cœpere Christi gratia :
Fide replevit veritas
Totum per orbem Ecclesias.
Celso triumphi vertice,
Matri loquebatur suæ :
En filius, mater, tuus;
Apostole, en mater tua.
Prætenta nuptæ fœdera
Alto docens mysterio;
Ne Virginis partus sacer
Matris pudorem læderet.
Cui fidem cœlestibus
Jesus dedit miraculis :
Nec credidit plebs impia;
Qui credidit, salvus erit.
Nos credimus natum Deum,
Partumque Virginis sacræ,
Peccata qui mundi tulit,
Ad dexteram sedens Patris.

HYMNUS IV.

Veni[1] redemptor gentium
Ostende partum Virginis,

[1] Breviarium Cisterciense huic hymno primam strophen, quæ nusquam alibi repetitur, sic exhibet :

Intende qui Regis Israël,
Super Cherubim qui sedes :
Et pare Ephrem coram, excita
Potentiam tuam et veni.

Sed unde id sumptum sit, quis divinare poterit?

Miretur omne sæculum :
Talis decet partus Deum.
Non ex virili semine,
Sed mystico spiramine,
Verbum Dei factum caro,
Fructusque ventris floruit.
Alvus tumescit Virginis,
Claustrum pudoris permanet,
Vexilla virtutum micant,
Versatur in templo Deus.
Procedens de thalamo suo,
Pudoris aula regia,
Geminæ Gigas substantiæ,
Alacris ut currat viam.
Egressus ejus a Patre,
Regressus ejus ad Patrem;
Excursus usque ad inferos,
Recursus ad sedem Dei.
Æqualis æterno Patri
Carnis trophæo accingere
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Præsepe jam fulget tuum,
Lumenque nox spirat novum,
Quod nulla nox interpolet,
Fideque jugi luceat.

HYMNUS V.

Illuminans altissimus
Micantium astrorum globos,

Pax, vita, lumen, veritas,
Jesu fave precantibus.
Seu mystico baptismate
Fluenta Jordanis retro
Conversa quondam tertio
Præsente sacraris die.
Seu stella partum Virginis
Cœlo micans signaveris;
Et hac adoratum die
Præsepe Magos duxeris.
Vel hydriis plenis aquæ
Vini saporem infuderis:
Hausit minister conscius,
Quod ipse non impleverat.
Aquas colorari videns,
Inebriare flumina;
Mutata elementa stupent
Transire in usus alteros.
Sic quinque millibus viris
Dum quinque panes dividis,
Edentium sub dentibus
In ore crescebat cibus.
Multiplicabatur magis
Dispendio panis suo:
Quis hæc videns mirabitur
Juges meatus fontium?
Inter manus frangentium
Panis rigatur profluus:
Intacta quæ non fregerant,
Fragmenta subrepunt viris.

HYMNUS VI.

Orabo mente Dominum,
Orabo simul spiritu;
Ne nox sola Deo canat,
Sensusque noster alibi
Ductus, aberret fluctuans,
Vanis præventus casibus.

HYMNUS VII.

Splendor paternæ gloriæ,
De luce lucem proferens,
Primordiis lucis novæ
Diem dies illuminans.
Verusque sol illabere,
Micans nitore perpeti,
Jubarque sancti Spiritus
Infunde nostris sensibus.
Votis vocemus et Patrem,
Patrem perennis gloriæ,
Patrem potentis gratiæ,
Culpam releget lubricam.
Informet actus strenuos,
Dentes retundat invidi,
Casus secundet asperos,
Donet gerendi gratiam.
Mentem gubernet et regat,
Casto fideli corpore,

Fides calore ferveat,
Fraudis venena nesciat.
Christusque nobis sit cibus,
Potusque noster sit fides,
Læti bibamus sobriam
Ebrietatem Spiritus.
Lætus dies hic transeat,
Pudor sit ut diluculum,
Fides velut meridies,
Crepusculum mens nesciat.
Aurora cursus provehit,
Aurora totus prodeat
In Patre totus Filius
Et totus in Verbo Pater.

HYMNUS VIII.

ÆTERNA Christi munera,
Et Martyrum victorias,
Laudes ferentes debitas,
Lætis canamus mentibus.
Ecclesiarum principes,
Belli triumphales duces,
Cœlestis aulæ milites,
Et vera mundi lumina.
Terrore victo sæculi,
Spretisque pœnis corporis,
Mortis sacræ compendio,
Vitam beatam possident.
Traduntur igni Martyres,
Et bestiarum dentibus,

Armata sævit ungulis
Tortoris insani manus.
Nudata pendent viscera,
Sanguis sacratus funditur,
Sed permanent immobiles
Vitæ perennis gratia.
Devota sanctorum fides,
Invicta spes credentium;
Perfecta Christi charitas,
Mundi triumphat principem.
In his Paterna gloria,
In his voluntas Filii,
Exultat in his Spiritus,
Cœlum repletur gaudiis.
Te nunc, Redemptor, quæsumus,
Ut ipsorum consortio
Jungas precantes servulos,
In sempiterna sæcula. Amen.

HYMNUS IX.

Somno refectis artubus,
Spreto cubili surgimus,
Nobis, Pater, canentibus
Adesse te deposcimus.
Te lingua primum concinat,
Te mentis ardor ambiat;
Ut actuum sequentium
Tu, sancte, sis exordium.
Cedant tenebræ lumini,
Et nox diurno sideri;

Ut culpa quam nox intulit,
Lucis labascat munere.
Precamur iidem supplices,
Noxas ut omnes amputes;
Ut ore te canentium
Lauderis in perpetuum.
Præsta, Pater piissime,
Patrique Compar unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.

HYMNUS X.

Consors paterni luminis,
Lux ipse lucis, et dies,
Noctem canendo rumpimus,
Assiste postulantibus.
Aufer tenebras mentium,
Fuga catervas dæmonum:
Expelle somnolentiam,
Ne pigritantes obruat.
Sic, Christe, nobis omnibus
Indulgeas credentibus;
Ut prosit exorantibus,
Quod præcinentes psallimus.

HYMNUS XI.

O lux beata Trinitas,
Et principalis unitas,

Jam sol recedit igneus,
Infunde lumen cordibus.
Te mane laudum carmine,
Te deprecamur vespere,
Te nostra supplex gloria,
Per cuncta laudet sæcula.

HYMNUS XII.

Fit porta Christi pervia,
Referta plena gratia,
Transitque Rex, et permanet,
Clausa, ut fuit, per sæcula.
Genus superni luminis,
Processit aula virginis,
Sponsus, redemptor, conditor,
Suæ gigas Ecclesiæ.
Honor matris et gaudium,
Immensa spes credentium,
Per atra mortis pocula,
Resolvit nostra crimina.

S. AMBROSII
MEDIOLANENSIS EPISCOPI
HYMNI TRES

QUI DESIDERANTUR IN NOVISS. EDIT. PARIS. BENEDICT.
DESUMPTI VERO SUNT EX CODICE VATICANO.

HYMNUS I.

In Ascensione Domini.

Optatus votis omnium
Sacratus illuxit dies,
Quo Christus mundi spes Deus.
Conscendit cœlos arduos.
Ascendens in altum Dominus
Propriam ad sedem remeans,
Gavisa sunt cœli regna
Reditu Unigeniti.
Magni triumphum prælii,
Mundi perempto principe,
Patri præsentat vultibus
Victricis carnis gloriam.
Est elevatus nubibus,
Et spem fecit credentibus,
Aperiens paradisum
Quem protoplasti clauserant.

O grande cunctis gaudium!
Quod partus nostræ Virginis,
Post sputa, flagra, post crucem,
Paternæ sedi jungitur.
Agamus ergo gratias
Nostræ salutis vindici,
Nostrum quod corpus vexerit
Sublimem ad cœli regiam.
Sit nobis cum cœlitibus
Commune manens gaudium:
Illis quod se præsentavit
Nobis quod se non abstulit.
Nunc, provocatis actibus,
Christum expectare nos decet,
Vitaque tali vivere
Quæ possit cœlos scandere.
Gloria tibi, Domine,
Qui scandis super sidera
Cum Patre et sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

HYMNUS II.

In Ascensione Domini.

Jesu nostra redemptio,
Amor et desiderium:
Deus creator omnium,
Homo in fine temporum.
Quæ te vicit clementia,
Ut ferres nostra crimina,

Crudelem mortem patiens,
Ut nos a morte tolleres?
  Inferni claustra penetrans,
Tuos captivos redimens:
Victor triumpho nobili
Ad dextram Patris residens.
  Ipsa te cogat pietas,
Ut mala nostra superes
Parcendo, et voti compotes
Nos tuo vultu saties.
  Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus præmium:
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper sæcula. Amen.

HYMNUS III.

In Pentecoste.

  Jam Christus astra ascenderat
Regressus unde venerat,
Promisso Patris munere
Sanctum daturus Spiritum.
  Solemnis surgebat dies,
Quo, mystico septemplici,
Orbis volutus septies
Signat beata tempora.
  Cum hora cunctis tertia
Repente mundus intonat,
Apostolis orantibus
Deum venisse nuntians.

De Patris ergo lumine
Decorus ignis almus est,
Qui fida Christi pectora
Colore Verbi compleat.
Impleta gaudent viscera
Afflata sancto lumine:
Voces diversæ consonant;
Fantur Dei magnalia
Ex omni gente cogitur
Græcus, Latinus, Barbarus:
Cunctisque admirantibus
Linguis loquentur omnium.
Judæa tunc incredula,
Vesano turbas spiritu
Ructare musti crapulam
Alumnos Christi concrepat.
Sed signis et virtutibus
Occurrit et docet Petrus,
Falsa profari perfidos,
Joële teste comprobans.
Hic, Christe, nunc Paraclitus
Per te pius nos visitet:
Novansque terræ faciem,
Culpis solutos recreet.
Sit laus Patri cum Filio
Sancto simul Paraclito:
Nobisque mittat filius
Charisma sancti spiritus. Amen.

FINIS OPERUM SANCTI AMBROSII.

AURELII
PRUDENTII
CLEMENTIS V. C.
OPERA OMNIA.

PRUDENTIUS,

(AN. 415 VEL 420).

LATINUS.

Quintus Aurelius Prudentius Clemens, Augustæ Cæsareæ in Hispania natus est an. 348. Liberalibus disciplinis informatus, gravis et ornatus moribus, ac christianæ religionis fuit observantissimus, licet adolescentiam et juventutem, cum bonis litteris indulgeret, incontinenter egerit. Ac fori causas aliquandiu sectatus in duabus celeberrimis urbibus exercendæ justitiæ munus accepit : imo et postea ab Honorio imperatore ad excellentius officium promotus, non sine laude militavit : postremo quinquaginta septem annos natus, id est, anno 405, æternæ salutis operandæ desiderio flagrans, reliquum vitæ tempus conficiendis in Dei Sanctorumque honorem hymnis impendere proposuit.

Hinc plura scripsit poëmata, quibus fere omnibus græcas inscriptiones præmisit, quæ in ordine sequenti edimus juxta meliorem sententiam et rerum materiem.

1° ΚΑΘΗΜΕΡΙΝΩΝ, vel diurna carmina ad consecrandos uniuscujusque diei actus præcipuos :

2° ΠΕΡΙ ΣΤΕΦΑΝΩΝ, seu librum de Coronis, in quo Martyrum laudes concinit :

3° ΑΠΟΘΕΩΣΕΣ, vel de Divinitate tractatus; de qui-

bus Paganorum, Judæorum, Sabellianorum, Arianorum, Apollinaristarumque errores debellat :

4° ΑΜΑΡΤΙΓΕΝΕΙΑ, vel de origine peccatorum librum contra Marcionem :

5° ΨΥΧΟΜΑΧΙΑ, sive animæ pugnam, ubi hexametris versibus virtutum vitiorumque in christiana mente certamina describit :

6° Duos circa Symmachum libros ad confutanda idololatriæ deliramenta :

7° ΕΓΧΕΙΡΙΔΙΟΝ seu *denique Disticha* de quibusdam veteris Novique Testamenti historiis quas longioris forte operis, *Dyttochæi* nomine, de quo loquitur Gennadius, reliquias non immerito dixerim.

Non conferendus certe cum Augustiniani sæculi elegantissimis auctoribus posterior ille Prudentius, cujus opera barbaris etiam verbis quandoque scaturiunt. Nobiles tamen interdiu, et sinceri Christiani non indignas cogitationes, elegantiori dictione repræsentatas reperies. Unde legenti ejus opuscula facile patebit non optimum quidem, sed tamen non penitus contemnendum poëtam extitisse Prudentium; cujus veteres carmina non fuerunt dedignati.

EDITIONES PRÆCIPUÆ.

Excusa sunt Prudentii opera præsertim an. 1594 cum notis et emendationibus *Pulmani Graffemburgi* et *Victoris Giselini*; 1603, *Hanoviæ*, cum *Weitzii* notis, an. 1617. *Amstelodami*, cum notis *Heinsii*, 1667, et novissime, an. 1821, Cameraci.

AURELII PRUDENTII
CLEMENTIS V. C.

PRÆFATIO.

Per quinquennia jam decem,
Ni fallor, fuimus; septimus insuper
Annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili.
  Instat terminus, et diem
Vicinam senio jam Deus applicat.
Quid nos utile tanti spatio temporis egimus?
  Ætas prima crepantibus
Flevit sub ferulis: mox docuit toga
Infectum vitiis falsa loqui, non sine crimine:
  Tum lasciva protervitas,
Et luxus petulans (heu pudet ac piget!)
Fœdavit juvenem nequitiæ sordibus ac luto.
  Exin jurgia turbidos
Armarunt animos, et male pertinax
Vincendi studium subjacuit casibus asperis.
  Bis legum moderamine
Frenos nobilium reximus urbium:
Jus civile bonis reddidimus, terruimus reos.
  Tandem militiæ gradu
Evectum pietas Principis extulit,
Assumptum propius stare jubens ordine proximo.
  Hæc dum vita volans agit;
Irrepsit subito canities seni,

Oblitum veteris me Saliæ[1] Consulis arguens :
Sub quo prima dies mihi
Quam multas hyemes volverit, et rosas
Pratis post glaciem reddiderit, nix capitis probat.
Numquid talia proderunt
Carnis post obitum vel bona vel mala?
Cum jam, quidquid id est, quod fueram, mors aboleverit.
Dicendum mihi, quisquis est :
Mundum, quem coluit, mens tua perdidit.
Non sunt illa Dei, quæ studuit, cujus habeberis.
Atqui fine sub ultimo
Peccatrix anima stultitiam exuat :
Saltem voce Deum concelebret, si meritis nequit :
Hymnis continuet dies,
Nec nox ulla vacet, quin Dominum canat :
Pugnet contra hæreses : catholicam discutiat fidem :
Conculcet sacra gentium :
Labem Roma tuis inferat idolis :
Carmen Martyribus devoveat : laudet Apostolos.
Hæc dum scribo vel eloquor,
Vinclis o utinam corporis emicem
Liber, quo tulerit lingua sono mobilis ultimo!

[1] Omnes fere codices habent *Messaliæ* vel *Massaliæ* : quare multi interpretes aberrarunt. Factos enim consulares si inspicimus et excutimus, sexies Messalas, diversos tamen, Romæ consules fuisse reperiemus ab Urbe condita, annis nempe 527, 565, 722, 741, 756. Sed ad hos Messalas non respicit, quos nec vidit Prudentius, nec videre potuit. Sequor igitur sententiam eorum qui volunt Prudentium natum esse Philippo et Salia coss. his enim verbis annum sibi natalem innuit.

HYMNUS I

AD GALLI CANTUM.

Ales[1] diei nuntius
Lucem propinquam præcinit :
Nos excitator mentium
Jam Christus ad vitam vocat.
Auferte, clamat, lectulos
Ægros, soporos, desides;
Castique, recti, ac sobrii
Vigilate : jam sum proximus.
Post solis ortum fulgidi
Serum est cubile spernere :
Ni parte noctis addita
Tempus labori adjeceris.
Vox ista, qua strepunt aves
Stantes sub ipso culmine,
Paulo antequam lux emicet,
Nostri figura est judicis.
Tectos tenebris horridis,
Stratisque opertos segnibus,
Suadet quietem linquere
Jam jamque venturo die.
Ut cum coruscis flatibus[2]
Aurora cœlum sparserit,
Omnes labore exercitos
Confirmet ad spem luminis.

[1] Vide D. Guillon, tom. II, p. 462-473. — [2] Licet omnes constanter habeant *coruscis flatibus*, videtur tamen probabilius legendum esse *coruscis fletibus*. Poëtæ enim finxerunt roris matutini guttas, fletus esse Auroræ surgentis et lacrymas, quibus et cœlum et flores tingebat. Insuper epithetum *coruscis* rectius conjungitur *fletibus* quam *flatibus*.

Hic somnus ad tempus datus,
Est forma mortis perpetis :
Peccata, ceu nox horrida,
Cogunt jacere ac stertere.
Sed vox ab alto culmine
Christi docentis præmonet,
Adesse jam lucem prope ;
Ne mens sopori serviat :
Ne somnus usque ad terminos
Vitæ socordis opprimat
Pectus sepultum crimine,
Et lucis oblitum suæ.
Ferunt vagantes Dæmonas
Lætos tenebris noctium,
Gallo canente exterritos
Sparsim timere et cedere.
Invisa nam vicinitas
Lucis, salutis, numinis,
Rupto tenebrarum situ
Noctis fugat satellites.
Hoc esse signum præscii
Norunt repromissæ spei :
Qua nos soporis liberi
Speramus adventum Dei.
Quæ vis sit hujus alitis,
Salvator ostendit Petro,
Ter, antequam gallus canat,
Sese negandum prædicans.
Fit namque peccatum prius,
Quam præco lucis proximæ
Illustret humanum genus,
Finemque peccandi ferat.
Flevit negator denique

Ex ore prolapsum nefas :
Cum mens maneret innocens,
Animusque servaret fidem.
Nec tale quidquam postea
Linguæ locutus lubrico est ;
Cantuque galli cognito
Peccare justus destitit.
Inde est, quod omnes credimus,
Illo quietis tempore,
Quo gallus exultans canit,
Christum redisse ex Inferis.
Tunc mortis oppressus rigor,
Tunc lex subacta est Tartari :
Tunc vis diei fortior
Noctem coëgit cedere.
Jam jam quiescant improba,
Jam culpa furva obdormiebat,
Jam noxa lethalis suum
Perpessa somnum marceat.
Vigil vicissim spiritus,
Quodcumque restat temporis,
Dum meta noctis clauditur,
Stans ac laborans excubet.
Jesum ciamus vocibus,
Flentes, precantes, sobrii :
Intenta supplicatio
Dormire cor mundum vetat.
Sat convolutis artubus
Sensum profunda oblivio
Pressit, gravavit, obruit,
Vanis vagantem somniis.
Sunt nempe falsa et frivola,
Quæ mundiali gloria,

Ceu dormientes, egimus
Vigilemus: hic est veritas.
Aurum, voluptas, gaudium,
Opes, honores, prospera,
Quæcumque nos inflant mala,
Fit mane, nil sunt omnia.
Tu, Christe, somnum disjice:
Tu rumpe noctis vincula:
Tu solve peccatum vetus,
Novumque lumen ingere.

HYMNUS II

MATUTINUS.

Nox, et tenebræ, et nubila
Confusa mundi et turbida,
Lux intrat, albescit polus,
Christus venit, discedite.
Caligo terræ scinditur
Percussa solis spiculo:
Rebusque jam color redit
Vultu nitentis sideris.
Sic nostra mox obscuritas,
Fraudisque pectus conscium,
Ruptis retectum nubibus,
Regnante pallescet Deo.
Tunc non licebit claudere,
Quod quisque fuscum cogitat:
Sed mane clarescent novo
Secreta mentis prodita.
Fur ante lucem squalido
Impune peccat tempore:

Sed lux dolis contraria
Latere furtum non sinit.
Versuta fraus et callida
Amat tenebris obtegi,
Aptamque noctem turpibus
Adulter occultus fovet.
Sol, ecce, surgit igneus.
Piget, pudescit, pœnitet;
Nec teste quisquam lumine
Peccare contanter potest.
Quis mane sumptis nequiter
Non erubescit poculis;
Cum fit libido temperans,
Castumque nugator sapit?
Nunc, nunc severum vivitur,
Nunc nemo tentat ludicrum;
Inepta nunc omnes sua
Vultu colorant serio
Hæc hora cunctis utilis,
Qua quisque, quod studet, gerat;
Miles, togatus, navita,
Opifex, arator, institor.
Illum forensis gloria,
Hunc triste raptat classicum:
Mercator hinc ac rusticus
Avara suspirant lucra.
At nos lucelli ac fœnoris
Fandique prorsus nescii,
Nec arte fortes bellica,
Te, Christe, solum novimus.
Te mente pura et simplici,
Te voce, te cantu pio,
Rogare curvato genu

Flendo et canendo discimus.
His non lucramur quæstibus :
Hac arte tantum vivimus :
Hæc inchoamus munera,
Cum sol resurgens emicat.
Intende nostris sensibus,
Vitamque totam dispice :
Sunt multa fucis illita,
Quæ luce purgentur tua.
Durare nos tales jube,
Quales remotis sordibus
Nitere pridem jusseras,
Jordane tinctos flumine.
Quodcumque nox mundi dehinc.
Infecit atris nubibus,
Tu, rex eoi sideris,
Vultu sereno illumina.
Tu, sancte, qui tetram picem
Candore tinguis lacteo,
Ebenoque crystallum facis,
Delicta terge livida.
Sub nocte Jacob cærula,
Luctator audax Angeli,
Eo usque, dum lux surgeret,
Sudavit impar prælium.
Sed cum jubar claresceret,
Lapsante claudus poplite,
Femurque victus debile,
Culpæ vigorem perdidit.
Nutabat inguen saucium,
Quæ corporis pars vilior :
Longeque sub cordis loco
Diram fovet libidinem.

Hæ nos docent imagines,
Hominem tenebris obsitum,
Si forte non cedat Deo,
Vires rebelles perdere.
Erit tamen beatior,
Intemperans membrum cui
Luctando claudum et tabidum
Dies oborta invenerit.
Tandem facessat cæcitas;
Quæ nosmet in præceps diu
Lapsos sinistris gressibus
Errore traxit devio.
Hæc lux serenum conferat,
Purosque nos præstet sibi.
Nihil loquamur subdolum :
Volvamus obscurum nihil.
Sic tota decurrat dies.
Ne lingua mendax, ne manus,
Oculive peccent lubrici :
Ne noxa corpus inquinet.
Speculator astat desuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actusque nostros prospicit,
A luce prima in vesperum.
Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur quidquid est,
Humana quod mens concipit :
Hunc nemo fallit judicem.

HYMNUS III

ANTE CIBUM.

O crucifer bone, lucisator,

Omniparens, pie, Verbigena [1],
Edite corpore virgineo;
Sed prius in genitore potens,
Astra, solum, mare quam fierent.
Huc nitido, precor, intuitu
Flecte salutiferam faciem,
Fronte serenus; et irradia,
Nominis ut sub honore tui
Has epulas liceat capere.
Te sine dulce nihil, Domine:
Nec juvat ore quid appetere,
Pocula ni prius atque cibos,
Christe, tuus favor imbuerit,
Omnia sanctificante fide.
Fercula nostra Deum sapiant,
Christus et influat in pateras:
Seria, ludicra, verba, jocos,
Denique quod sumus aut agimus,
Trina superna [2] regat pietas.
Hic mihi nulla rosæ spolia,
Nullus aromate fragrat odor:
Sed liquor influit Ambrosius,
Nectareamque fidem redolet,
Fusus ab usque Patris gremio.
Sperne, Camena, leves hederas,

[1] Constat de Christo illud nomen dici non posse, juxta latini sermonis usum ac regulas. Modo enim proprie exponatur, *Verbigena* nihil aliud erit, quam *Verbo genitus*; quod a sensu Poëtæ alienum est, atque a fide. Siquidem Christus non est a Verbo partus, sed Verbum ipsum est a Patre editum. Eodem vocabulo usi sunt S. Augustinus Confess. lib. XI, cap. 7, et Cyprianus in Exposit. Symboli.

[2] *Superne* multi legunt, nec male; *Superne* enim et *inferne* syllabam postremam corripiunt. Lucretius lib. VI, vers. 596 habet:

Tecta superne timent, metuunt inferne cavernas.

Cingere tempora quîs solita es,
Sertaque mystica dactylico
Texere docta liga strophio,
Laude Dei redimita comas.
   Quod generosa potest anima,
Lucis et ætheris indigena,
Solvere dignius obsequium;
Quam data munera si recinat,
Artificem modulata suum?
   Ipse homini quia cuncta dedit,
Quæ capimus dominante manu,
Quæ polus, aut humus, aut pelagus,
Aëre, gurgite, rure creant;
Hæc mihi subsidit, et sibi me.
   Callidus illaqueat volucres
Aut pedicis dolus aut maculis,
Illita glutine corticeo
Vimina plumigeram seriem
Impediunt, et abire vetant.
   Ecce, per æquora fluctivagos
Texta greges sinuosa trahunt:
Piscis item sequitur calamum,
Raptus acumine vulnifico,
Credula saucius ora cibo.
   Fundit opes ager ingenuas,
Dives aristiferæ segetis;
Hic, ubi vitea pampineo
Brachia palmite luxuriant,
Pacis alumna ubi bacca viret.
   Hæc opulentia Christicolis
Servit, et omnia suppeditat.
Absit enim procul illa fames,
Cædibus ut pecudum libeat

Sanguineas lacerare dapes.
Sint fera gentibus indomitis
Prandia de nece quadrupedum :
Nos oleris coma, nos siliqua
Fœta legumine multimodo
Paverit innocuis epulis.
Spumea mulctra gerunt niveos
Ubere de gemino latices,
Perque coagula densa liquor
In solidum coit, et fragili
Lac tenerum premitur calatho.
Mella recens mihi Cecropia
Nectare sudat olente favus :
Hæc opifex apis aërio
Rore liquat, tenuique thymo,
Nexilis inscia connubii.
Hinc quoque pomiferi nemoris
Munera mitia proveniunt :
Arbor onus tremefacta suum
Deciduo gravis imbre pluit,
Puniceosque jacit cumulos.
Quæ veterum tuba, quæve lyra
Flatibus inclyta vel fidibus,
Divitis Omnipotentis opus,
Quæque fruenda patent homini,
Laudibus æquiparare queat ?
Te, pater optime, mane novo,
Solis et orbita cum media est;
Te quoque, luce sub occidua,
Sumere cum monet hora cibum,
Nostra, Deus, canet harmonia.
Quod calet halitus interior,
Corde quod abdita vena tremit,

Pulsat et incita quod resonam
Lingua sub ore latens caveam,
Laus superi Patris esto mihi.
Nos igitur tua, sancte, manus
Cæspite composuit madido,
Effigiem meditata suam:
Utque foret rata materies,
Flavit et indidit ore animam.
Tunc per amœna virecta jubet
Frondicomis habitare locis:
Ver ubi perpetuum redolet,
Prataque multicolora latex
Quadrifluo celer amne rigat.
Hæc tibi nunc famulentur, ait:
Usibus omnia dedo tuis.
Sed tamen aspera mortifero
Stipite carpere poma veto,
Qui medio viret in nemore.
Hic draco perfidus indocile
Virginis illicit ingenium,
Ut socium malesuada virum
Mandere cogeret ex vetitis,
Ipsa pari peritura modo.
Corpora mutua, nosse nefas,
Post epulas inoperta vident;
Lubricus error et erubuit:
Tegmina suta parant foliis,
Dedecus ut pudor occuleret.
Conscia culpa Deum pavitans
Sede pia procul exigitur.
Innuba fœmina quæ fuerat,
Conjugis excipit imperium,
Fœdera tristia jussa pati.

Auctor et ipse doli coluber
Plectitur improbus, ut mulier
Colla trilinguia calce terat.
Sic coluber muliebre solum
Suspicit, atque virum mulier.
His ducibus vitiosa dehinc
Posteritas ruit in facinus:
Dumque rudes imitatur avos,
Fasque nefasque simul glomerans,
Impia crimina morte luit.
Ecce, venit nova progenies,
Æthere proditus alter homo,
Non luteus, velut ille prius:
Sed Deus ipse gerens hominem,
Corporeisque carens vitiis.
Fit caro vivida sermo Patris;
Numine quam rutilante gravis
Non thalamo, neque jure tori,
Nec genialibus illecebris
Intermerata puella parit.
Hoc odium vetus illud erat,
Hoc erat aspidis atque hominis
Digladiabile discidium,
Quod modo cernua fœmineis
Vipera proteritur pedibus.
Edere namque Deum merita
Omnia Virgo venena domat:
Tractibus anguis inexplicitis
Virus inerme piger revomit,
Gramine concolor in viridi.
Quæ feritas modo non trepidat,
Territa de grege candidulo?
Impavidas lupus inter oves

Tristis obambulat, et rabidum
Sanguinis immemor os cohibet.
Agnus enim vice mirifica
Ecce leonibus imperitat,
Exagitansque truces aquilas
Per vaga nubila, perque Notos
Sidere lapsa columba fugat.
Tu mihi, Christe, columba potens:
Sanguine pasta cui cedit avis:
Tu niveus per olive tuum
Agnus hiare lupum prohibes,
Sub juga tigridis ora premens.
Da locuples, Deus, hoc famulis
Rite precantibus, ut tenui
Membra cibo recreata levent:
Neu piger immodicis dapibus
Viscera tenta gravet stomachus.
Haustus amarus abesto procul;
Ne libeat tetigisse manu
Exitiale quid aut vetitum:
Gustus et ipse modum teneat,
Sospitet ut jecur incolume.
Sit satis anguibus horrificis,
Liba quod impia corporibus
Ah! miseram peperere necem.
Sufficiat semel ob facinus
Plasma Dei potuisse mori.
Oris opus, vigor igneolus
Non moritur: quia flante Deo
Compositus, superoque fluens
De solio Patris artificis,
Vim liquidæ rationis habet.
Viscera mortua quinetiam

Post obitum reparare datur :
Eque suis iterum tumulis
Prisca renascitur effigies,
Pulvereo coëunte situ.
Credo equidem, neque vana fides,
Corpora vivere more animæ:
Nam modo corporeum memini
De Phlegethonte gradu facili
Ad superos remeasse Deum.
Spes eadem mea membra manet:
Quæ redolentia funereo
Jussa quiescere sarcophago,
Dux parili redivivus humo
Ignea Christus ad astra vocat.

HYMNUS IV

POST CIBUM.

Pastis visceribus, ciboque sumpto,
Quem lex corporis imbecilla poscit,
Laudem lingua Deo Patri rependat:
Patri, qui Cherubim sedile sacrum,
Necnon et Seraphim suum supremo
Subnixus solio tenet regitque.
Hîc est, quem Zabaoth Deum vocamus,
Expers principii, carensque fine;
Rerum conditor, et repertor orbis.
Fons vitæ liquida fluens ab arce,
Infusor fidei, sator pudoris,
Mortis perdomitor, salutis auctor.
Omnes quod sumus aut vigemus, inde est.
Regnat Spiritus ille sempiternus,

A Christo simul et Parente missus.
  Intrat pectora candidus pudica :
Quæ templi vice consecrata rident,
Postquam combiberint Deum medullis.
  Sed si quid vitii dolive nasci
Inter viscera jam dicata sensit :
Ceu spurcum refugit celer sacellum.
  Tetrum flagrat enim vapore crasso
Horror conscius æstuante culpa,
Offensumque bonum niger repellit.
  Nec solus pudor innocensve votum
Templum constituunt perenne Christo
In cordis medii sinu ac recessu :
  Sed, ne crapula ferveat, cavendum est :
Quæ sedem fidei cibis refertam
Usque ad congeriem coarctet intus.
  Parcis victibus expedita corda
Infusum melius Deum receptant :
Hic pastus animæ est, saporque verus.
  Sed nos tu gemino fovens paratu,
Artus atque animas utroque pastu
Confirmas, Pater, ac vigore comples.
  Sic olim tua præcluens potestas,
Inter raucisonos situm leones,
Illapsis dapibus virum refovit.
  Illum fusile numen execrantem,
Et curvare caput sub expolita
Æris materia nefas putantem,
  Plebs diræ Babylonis ac tyrannus
Morti subdiderant, feris dicarant,
Sævis protinus hostibus vorandum.
  O semper pietas fidesque tuta!
Lambunt indomiti virum leones,

Intactumque Dei tremunt alumnum.
Astant comminus, et jubas reponunt:
Mansuescit rabies, fameque blanda
Prædam rictibus ambit incruentis.
Sed cum tenderet ad superna palmas,
Expertumque sibi Deum rogaret,
Clausus jugiter, indigensque victus:
Jussus nuntius advolare terris,
Qui pastum famulo daret probato,
Raptim desilit obsequente mundo.
Cernit forte procul dapes inemptas:
Quas messoribus Habacuc propheta
Agresti bonus exhibebat arte.
Hujus cæsarie manu prehensa,
Plenis, sicut erat, gravem canistris
Suspensum rapit, et vehit per auras.
Tum raptus simul ipse prandiumque
Sensim labitur in lacum leonum;
Et, quas tunc epulas gerebat, offert.
Sumas lætus, ait, libensque carpas,
Quæ summus Pater, Angelusque Christi
Mittunt liba tibi sub hoc periclo.
His sumptis, Danielus excitavit
In cœlum faciem, ciboque fortis
Amen reddidit, alleluia dixit,
Sic nos muneribus tuis refecti,
Largitor Deus omnium bonorum,
Grates reddimus, et sacramus hymnos.
Tu nos tristifico velut tyranno,
Mundi scilicet impotentis actu
Conclusos regis, et feram repellis:
Quæ circumfremit, ac vorare tentat,
Insanos acuens furore dentes;

Cur te, summe Deus, precemur unum.
Vexamur, premimur, malis rotamur:
Oderunt, lacerant, trahunt, lacessunt:
Juncta est suppliciis fides iniquis.
Nec desit tamen anxiis medela:
Nam languente truci leonis ira,
Illapsæ superingeruntur escæ.
Quas si quis sitienter hauriendo,
Non gustu tenui, sed ore pleno,
Internis velit implicare venis:
Hic sancto satiatus ex Propheta,
Justorum capiet cibos virorum:
Qui fructum Domino metunt perenni.
Nil est dulcius, ac magis saporum,
Nil quod plus hominem juvare possit,
Quam Vatis pia præcinentis orsa.
His sumptis licet insolens potestas
Pravum judicet, irrogetque mortem:
Impasti licet irruant leones,
Nos semper Dominum Patrem fatentes,
In te, Christe Deus, loquemur unum,
Constanterque tuam crucem feremus.

HYMNUS V

AD INCENSUM LUCERNÆ.

Inventor rutili, dux bone, luminis,
Qui certis vicibus tempora dividis:
Merso sole chaos ingruit horridum,
Lucem redde tuis, Christe, fidelibus.
Quamvis innumero sidere regiam,
Lunarique polum lampade pinxeris,

Incussu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quærere.
Ne nesciret homo spem sibi luminis [1]
In Christi solido corpore conditam;
Qui dici stabilem se voluit Petram;
Nostris igniculis unde genus venit.
Pinguis quos olei rore madentibus
Lychnis aut facibus pascimus aridis:
Quin et fila favis scirpea floreis
Presso melle prius collita fingimus.
Vivax flamma viget, seu cava testula
Succum lenteolo suggerit ebrio,
Seu pinus piceam fert alimoniam,
Seu ceram teretem stuppa calens bibit.
Nectar de liquido vertice fervidum
Guttatim lacrymis stillat olentibus:
Ambustum quoniam vis facit ignea
Imbrem de madido flere cacumine.
Splendent ergo tuis muneribus, Pater,
Flammis mobilibus scilicet atria,
Absentemque diem lux agit æmula;
Quam nox cum lacero victa fugit peplo.
Sed quis non rapidi luminis arduam,

[1] Ante hunc versum quatuor sequentes præmittunt vetera exemplaria:

Hoc signas opere, Conditor inclyte,
Lumen veridicum mentibus omnium,
In Christo Domino quærere jugiter,
Quem Petram loquitur Doctor egregius

Hos vero, ne lectore quidem admonito, præterit Chamillardus. Eos item non agnoscit Thomasius in suo *Hymno*. Eadem sane sententia in sequentibus occurrit: ut propterea existimaverim eos refinxisse Prudentium; cum utrique neque a contextu sint alieni, neque Poëta nostro indigni videantur. Utri vero in textum admittendi? ἀπέχω.

Manantemque Deo cernam originem?
Moses nempe Deum spinifera in rubo
Vidit conspicuo lumine flammeum.
  Felix, qui meruit sentibus in sacris
Cœlestis solii visere principem,
Jussus nexa pedum vincula solvere,
Ne sanctum involucris pollueret locum.
  Hunc ignem populus sanguinis inclyti
Majorum meritis tutus et impotens,
Suetus sub dominis vivere barbaris,
Jam liber sequitur longa per avia:
  Qua gressum tulerant, castraque cerulæ
Noctis per medium concita moverant,
Plebem pervigilem fulgure prævio
Ducebat radius sole micantior.
  Sed rex Niliaci littoris, invido
Fervens felle, jubet prævalidam manum
In bellum rapidis ire cohortibus,
Ferratasque acies clangere classicum.
  Sumunt arma viri, seque minacibus
Accingunt gladiis: triste canit tuba.
Hic fidit jaculis, ille volantia
Præfigit calamis spicula Cnosiis.
  Densetur cuneis turbo pedestribus:
Currus pars, et equos, et volucres rotas
Conscendunt celeres, signaque bellica
Prætendunt tumidis clara draconibus.
  Hic jam servitii nescia pristini,
Gens Pelusiacis usta vaporibus,
Tandem purpurei gurgitis hospita
Rubris littoribus fessa resederat.
  Hostis dirus adest cum duce perfido,
Infert et validis prælia viribus.

Moses porro suos in mare præcipit
Constans intrepidis tendere gressibus.
  Præbent rupta locum stagna viantibus,
Riparum in faciem pervia : sistitur
Circumstans vitreis unda liquoribus,
Dum plebs sub bifido permeat æquore.
  Pubes quinetiam decolor asperis
Irritata odiis, rege sub impio,
Hebræum sitiens fundere sanguinem,
Audet se pelago credere concavo.
  Ibant præcipiti turbine percita
Fluctus per medios agmina regia :
Sed confusa dehinc unda revolvitur
In semet revolans gurgite confluo.
  Currus tunc, et equos, telaque naufraga,
Ipsos et proceres, et vaga corpora
Nigrorum videas nare satellitum,
Arcis justitium triste tyrannicæ.
  Quæ tandem poterit lingua retexere
Laudes, Christe, tuas? qui domitam Pharon
Plagis multimodis cedere præsuli
Cogis justitiæ, vindice dextera.
  Qui pontum rapidis æstibus invium
Persulcare vetas, ut refluo in salo
Securus pateat, te duce, transitus,
Et mox unda rapax ut voret impios.
  Cui jejuna eremi saxa loquacibus
Exundant scatebris, et latices novos
Fundit scissa silex : quæ sitientibus
Dat potum populis axe sub igneo.
  Instar fellis aqua, tristifico in lacu
Fit ligni venia, mel velut Atticum.
Lignum est, quo sapiunt aspera dulcius :

Nam præfixa cruci spes hominum viget.
 Implet castra cibus tunc quoque ninguidus,
Illabens gelida grandine densius.
His mensas epulis, hac dape construunt,
Quam dat sidereo Christus ab æthere,
 Necnon imbrifero ventus anhelitu
Crassa nube leves invehit alites,
Quæ difflata in humum cum semel agmina
Fluxerunt, reduci non revolant fuga.
 Hæc olim patribus præmia contulit
Insignis pietas Numinis unici:
Cujus subsidio nos quoque vescimur,
Pascentes dapibus pectora mysticis.
 Fessos ille vocat per freta sæculi,
Discissis populum turbinibus regens,
Jactatasque animas mille laboribus
Justorum in patriam scandere præcipit.
 Illic purpureis tecta rosariis
Omnis fragrat humus, calthaque pinguia,
Et molles violas, et tenues crocos
Fundit fonticulis uda fugacibus.
 Illic et gracili balsama surculo
Desudata fluunt, raraque cinnama
Spirant, et folium, fonte quod abdito
Prælambens fluvius portat in exitum.
 Felices animæ prata per herbida
Concentu parili suave sonantibus
Hymnorum modulis dulce canunt melos,
Calcant et pedibus lilia candidis.
 Sunt et spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub Styge feriæ,
Illa nocte, sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis:

Non sicut tenebras de face fulgida
Surgens Oceano Lucifer imbuit,
Sed terris Domini de cruce tristibus
Major Sole novum restituens diem.
Marcent suppliciis Tartara mitibus,
Exultatque sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus :
Nec fervent solito flumina sulphure.
Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis ; votaque prospera
Certatim vigili congerimus prece ;
Extructoque agimus liba sacrario.
Pendent mobilibus lumina funibus :
Quæ suffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natatibus
Lucem perspicuo flamma jacit vitro.
Credas stelligeram desuper aream
Ornatam geminis stare Trionibus,
Et qua Bosphoreum temo regit jugum
Passim purpureos spargier Hesperos.
O res digna, Pater, quam tibi roscidæ
Noctis principio grex tuus offerat,
Lucem, qua tribuis nil pretiosius :
Lucem, qua reliqua præmia cernimus.
Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus,
Intus tu speculum, tu speculum foris,
Lumen quod famulans offero, suscipe,
Tinctum pacifici chrismatis unguine :
Per Christum genitum, summe Pater, tuum,
In quo visibilis stat tibi gloria ;
Qui noster Dominus, qui tuus unicus
Spirat de patrio corde Paraclitum :
Per quem splendor, honos, laus, sapientia,

Majestas, bonitas, et pietas tua
Regnum continuat numine triplici,
Texens perpetuis sæcula sæculis.

HYMNUS VI

ANTE SOMNUM.

Ades, Pater supreme,
Quem nemo vidit unquam,
Patrisque sermo Christe,
Et Spiritus benigne.
O Trinitatis hujus
Vis una, lumen unum,
Deus ex Deo perennis,
Deus ex utroque missus.
Fluxit labor diei:
Redit et quietis hora:
Blandus sopor vicissim
Fessos relaxat artus.
Mens æstuans procellis,
Curisque sauciata,
Totis bibit medullis
Obliviale poclum.
Serpit per omne corpus
Lethæa vis, nec ullum
Miseris doloris ægri
Patitur manere sensum.
Lex hæc data est caducis
Deo jubente membris,
Ut temperet laborem
Medicabilis voluptas.
Sed, dum pererrat omnes

Quies amica venas,
Pectusque feriatum
Placat rigante somno :
  Liber vagat per auras
Rapido vigore sensus,
Variasque per figuras,
Quæ sunt operta, cernit.
  Quia mens soluta curis,
Cui est origo cœlum,
Purusque fons ab æthra
Iners jacere nescit.
  Imitata multiformes
Facies sibi ipsa fingit,
Per quas repente currens
Tenui fruatur actu.
  Sed sensa somniantum
Dispar fatigat horror :
Nunc splendor intererrat,
Qui dat futura nosse.
  Plerumque dissipatis
Mendax imago veris,
Animos pavore mœstos
Ambage fallit atra.
  Quem rara culpa morum
Non polluit frequenter,
Hunc lux serena vibrans
Res edocet latentes.
  At, qui coinquinatum
Vitiis cor impiavit,
Lusus pavore multo
Species videt tremendas.
  Hoc Patriarcha noster
Sub carceris catena

Geminis simul ministris
Interpres approbavit.
Quorum regressus unus,
Dat poculum tyranno ;
Ast alterum rapaces
Fixum vorant volucres.
Ipsum deinde regem,
Perplexa somniantem,
Monuit famem futuram
Clausis cavere acervis.
Mox præsul ac tetrarches,
Regnum per omne jussus
Sociam tenere virgam,
Dominæ resedit aulæ.
O quam profunda justis
Arcana per soporem
Aperit tuenda Christus,
Quam clara, quam tacenda!
Evangelista summi
Fidissimus magistri,
Signata quæ latebant,
Nebulis videt remotis.
Ipsum Tonantis agnum
De cæde purpurantem,
Qui conscium futuri
Librum resignat unus.
Hujus manum potentem
Gladius perarmat anceps,
Et fulgurans utrinque
Duplicem minatur ictum.
Quæsitor illæ solus
Animæque corporisque,
Ensisque bis timendus

Prima ac secunda mors est.
Idem tamen benignus
Ultor retundit iram,
Paucosque non piorum
Patitur perire in ævum.
Huic inclytus perenne
Tribuit Pater tribunal :
Hunc oblinere jussit
Nomen supra omne nomen.
Hic præpotens cruenti
Extinctor Antichristi :
Qui de furente monstro
Pulchrum refert tropæum.
Quam bestiam capacem,
Populosque devorantem,
Quam sanguinis Charybdim,
Joannes execratur.
Hæc nempe, quæ sacratum
Præferre nomen ausa,
Imam petit gehennam,
Christo perempta vero.
Tali sopore justus
Mentem relaxat heros,
Ut spiritu sagaci
Cœlum peragret omne.
Nos nil meremur horum,
Quos creber implet error :
Concreta quos malarum
Vitiat cupido rerum.
Sat est, quiete dulci
Fessum fovère corpus :
Sat, si nihil sinistrum
Vanæ minentur umbræ.

Cultor Dei memento
Te fontis et lavacri
Rorem subisse sanctum,
Te chrismate innovatum.
Fac, cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem locumque cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen:
Fugiunt crucem tenebræ:
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.
Procul, o procul vagantum
Portenta somniorum:
Procul esto pervicaci
Præstigiator actu.
O tortuose serpens,
Qui mille per Mæandros,
Fraudesque flexuosas,
Agitas quieta corda;
Discede, Christus hic est:
Hic Christus est, liquesce.
Signum, quod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.
Corpus licet fatiscens
Jaceat reclive[1] paulum,
Christum tamen sub ipso
Meditabimur sopore.

[1] Quanquam fere omnes codices legant *recline*, iis tamen assentiri nequimus; ea enim vox aut absoleta est aut barbara. Atque male Anton Nebrissensis affert Ovid. versum *Metam*. X.

In quo sinu juvenis posita cervice reclivis:

nullibi legitur *reclinis*.

HYMNUS VII

JEJUNANTIUM.

O Nazarene, lux Bethlem, verbum Patris,
Quem partus alvi virginalis protulit,
Adesto castis, Christe, parcimoniis,
Festumque nostrum rex serenus aspice;
Jejuniorum dum litamus victimam.
Nil hoc profecto purius mysterio:
Quo fibra cordis expiatur lividi:
Intemperata quo domantur viscera,
Arvina putrem ne resudans crapulam
Obstrangulatæ mentis ingenium premat.
Hinc subjugatur luxus et turpis gula:
Vini atque somni degener socordia,
Libido sordens, inverecundus lepos,
Variæque pestes languidorum sensuum,
Parcam subactæ disciplinam sentiunt.
Nam si licenter diffluens potu et cibo
Jejuna rite membra non coërceas;
Sequitur, frequenti marcida oblectamine
Scintilla mentis ut tepescat nobilis,
Animusque pigris stertat in præcordiis.
Frenentur ergo corporum cupidines,
Detersa et intus emicet prudentia:
Sic excitato perspicax acumine,
Liberque flatu laxiore spiritus
Rerum parentem rectius precabitur.
Helias tali crevit observantia,
Vetus sacerdos, ruris hospes aridi:
Fragore ab omni quem remotum et segregem
Sprevisse tradunt criminum frequentiam,

Casto fruentem Syrtium silentio.
Sed mox in auras igneis jugalibus,
Curruque raptus evolavit præpete,
Ne de propinquo sordium contagio
Dirus quietum mundus afflaret virum,
Olim probatis inclytum jejuniis.
Non ante cœli principem septemplicis
Moses tremendi fidus interpres throni
Potuit videre, quam decem recursibus
Quater volutis sol peragrans sidera
Omni carentem cerneret substantia.
Victus precanti solus in lacrymis fuit:
Nam flendo pernox, irrigatum pulverem
Humi madentis ore pressit cernuo:
Donec loquentis voce perstrictus Dei
Expavit ignem non ferendum visibus.
Joannes hujus artis haud minus potens,
Dei perennis præcucurrit Filium:
Curvos viarum qui retorsit tramites,
Et flexuosa corrigens dispendia,
Dedit sequendam calle recto lineam.
Hanc obsequelam præparabat nuntius,
Mox adfuturo construens iter Deo,
Clivosa planis, confragosa ut lenibus
Converterentur, neve quidquam devium
Illapsa terris inveniret Veritas.
Non usitatis ortus hic natalibus,
Oblita lactis jam vieto in pectore
Matris tetendit serus infans ubera:
Nec ante partu de senili effusus est,
Quam prædicaret Virginem plenam Deo.
Post in patentes ille solitudines,
Amictus hirtis bestiarum pellibus,

Setisve tectus, hispida et lanugine,
Secessit, horrens inquinari ac pollui
Contaminatis oppidorum moribus.
Illic dicata parcus abstinentia
Potum cibumque vir severæ industriæ
In usque serum respuebat vesperum,
Rarum locustis, et favorum agrestium
Liquore pastum corpori suetus dare.
Hortator ille primus, et doctor novæ
Fuit salutis: nam sacrato in flumine
Veterum piatas lavit errorum notas:
Sed tincta postquam membra defæcaverat,
Cœlo refulgens influebat Spiritus.
Hoc ex lavacro labe dempta criminum,
Ibant renati non secus, quam si rudis
Auri recocta vena pulchrum splendeat:
Micet metalli sive lux argentei,
Sudum polito prænitens purgamine.
Referre prisci stemma nunc jejunii
Libet, fideli proditum volumine,
Ut diruendæ civitatis incolis
Fulmen benigni mansuefactum Patris
Pie repressis ignibus pepercerit.
Gens insolenti præpotens jactantia
Pollebat olim: quam fluentem nequiter
Corrupta vulgo solverat lascivia:
Et inde bruto contumax fastidio,
Cultum superni negligebat Numinis.
Offensa tandem jugis indulgentiæ
Censura, justis excitatur motibus,
Dextram perarmat rhomphæali incendio,
Nimbos crepantes et fragosos turbines
Vibrans, tonantum nube flammarum quatit.

Sed pœnitendi dum datur diecula,
Si forte vellent improbam libidinem,
Veteresque nugas condomare ac frangere,
Suspendit ictum terror exorabilis,
Paulumque dicta substitit sententia.
Jonam prophetam mitis ultor excitat,
Pœnæ imminentis iret ut prænuntius :
Sed nosset ille cum minacem judicem
Servare malle, quam ferire ac plectere,
Tectam latenter vertit iu Tharsos fugam.
Celsam paratis pontibus scandit ratem :
Udo revincta fune puppis solvitur :
Itur per altum : fit procellosum mare :
Tum causa tanti quæritur periculi :
Sors in fugacem missa Vatem decidit.
Jussus perire solus e cunctis reus,
Cujus voluta crimen urna expresserat.
Præceps rotatur, et profundo immergitur :
Exceptus inde belluinis faucibus,
Alvi capacis vivus hauritur specu.
Transmissa raptim præda cassos dentium
Eludit ictus, incruentam transvolans
Impune linguam : ne retentam mordicus
Offam molares dissecarent uvidi;
Os omne transit, et palatum præterit.
Ternis dierum ac noctium processibus
Mansit ferino devoratus gutture :
Errabat illic per latebras viscerum :
Ventris Mæandros circuibat tortiles
Anhelus, extis intus æstantibus.
Intactus exin tertiæ noctis vice
Monstri vomentis pellitur singultibus,
Qua murmuranti fine fluctus frangitur;

Salsosque candens spuma tundit pumices,
Ructatus exit, seque servatum stupet.
In Ninivitas se coactus percito
Gressu reflectit: quos ut increpaverat,
Pudenda censor imputans opprobria,
Impendet, inquit, ira summi Vindicis,
Urbemque flamma mox cremabit, credite.
Apicem deinceps ardui montis petit,
Visurus inde conglobatum turbidæ
Fumum ruinæ, cladis et diræ struem,
Tectus flagellis multinodis germinis,
Nato et repente perfruens umbraculo.
Sed mœsta postquam civitas vulnus novi
Hausit doloris, heu supremum palpitat.
Cursant per ampla congregatim mœnia
Plebs et Senatus; omnis æstas civium,
Pallens juventus, ejulantes fœminæ.
Placet fremėntum publicis jejuniis
Placare Christum: mos edendi spernitur.
Glaucos amictus induit monilibus
Matrona demptis; proque gemma et serico
Crinem fluentem sordidus spargit sinis.
Squalent recincta veste pullati patres,
Setasque plangens turba sumit textiles,
Impexa villis virgo bestialibus;
Nigrante vultum contegit velamine:
Jacens arenis et puer provolvitur.
Rex ipse, Coos æstuantem murices
Lænam revulsa dissipabat fibula,
Gemmas virentes et lapillos sutiles,
Insigne frontis exuebat vinculum,
Turpi capillos impeditus pulvere.
Nullus bibendi, nemo vescendi memor:

Jejuna mensas pubes omnis liquerat :
Quin et negato lacte vagientium
Fletu madescunt parvulorum cunulæ :
Succum papillæ parca nutrix derogat.
Greges et ipsos claudit armentalium
Solers vivorum cura, ne vagum pecus
Contingat ore rorulenta gramina ,
Potum strepentis neve fontis hauriat :
Vacuis querelæ personant præsepibus.
Mollitus his et talibus brevem Deus
Iram refrenat, temperans oraculum
Prosper sinistrum : prona nam clementia
Haud difficulter supplicem mortalium
Solvit reatum, fitque fautrix flentium.
Sed cur vetustæ gentis exemplum loquor ?
Pridem caducis cum gravatus artubus
Jesus, dicato corde, jejunaverit :
Prænuncupatus ore qui prophetico
Emmanuel est, sive Nobiscum Deus.
Qui corpus istud molle naturaliter ,
Captumque laxo sub voluptatum jugo ,
Virtutis arcta lege fecit liberum ,
Emancipator servientis plasmatis ,
Regnantis ante victor et cupidinis.
Inhospitali namque secretus loco
Quinis diebus octies labentibus ,
Nullam ciborum vindicavit gratiam ,
Firmans salubri scilicet jejunio
Vas appetendis inbecillum gaudiis.
Miratus hostis, posse limum tabidum
Tantum laboris sustinere ac perpeti ,
Explorat arte sciscitator callida ,
Deus-ne membris sit receptus terreis :

Sed, increpata fraude, post tergum ruit.
Hoc nos sequamur quisque nunc pro viribus,
Quod consecrati tu magister dogmatis
Tuis dedisti, Christe, sectatoribus:
Ut cum vorandi vicerint libidinem,
Late triumphet imperator spiritus.
Hoc est, quod atri livor hostis invidet,
Mundi polique quod gubernator probat;
Altaris aram quod facit placabilem;
Quod dormientis excitat cordis fidem;
Quod limat ægram pectorum rubiginem.
Perfusa non sic amne flamma extinguitur,
Nec sic calente sole tabescunt nives,
Ut turbidarum scabra culparum seges.
Vanescit almo trita sub jejunio,
Si blanda semper misceatur largitas.
Est quippe et illud grande virtutis genus,
Operire nudos, indigentes pascere,
Opem benignam ferre supplicantibus:
Unam paremque sortis humanæ vicem
Inter potentes atque egenos ducere.
Satis beatus quisque dextram porrigit
Laudis rapacem, prodigam pecuniæ,
Cujus sinistra dulce factum nesciat:
Illum perennes protinus complent opes;
Ditatque fructus fœnerantem centuplex.

HYMNUS VIII.

POST JEJUNIUM.

Christe, servorum regimen tuorum,
Mollibus qui nos moderans habenis,

Leniter frenas, facilique septos
Lege coërces :
Ipse cum portans onus impeditum
Corporis, duros tuleris labores,
Major exemplis, famulos remisso
Dogmate palpas.
Nona summissum rotat hora solem,
Partibus vix dum tribus evolutis,
Quarta devexo susperest in axe
Portio lucis.
Nos brevis voti dape vindicata
Solvimus festum, fruimurque mensis
Affatim plenis, quibus imbuatur
Prona voluptas.
Tantus æterni favor est magistri :
Doctor indulgens ita nos amico
Lactat hortatu, levis obsequela ut
Mulceat artus.
Addit et, ne quis velit invenusto
Sordidus cultu lacerare frontem :
Sed decus vultus, capitisque pexum
Comat honorem.
Terge jejunans, ait, omne corpus,
Neve subducto faciem rubore
Luteus tingat color, aut notetur
Pallor in ore.
Rectius læto tegimus pudore,
Quidquid ad cultum Patris exhibemus :
Cernit occultum Deus, et latentem
Munere donat.
Ille ovem morbo residem, gregique
Perditam sano[1], male dissipantem

[1] Edit. quædam habent *sanat* : at melius *sano*.

Vellus affixis vepribus per hirtæ
Devia sylvæ,
Impiger Pastor revocat, lupisque
Gestat exclusis, humeros gravatus :
Inde purgatam revehens aprico
Reddit ovili.
Reddit et pratis, viridique campo ;
Vibrat impexis ubi nulla lappis
Spina, nec germen sudibus perarmat
Carduus horrens :
Sed frequens palmis nemus, et reflexa
Vernat herbarum coma : tum perennis
Gurgitem vivis vitreum fluentis
Laurus obumbrat.
Hisce pro donis tibi, fide pastor,
Servitus quænam poterit rependi ?
Nulla compensant pretium salutis
Vota precantum.
Quamlibet spreto sine more pastu
Sponte confectos tenuemus artus,
Teque contemptis epulis rogemus
Nocte dieque :
Vincitur semper minor obsequentum
Cura, nec munus Genitoris æquat :
Frangit et cratem luteam laboris
Grandior usus.
Ergo ne limum fragilem solutæ
Deserant vires, et aquosus albis
Humor in venis dominetur, ægrum
Corpus enervans :
Laxus ac liber modus abstinendi
Ponitur cunctis, neque nos severus
Terror impellit : sua quemque cogit
Velle potestas.

Sufficit, quidquid facias, vocato
Numinis nutu prius, inchoare,
Sive tu mensam renuas, cibumve
Sumere tentes.
Annuit dexter Deus, et secundo
Prosperat vultu: velut hoc salubre
Fidimus nobis fore, quod dicatas
Carpimus escas.
Sit bonum, supplex precor, et medelam
Conferat membris, animumque pascat
Sparsus in venas cibus obsecrantum
Christicolarum.

HYMNUS IX.

OMNIS HORÆ.

Da, puer, plectrum, choreis ut canam fidelibus
Dulce carmen et melodum, gesta Christi insignia:
Hunc Camœna nostra solum pangat, hunc laudet lyra.
Christus est, quem Rex sacerdos adfuturum protinus.
Infulatus concinebat voce, chorda, et tympano,
Spiritum cœlo influentem per medullas hauriens.
Facta nos et jam probata pangimus miracula.
Testis orbis est: nec ipsa terra, quod vidit, negat,
Communis Deum docentis proditum mortalibus.
Corde fusus ex parentis, ante mundi exordium,
Alpha et Ω cognominatus: ipse fons et clausula
Omnium, quæ sunt, fuerunt, quæque post futura sunt.
Ipse jussit, et creata; dixit ipse, et facta sunt:
Terra, cœlum, fossa ponti, trina rerum machina,
Quæque in his vigent sub alto solis et lunæ globo.

Corporis formam caduci, membra morti obnoxia
Induit, ne gens periret primoplasti ex germine,
Merserat quam lex profundo noxialis Tartaro.
O beatus ortus ille, virgo cum puerpera
Edidit nostram salutem, fœta Sancto Spiritu;
Et puer redemptor orbis os sacratum protulit.
Psallat altitudo cœli, psallite omnes Angeli :
Quidquid est virtutis usquam, psallat in laudem Dei :
Nulla linguarum silescat, vox et omnis consonet.
Ecce, quem Vates vetustis concinebant sæculis,
Quem Prophetarum fideles paginæ spoponderant,
Emicat, promissus olim : cuncta collaudent eum.
Cantharis infusa lympha fit Falernum nobile :
Nuntiat vinum minister esse promptum ex hydria,
Ipse rex sapore tinctis obstupescit poculis.
Membra morbis ulcerosa, viscerum putredines
Mando ut abluantur, inquit : fit ratum, quod jusserat :
Turgidam cutem repurgant vulnerum piamina.
Tu perennibus tenebris jam sepulta lumina
Illinis limo salubri, sacri et oris nectare :
Mox apertis hac medela lux reducta est orbibus.
Increpas ventum furentem, quod procellis tristibus
Vertat æquor fundo ab imo, vexet et vagam ratem :
Ille jussis obsecundat : mitis unda sternitur.
Extimum vestis sacratæ furtim mulier attigit :
Protinus salus secuta est; ora pallor deserit,
Sistitur rivus, cruore qui fluebat perpeti.
Exitu dulcis juventæ raptum ephebum viderat,
Orba quem mater supremis funerabat fletibus :
Surge, dixit : ille surgit, matri et adstans redditur.
Sole jam quarto carentem, jam sepulcro absconditum.
Lazarum jubet vigere, reddito spiramine :
Fœtidum jecur reductus rursus intrat halitus.

Ambulat per stagna ponti, summa calcat fluctuum :
Mobilis liquor profundi pendulam præstat viam,
Nec fatiscit unda sanctis pressa sub vestigiis.
Suetus antro bustuali sub catenis frendere,
Mentis impos, efferatis percitus furoribus
Prosilit, ruitque supplex, Christum adesse ut senserat.
Pulsa pestis lubricorum milleformis dæmonum,
Corripit gregis suilli sordida spurcamina :
Seque nigris mergit undis, ut pecus lymphaticum.
Quinque panibus peresis, et gemellis piscibus,
Fertque qualus ter quaternus ferculorum fragmina :
Affatim refecta jam sunt accubantum millia.
Tu cibus panisque noster, tu perennis suavitas :
Nescit esurire in ævum, qui tuam sumit dapem ;
Nec lacunam ventris implet, sed fovet vitalia.
Clausus aurium meatus, et sonorum nescius,
Purgat ad præcepta Christi crassa quæque obstacula,
Vocibus capax fruendis, ac susurris pervius.
Omnis ægritudo cedit, languor omnis pellitur,
Lingua fatur, quam veterna vinxerant silentia,
Gestat et suum per urbem lætus æger lectulum.
Quin et ipsum, ne salutis Inferi expertes forent,
Tartarum benignus intrat : fracta cedit janua :
Vectibus cadit revulsis cardo dissolubilis.
Illa prompta ad irruentes, ad revertentes tenax,
Obice extrorsum repulso porta reddit mortuos :
Lege versa, limen atrum jam recalcandum patet.
Sed Deus dum luce fulva mortis antra illuminat,
Dum stupentibus tenebris candidum præstat diem ;
Tristia squalentis æthræ palluerunt sidera.
Sol refugit, et lugubri sordidus ferrugine
Igneum reliquit axem, seque mœrens abdidit :
Fertur horruisse mundus noctis æternæ chaos.

Solve vocem mens sonoram, solve linguam mobilem ;
Dic tropæum passionis, dic triumphalem crucem :
Pange vexillum, notatis quod refulget frontibus.
O novum cædes stupenda vulneris miraculum !
Hinc cruoris fluxit unda, lympha parte ex altera :
Lympha nempe dat lavacrum, tum corona ex sanguine est.
Vidit anguis immolatam corporis sacri hostiam,
Vidit, et fellis perusti mox venenum perdidit,
Saucius dolore multo colla fractus sibila.
Quid tibi, profane serpens, profuit rebus novis
Plasma primum perculisse, versipelli astutia?
Diluit culpam recepto forma mortalis Deo.
Ad brevem se mortis usum dux salutis dedidit,
Mortuos olim sepultos ut redire insuesceret,
Dissolutis pristinorum vinculis peccaminum.
Tunc patres, sanctique multi conditorem prævium
Jam revertentem secuti, tertio demum die
Carnis indumenta sumunt, eque bustis prodeunt.
Cerneres coire membra de favillis aridis ;
Frigidum venis resumptis pulverem tepescere ;
Ossa, nervos, et medullas glutino cutis tegi.
Post, ut occasum resolvit, vitæ et hominem reddidit,
Arduum tribunal alti victor ascendit Patris,
Inclytam cœlo reportans passionis gloriam.
Macte, judex mortuorum, macte rex viventium,
Dexter in Parentis arce qui cluis virtutibus,
Omnium venturus inde justus ultor criminum.
Te senes, et te juventus, parvulorum te chorus,
Turba matrum virginumque, simplices puellulæ,
Voce concordes pudicis perstrepant concentibus.
Fluminum lapsus, et undæ, litorum crepidines,
Imber, æstus, nix, pruina, sylva, et aura, nox, dies,
Omnibus te concelebrent sæculorum sæculis.

HYMNUS X.

IN EXSEQUIIS DEFUNCTORUM.

Deus, ignee fons animarum,
Duo qui socians elementa,
Vivum simul ac moribundum,
Hominem, Pater, effigiasti :
Tua sunt, tua, rector, utraque :
Tibi copula jungitur horum :
Tibi, dum vegetata cohærent,
Et spiritus et caro servit.
Rescissa [1] sed ista seorsum
Solvunt hominem perimuntque :
Humus excipit arida corpus,
Animæ rapit aura liquorem :
Quia cuncta creata necesse est
Labefacta senescere tandem,
Compactaque dissociari,
Et dissona texta retexi.
Hanc tu, Deus optime, mortem
Famulis abolere paratus,
Iter inviolabile monstras,
Quo perdita membra resurgant.
Ut, dum generosa caducis,
Ceu carcere clausa, ligantur,
Pars illa potentior extet,
Quæ germen ab æthere traxit.

[1] Post hunc versum in edit. Thornæs et al., sequuntur hi quatuor :

Rescissa sed ista seorsum,
Proprios revocantur in artus :
Petit alter æthera fervens,
Humus excipit arida corpus.

Quorum sententia paulo aliter repetitur statim in seqq.

Si terrea forte voluntas
Luteum sapit, et grave captat,
Animus quoque pondere victus,
Sequitur sua membra deorsum.
At si generis memor ignei
Contagia pigra recuset,
Vehit hospita viscera secum,
Pariterque reportat ad astra.
Nam quod requiescere corpus
Vacuum sine mente videmus,
Spatium breve restat, ut alti
Repetat collegia sensus.
Venient cito sæcula, cum jam
Socius calor ossa revisat,
Animataque sanguine vivo
Habitacula pristina gestet.
Quæ pigra cadavera pridem
Tumulis putrefacta jacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepulcris
Impenditur : hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.
Quidnam sibi saxa cavata,
Quid pulchra volunt monumenta?
Res quod nisi creditur illis
Non mortua, sed data somno.
Hoc provida Christicolarum

Pietas studet, utpote credens
Fore protinus omnia viva,
Quæ nunc gelidus sopor urget.
  Qui jacta cadavera passim
Miserans tegit aggere terræ,
Opus exhibet ille benignum
Christo pius omnipotenti.
  Quin lex eadem monet omnes
Gemitum dare sorte sub una,
Cognataque funera nobis
Aliena in morte dolore.
  Sancti sator ille Tobiæ,
Sacer ac venerabilis heros.
Dapibus jam rite paratis
Jus prætulit exequiarum.
  Jam stantibus ille ministris,
Cyathos et fercula liquit,
Studioque accinctus humandi,
Fleto dedit ossa sepulcro.
  Veniunt mox præmia cœlo,
Pretiumque rependitur ingens:
Nam lumina nescia solis
Deus illita felle serenat.
  Jam tunc docuit Pater orbis,
Quam sit rationis egenis
Mordax et amara medela,
Cum lux animum nova vexat.
  Docuit quoque, non prius ullum
Cœlestia cernere regna [1],

[1] In edit. Torrent. legitur *Cœlestia scandere regna.* Quale illud Ennianum, vers. 372, ex Epigramm.:

Si fas cædendo cœlestia scandere cuiquam est,
  Mi soli cœli maxima porta patet.

Quam nocte et vulnere tristi
Toleraverit aspera mundi.
Mors ipsa beatior inde est,
Quod per cruciamina lethi
Via panditur ardua justis,
Et ad astra doloribus itur.
Sic corpora mortificata
Redeunt melioribus annis :
Nec post obitum recalescens
Compago fatiscere novit.
Hæc, quæ modo pallida tabo
Color albidus inficit, ora
Tunc flore venustior omni
Sanguis cute tinget amœna.
Jam nulla deinde senectus
Frontis decus invida carpet,
Macies neque sicca lacertos
Succo tenuabit adeso.
Morbus quoque pestifer, artus
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta resudans
Luet inter vincula mille [1].
Hunc eminus aëre ab alto
Victrix caro, jamque perennis
Cernet sine fine gementem,
Quos moverat ipse, dolores.
Quid turba superstes, inepta

[1] Ut ea et quæ sequuntur intelligamus, revocandum in memoriam quod poëtæ finxerunt, morbos, senectutem, aliaque hujuscemodi mala, quædam esse numina. Ita Virgilius, Æneid. vi, vers. 273 :

Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
. . . .
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus.

Clangens ululamina miscet?
Cur tam bene condita jura,
Luctu dolor arguit amens?
Jam mœsta quiesce querela:
Lacrymas suspendite, matres:
Nullus sua pignora plangat:
Mors hæc reparatio vitæ est.
Sic semina sicca virescunt,
Jam mortua, jamque sepulta;
Quæ reddita cespite ab imo
Veteres meditantur aristas.
Nunc suscipe terra fovendum,
Gremioque hunc concipe molli:
Hominis tibi membra sequestro,
Generosa et fragmina credo.
Animæ fuit hæc domus olim
Factoris ab ore creatæ:
Fervens habitavit in istis
Sapientia principe Christo.
Tu depositum tege corpus:
Non immemor illa requiret
Sua munera fictor et auctor,
Propriique ænigmata vultus.
Veniant modo tempora justa,
Cum spem Deus impleat omnem;
Reddas patefacta necesse est,
Qualem tibi trado figuram.
Non, si cariosa vetustas
Dissolverit ossa favillis,
Fueritque ciniscufus arens,
Minimi mensura pugilli;
Nec, si vaga flamina, et auræ
Vacuum per inane volantes,

Tulerint cum pulvere nervos :
Hominem periisse licebit.
  Sed dum resolubile corpus
Revocas, Deus, atque reformas,
Quanam regione jubebis
Animam requiescere puram?
  Gremio senis addita sancti
Recubabit, ut illa Lazari,
Quem floribus undique septum
Dives procul aspicit ardens.
  Sequimur tua dicta, Redemptor,
Quibus atra e morte triumphans,
Tua per vestigia mandas
Socium crucis ire latronem.
  Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida jam paradisi,
Licet et nemus illud adire,
Homini quod ademerat anguis.
  Illic, precor, optime ductor,
Famulam tibi præcipe mentem
Genitali in sede sacrari,
Quam liquerat exul et errans.
  Nos tecta fovebimus ossa
Violis et fronde sequenti [1] :
Titulumque et frigida saxa
Liquido spargemus odore.

[1] Eo loci Prudentius secutus est Virgilium, qui Eclog. v, vers. 40, lugens Daphnim pastorem mortuum, his versibus declarat quænam ipsi parandæ sint exequiæ :

> Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
> Pastores : mandat fieri sibi talia Daphnis,
> Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen.

HYMNUS XI.

OCTAVO CALENDAS JANUARIAS.

Quid est quod arctum circulum
Sol jam recurrens deserit?
Christus-ne terris nascitur,
Qui lucis auget tramitem?
Heu quam fugacem gratiam
Festina volvebat dies!
Quam pene subductam facem
Sensim recisa extinxerat!
Cœlum nitescat lætius,
Gratetur et gaudens humus:
Scandit gradatim denuo
Jubar priores lineas.
Emerge, dulcis pusio,
Quem mater edit castitas,
Parens et expers conjugis,
Mediator et duplex genus.
Ex ore quamlibet Patris
Sis ortus, et Verbo editus,
Tamen paterno in pectore
Sophia callebas prius.
Quæ prompta cœlum condidit,
Cœlum, diemque, et cætera:
Virtute Verbi effecta sunt
Hæc cuncta: nam Verbum Deus.
Sed ordinatis sæculis,
Rerumque digesto statu,
Fundator ipse et artifex
Permansit in Patris sinu:
Donec rotata annalium

Transvolverentur millia ;
Atque ipse peccantem diu
Dignatus orbem viseret.
Nam cæca vis mortalium ,
Venerans inanes nænias ,
Vel æra, vel saxa algida ,
Vel ligna credebat Deum.
Hæc dum sequuntur , perfidi
Prædonis in jus venerant ,
Et mancipatam fumido
Vitam barathro immerserant.
Stragem sed istam non tulit
Christus cadentum gentium
Impune , ne forsan sui
Patris periret fabrica.
Mortale corpus induit ,
Ut excitato corpore
Mortis catenam frangeret ,
Hominemque portaret Patri.
Hic ille natalis dies ,
Quo te creator arduus
Spiravit, et limo indidit ,
Sermone carnem glutinans.
Sentis-ne , Virgo nobilis ,
Matura per fastidia ,
Pudoris intactum decus
Honore partus crescere ?
O quanta rerum gaudia
Alvus pudica continet !
Ex qua novellum sæculum
Procedit , et lux aurea.
Vagitus ille exordium
Vernantis orbis prodidit :

Nam tunc renatus sordidum
Mundus veternum depulit.
Sparsisse tellurem reor
Rus omne densis floribus,
Ipsasque arenas Syrtium
Fragrasse nardo et nectare.
Te cuncta nascentem, puer [1],
Sensere dura et barbara :
Victusque saxorum rigor
Obduxit herbam cotibus.
Jam mella de scopulis fluunt :
Jam stillat ilex arido
Sudans amomum stipite :
Jam snnt myricis balsama.
O sancta præsepis tui,
Æterne Rex, cunabula,
Populisque per sæclum sacra,
Mutis et ipsis credita!
Adorat hæc brutum pecus :
Indocta turba scilicet,
Adorat excors natio,
Vis cujus in pastu sita est.
Sed cum fideli spiritu
Concurrat ad præsepia
Pagana gens, et quadrupes,
Sapiatque, quod brutum fuit;
Negat patrum prosapia,
Perosa præsentem Deum.
Credas venenis ebriam,

[1] Eodem modo Virgilius, Egl. IV, vers. 18 :

At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.

Furiisve lymphatam rapi.
 Quid prona per scelus ruis?
Agnosce, si quidquam tibi
Mentis resedit integræ,
Ducem tuorum principum.
 Hunc, quem latebra, ot obstetrix,
Et virgo fœta, et cunulæ,
Et imbecilla infantia,
Regem dederunt gentibus,
 Peccator, intueberis
Celsum coruscis nubibus,
Dejectus ipse, et irritis
Plangens reatum fletibus.
 Cum vasta signum buccina
Terris cremandis miserit
Et scissus axis cardinem
Mundi ruentis solverit;
 Insignis ipse et præminens
Meritis rependet congrua,
His lucis usum perpetis,
Illis gehennam et tartarum.
 Judæa, tunc fulmen crucis
Experta, qui sit, senties,
Quem, te furoris præsule,
Mors hausit, et mox reddidit.

HYMNUS XII.

EPIPHANIÆ.

 Quicumque Christum quæritis,
Oculos in altum tolite:

Illic licebit visere
Signum perennis gloriæ.
Hæc stella, quæ solis rotam
Vincit decore ac lumine,
Venisse terris nuntiat
Cum carne terrestri Deum.
Non illa servit noctibus,
Secuta lunam menstruam :
Sed sola cœlum possidens,
Cursum dierum temperat.
Arctoa quamvis sidera
In se retortis motibus
Obire nolint, attamen
Plerumque sub nimbis latent.
Hoc sidus æternum manet :
Hæc stella nunquam mergitur :
Nec nubis occursu abdita
Obumbrat obductam facem.
Tristis cometa intercidat,
Et, si quod astrum Sirio
Fervet vapore, jam Dei
Sub luce destructum cadat.
En Persici ex orbis sinu,
Sol unde sumit januam,
Cernunt periti interpretes
Regale vexillum Magi.
Quod ut refulsit, cæteri
Cessere signorum globi :
Nec pulcher est ausus suam
Conferre formam Lucifer
Quis iste tantus, inquiunt,
Regnator, astris imperans,
Quem sic tremunt cœlestia,

Cui lux et æthra inserviunt?
Illustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum interminum,
Antiquius cœlo et chao.
Hic ille Rex est gentium,
Populique rex Judaïci,
Promissus Abrahæ patri,
Ejusque in ævum semini.
Æquanda nam stellis sua
Cognovit olim germina,
Primus sator credentium,
Nati immolator unici.
Jam flos subit Davidicus
Radice Jessæa editus,
Sceptrique per virgam virens
Rerum cacumen occupat.
Exin sequuntur perciti
Fixis in altum vultibus,
Qua stella sulcum traxerat,
Claramque signabat viam.
Sed verticem pueri supra
Signum pependit imminens,
Pronaque summissum face
Caput sacratum prodidit.
Videre quod postquam Magi,
Eoa promunt munera,
Stratique votis offerunt
Thus, myrrham, et aurum regium.
Agnosce clara insignia
Virtutis ac règni tui,
Puer o, cui trinàm Pater
Prædestinavit indolem.

Regem Deumque annuntiant
Thesaurus et fragrans odor
Thuris Sabæi : ac myrrheus
Pulvis sepulcrum prædocet.
Hoc, hoc sepulcrum, quo Deus,
Dum corpus extingui sinit,
Atque id sepultum suscitat,
Mortis refregit carcerem.
O sola magnarum urbium
Major Bethlem; cui contigit
Ducem salutis cœlitus
Incorporatum gignere!
Altrice te, summo Patri
Hæres creatur unicus,
Homo ex Tonantis spiritu,
Idemque sub membris Deus.
Hunc et Prophetis testibus,
Iisdemque signatoribus,
Testator et sator jubet
Adire regnum et cernere :
Regnum, quod ambit omnia,
Dia [1], et marina, et terrea,
A solis ortu ad exitum,
Et tartara et cœlum supra.
Audit tyrannus anxius
Adesse regum Principem,

[1] Erasmus improbat hanc lectionem, ac legit *Diva.* Tamen illo adjectivo usi sunt, et Virgilius lib. XI, vers. 657:

. . . Quos ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit . . . .

et Persius, Satyr. I, vers. 30:

. . . . Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poëmata narrent.

Qui nomen Israël regat
Teneatque David regiam.
Exclamat amens nuntio :
Successor instat, pellimur :
Satelles, i, ferrum rape,
Perfunde cunas sanguine.
Mas omnis infans occidat :
Scrutare nutricum sinus,
Interque materna ubera
Ensem cruentet pusio.
Suspecta per Bethlem mihi
Puerperarum est omnium
Fraus, ne qua furtim subtrahat
Prolem virilis indolis.
Transfigit ergo carnifiex
Mucrone districto furens
Effusa nuper corpora,
Animasque rimatur novas.
Locum minutis artubus
Vix interemptor invenit,
Quo plaga descendat patens,
Juguloque major pugio est.
O barbarum spectaculum !
Illisa cervix cautibus
Spargit cerebrum lacteum,
Oculosque per vulnus vomit.
Aut in profundum palpitans
Mersatur infans gurgitem :
Cui subter arctis faucibus
Singultat unda et halitus.
Salvete flores Martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit

Ceu turbo nascentes rosas.
Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipsam simplices
Palma et coronis luditis.
Quo proficit tantum nefas?
Quid crimen Herodem juvat?
Unus tot inter funera
Impune Christus tollitur.
Inter coævi sanguinis
Fluenta solus integer:
Ferrum, quod orbabat nurus,
Partus fefellit virginis.
Sic stulta Pharaonis mali
Edicta quondam fugerat,
Christi figuram præferens
Moses, receptor civium.
Cautum et statutum jus erat,
Quo non liceret matribus,
Cum pondus alvi absolverent,
Puerile pignus tollere.
Mens obstetricis sedulæ
Pie in tyrannum contumax,
Ad spem potentis gloriæ
Furata servat parvulum:
Quem mox sacerdotem sibi
Assumpsit orbis Conditor,
Per quem notatam saxeis
Legem tabellis traderet.
Licet-ne Christum noscere
Tanti per exemplum viri?
Dux ille cæso Ægyptio
Absolvit Israël jugo.

At nos, subactos jugiter
Erroris imperio gravi,
Dux noster hoste saucio
Mortis tenebris liberat.
Hic expiatam fluctibus
Plebem marino in transitu
Repurgat undis dulcibus,
Lucis columnam præferens.
Hic præliante exercitu,
Pansis in altum brachiis,
Sublimis Amalec premit
Crucis quod instar tunc fuit.
Hic nempe Jesus verior:
Qui longa post dispendia,
Victor suis tribulibus
Promissa solvit jugera:
Qui ter quaternas denique
Refluentis amnis alveo
Fundavit et fixit petras,
Apostolorum stemmata.
Jure ergo se Judæ ducem
Vidisse testantur Magi,
Cum facta priscorum ducum
Christi figuram pinxerint.
Hic Rex priorum Judicum,
Rexere qui Jacob genus,
Dominæque rex Ecclesiæ,
Templi et novelli et pristini.
Hunc posteri Ephraïm colunt,
Hunc sancta Manassæ domus,
Omnesque suscipiunt tribus,
Bissena fratrum semina.
Quin et propago degener

Ritum secuta inconditum,
Quæcumque dirum fervidis
Baal caminis coxerat:
  Fumosa avorum numina,
Saxum, metallum, stipitem,
Rasum, dolatum, sectile,
In Christi honorem deserit.
  Gaudete, quidquid gentium est,
Judæa, Roma, et Græcia,
Ægypte, Thrax, Persa, Scytha:
Rex unus omnes possidet.
  Laudate vestrum Principem
Omnes beati, ac perditi,
Vivi, imbecilli, ac mortui:
Jam nemo posthac mortuus.

CATHEMERINON LIBRI FINIS.

AURELII PRUDENTII
CLEMENTIS V. C.
IN LIBRUM PERI STEPHANON
ID EST, DE CORONIS.
PRÆFATIO.

Immolat Deo Patri
   Pius, fidelis, innocens, pudicus,
Dona conscientiæ,
   Quibus beata mens abundat intus :
Alter et pecuniam
   Recidit, unde victitent egeni.
Nos citos iambicos
   Sacramus et rotalites trochæos
Sanctitatis indigi,
   Nec ad levamen pauperum potentes :
Approbat tamen Deus
   Pedestre carmen, et benignus audit.
Multa divitis domo
   Sita est per omnes angulos supellex.
Fulget aureus scyphus
   Nec ære defit expolita pelvis :
Est et olla fictilis,
   Gravisque et ampla argentea est paropsis :
Sunt eburna quæpiam :
   Nonnulla quercu sunt cavata et ulmo ;

Omne vas fit utile,
Quod est ad usum congruens herilem :
Instruunt enim domum,
Ut empta magno, sic parata ligno.
Me paterno in atrio,
Ut obsoletum vasculum, caducis
Christus aptat usibus;
Sinitque parte in anguli manere.
Munus ecce fictile
Inimus intra regiam salutis :
Attamen vel infimam
Deo obsequelam præstitisse prodest.
Quidquid illud accidet,
Juvabit ore personasse Christum.

HYMNUS I.

IN HONOREM PASSIONIS EMETERII ET CHELIDONII CALAGURRITANORUM MARTYRUM.

Scripta sunt cœlo duorum Martyrum vocabula,
Aureis quæ Christus illic annotavit litteris :
Sanguinis notis eadem scripta terris tradidit.
Pollet hoc felix per orbem terra Hibera stemmate.
Hic locus dignus tenendis ossibus visus Deo,
Qui beatorum pudicus esset hospes corporum.
Hic calentes hausit undas cæde tinctus duplici.
Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes voce, votis, munere.
Exteri nec non et orbis huc colonus advenit :
Fama nam terras in omnes percucurrit proditrix,

Hic patronos esse mundi, quos precantes ambiant.
Nemo puras hic rogando frustra congessit preces:
Lætus hinc tersis revertit supplicator fletibus,
Omne, quod justum poposcit, impetratum sentiens.
Tanta pro nostris periclis cura suffragantium est.
Non sinunt, inane ut ullus voce murmur fuderit:
Audiunt, statimque ad aurem Regis æterni ferunt.
Inde larga fonte ab ipso dona terris influunt,
Supplicum causas [1] petitis quæ medelis irrigant.
Nil suis bonus negavit Christus unquam testibus:
Testibus, quos nec catenæ, dura nec mors terruit
Unicum Deum fateri sanguinis dispendio:
Sanguinis sed tale damnum lux rependit longior.
Hoc genus mortis decorum est, hoc probis dignum viris.
Membra morbis exedenda, texta venis languidis,
Hostico donare ferro, morte et hostem vincere.
Pulchra res ictum sub ense persecutoris pati.
Nobilis per vulnus amplum porta justis panditur;
Lota mens in fonte rubro sede cordis exilit.
Nec rudem crudi laboris ante vitam duxerant
Milites; quos ad perenne cingulum Christus vocat
Sueta virtus bello et armis, militat sacrariis.
Cæsaris vexilla linquunt, eligunt signum crucis:
Proque ventosis draconum, quos gerebant, palliis,
Præferunt insigne lignum, quod draconem subdidit.
Vile censent, expeditis ferre dextris spicula;
Machinis murum ferire; castra fossis cingere;
Impias manus cruentis inquinare stragibus.
Forte tunc atrox secundos Israëlis posteros

[1] Ant. Nebrissensis per *causas* intelligit morbos; quia *causarii milites* dicuntur a Livio lib. VII, qui propter valetudinem a militia solvuntur: et ab Ulpiano dicitur *missio causaria*, quæ milites propter morbum a laboribus militiæ solvit et a sacramento militari.

Ductor aulæ mundialis iræ ad aram jusserat,
Idolis litare nigris, esse Christi defugas.
  Liberam succincta ferro pestis urgebat fidem:
Illa virgas, et secures, et bisulcas ungulas
Ultro fortis expetebat, Christi amore interrita.
  Carcer illigata duris colla baccis impedit.
Barbaras forum per omne tortor exercet manus:
Veritas crimen putatur: vox fidelis plectitur.
  Tunc et ense cæsa virtus triste percussit solum,
Et rogis ingesta mœstis ore flammas sorbuit.
Dulce tunc justis cremari; dulce ferrum perpeti.
  Hic duorum chara fratrum concalescunt pectora,
Fida quos per omne tempus junxerat sodalitas.
Stant parati ferre, quidquid sors tulisset ultima:
  Seu foret præbenda cervix ad bipennem publicam,
Verberum post vim crepantum, post catastas igneas;
Sive pardis offerendum pectus, aut leonibus.
  Nos-ne Christo procreati mammonæ dicabimur,
Et Dei formam gerentes serviemus sæculo?
Absit, ut cœlestis ignis se tenebris misceat,
  Sit satis, quod capta primo vita sub chirographo,
Debitum persolvit omne, functa rebus Cæsaris:
Tempus est Deo rependi, quidquid est proprium Dei.
  Ite, signorum magistri: et vos, tribuni, absistite.
Aureos auferte torques [1], sauciorum præmia:
Clara nos hinc Angelorum jam vocant stipendia.
  Christus illic candidatis præsidet cohortibus,
Et throno regnans ab alto, damnat infames Deos,

[1] Insignia militaria, quæ tum temporis dabantur pro vulneribus in prælio acceptis, ut apud nostrates et apud exteros nunc dantur insignia crucium vel numismatum. Modestinus lib. de vocabul. rei milit. notat torquarios duplares, torquarios simplares, quibus torques aureus solidæ virtutis præmium fuit.

Vosque, qui ridenda vobis monstra Divos fingitis.
Hæc loquentes obruuntur mille pœnis Martyres :
Nexibus manus utrasque flexus involvit rigor,
Et chalybs attrita colla gravibus ambit circulis.
O vetustatis silentis obsoleta oblivio !
Invidentur ista nobis, fama et ipsa extinguitur.
Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit,
Ne tenacibus libellis erudita sæcula,
Ordinem, tempus modumque passionis proditum,
Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent.
Hoc tamen solum vetusta subtrahunt silentia,
Jugibus longum catenis an capillum paverint :
Quo viros dolore tortor, quave pompa ornaverit.
Illa laus occulta non est, nec senescit tempore,
Missa quod sursum per auras evolarunt munera,
Quæ viam patere cœli præmicando ostenderent.
Illius fidem figurans, nube fertur annulus :
Hic sui dat pignus oris, ut ferunt, orarium :
Quæ superno rapta flatu lucis intrant intimum.
Per poli liquentis axem fulgor auri absconditur :
Ac diu visum sequacem textilis candor fugit :
Subvehuntur usque in astra, nec videntur amplius.
Vidit hoc conventus astans : ipse vidit carnifex ;
Et manum repressit hærens, ac stupore obpalluit :
Sed tamen peregit ictum, ne periret gloria.
Jam-ne credis, bruta quondam Vasconum gentilitas,
Quam sacrum crudelis error immolarit sanguinem ?
Credis, in Deum relatos hostiarum spiritus ?
Cerne, quam palam feroces hic domantur dæmones,
Qui lupino capta ritu devorant præcordia,
Strangulant mentes et ipsas, seque miscent sensibus.
Tunc, suo jam plenus hoste, sistitur furens homo,
Spumeas efflans salivas, cruda torquens lumina,

Expiandus quæstione non suorum criminum.
Audias, nec tortor astat, ejulatus flebiles :
Scinditur per flagra corpus, nec flagellum cernitur :
Crescit et suspensus ipse vinculis latentibus.
Ilis modis spurcum latronem Martyrum virtus quatit :
Hæc coërcet, torquet, urit, hæc catenas incutit :
Prædo vexatus relictis se medullis exuit.
Linquit illæsam rapinam : faucibus siccis fugit :
Ungue ab imo usque ad capillum salva reddit omnia,
Confitens ardere sese : nam gehennæ est incola.
Quid loquar purgata longis alba morbis corpora?
Algidus cum decoloros horror artus concutit,
Hic tumor vultum relinquit, hic color verus redit.
Hoc bonum Salvator ipse, quo fruamur, præstitit,
Martyrum cum membra nostro consecravit oppido :
Sospitant quæ nunc colonos, quos Iliberus alluit.
State nunc, hymnistæ matres, pro receptis parvulis :
Conjugum salute læta vox maritarum strepat :
Sit dies hæc festa nobis, sit sacratum gaudium.

HYMNUS II

IN HONOREM PASSIONIS LAURENTII BEATISSIMI MARTYRIS.

Antiqua fanorum parens,
Jam Roma Christo dedita,
Laurentio victrix duce
Ritum triumphas barbarum.
Reges superbos viceras,
Populosque frenis presseras :
Nunc monstruosis idolis

Imponis imperii jugum.
  Hæc sola deerat gloria
Urbis togatæ insignibus,
Feritate capta gentium
Domaret ut spurcum Jovem.
  Non turbulentis viribus
Cossi, Camilli, aut Cæsaris;
Sed martyris Laurentii
Non incruento prælio.
  Armata pugnavit Fides,
Proprii cruoris prodiga:
Nam morte mortem diruit,
Ac semet impendit sibi.
  Fore hoc sacerdos dixerat
Jam Xystus, affixus cruci,
Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite:
  Desiste discessu meo
Fletum dolenter fundere:
Præcedo, frater; tu quoque
Post hoc sequeris triduum.
  Extrema vox episcopi
Prænuntiatrix gloriæ
Nihil fefellit: nam dies
Prædicta palmam præstitit.
  Qua voce, quantis laudibus
Celebrabo mortis ordinem?
Quo passionem carmine
Digne retexens concinam?
  Hic primus e septem viris,
Qui stant ad aram proximi,
Levita sublimis gradu,
Et cæteris præstantior.

Claustris sacrorum præerat,
Cœlestis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus,
Votasque dispensans opes.
Versat famem pecuniæ
Præfectus urbi regiæ,
Minister insani ducis,
Exactor auri et sanguinis,
Qua vi latentes eruat
Nummos, operta existimans
Talenta sub sacrariis,
Cumulosque congestos tegi.
Laurentium sisti jubet:
Exquirit arcam ditibus
Massis refertam, et fulgidæ
Montes monetæ conditos.
Soletis, inquit, conqueri,
Sævire nos justo amplius,
Cum Christiana corpora
Plus quam cruente scindimus.
Abest atrocioribus
Censura fervens motibus:
Blande et quiete efflagito,
Quod sponte obire debeas.
Hunc esse vestris orgiis
Moremque et artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent ut oro antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris,
Astare fixos cereos.
Tum summa cura est fratribus,

Ut sermo testatur loquax,
Offerre fundis venditis
Sestertiorum millia.
Addicta avorum prædia
Fœdis sub auctionibus
Successor exhæres gemit,
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur additis
Ecclesiarum in angulis :
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.
Deprome thesauros, malis
Suadendo quos præstigiis
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis specu.
Hoc poscit usus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarium,
Ut didita stipendiis
Ducem juvet pecunia.
Sic dogma vestrum est, audio :
Suum quibusque reddito.
En Cæsar agnoscit suum
Numisma nummis inditum.
Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da : nempe justum postulo,
Ni fallor, haud ullam tuus
Signat Deus pecuniam.
Nec, cum veniret, aureos
Secum Philippos detulit [1] :

[1] Genus nummi aurei a Philippo Macedonum rege sic appellatum. Horat. lib. II. Epist. I. vers. 233.

Chœrilus, incultis qui versibus et male natis
Retulit acceptos, regale numisma, Philippos.

Præcepta sed verbis dedit,
Inanis a marsupio.
Implete dictorum fidem,
Quam vos per orbem venditis:
Nummos libenter reddite:
Estote verbis divites.
Nil asperum Laurentius
Refert ad ista, aut turbidum:
Sed, ut paratus obsequi,
Obtemperanter annuit.
Est dives, inquit, non nego,
Habetque nostra Ecclesia
Opumque et auri plurimum,
Nec quisquam in orbe est ditior.
Is ipse tantum non habet
Argenteorum ænigmatum
Augustus, arcem possidens,
Cui nummus omnis scribitur.
Sed nec recuso prodere
Locupletis arcam numinis:
Vulgabo cuncta et proferam
Pretiosa, quæ Christus tenet.
Unum sed orans flagito;
Induciarum paululum,
Quo fungar efficacius
Promissionis munere;
Dum tota digestim mihi
Christi supellex scribitur:
Nam calculanda primitus,
Tum subnotanda est summula.
Lætus tumescit gaudio
Præfectus, ac spe devorat
Aurum, velut jam conditum

Domi maneret, gestiens.
Pepigere tempus tridui:
Laudatus inde absolvitur
Laurentius, sponsor sui,
Et sponsor ingentis lucri.
Tribus per orbem cursitat
Diebus, infirma agmina,
Omnesque, qui poscunt stipem,
Cogens in unum et congregans.
Illic utrisque obtutibus
Orbes cavatos præferens,
Baculo regebat prævio
Errore nutantem gradum:
Et claudus infracto genu,
Vel crure trunco semipes,
Breviorve planta ex altera,
Gressum trahebat imparem.
Est, ulcerosis artubus
Qui tabe corrupta fluat:
Est, cujus arens dextera
Nervos in ulnam contrahat.
Tales plateis omnibus
Exquirit, assuetos ali
Ecclesiæ matris penu,
Quos ipse promus noverat.
Recenset exin singulos,
Scribens viritim nomina:
Longo et locatos ordine
Astare pro templo jubet.
Præscriptus et jam fluxerat
Dies: furebat fervido
Judex avarus spiritu,
Promissa solvi efflagitans.

Tum Martyr : Assistas velim,
Coramque dispositas opes
Mirere, quas noster Deus
Prædives in sanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere vasis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
It ille, nec pudet sequi.
Ventum ad sacratam januam :
Stabant catervæ pauperum,
Inculta visu examina.
Fragor rogantum tollitur :
Præfectus horrescit stupens,
Conversus in Laurentium,
Oculisque turbatis minax.
Contra ille : Quid frendens, ait,
Minitaris? aut quid displicet?
Num sordida hæc, aut vilia?
Num despuenda existimas?
Aurum, quod ardenter sitis,
Effossa gignunt rudera;
Et de metallis squalidis
Pœnalis excudit labor :
Torrens vel amnis turbidis
Volvens arenis implicat :
Quod terrulentum ac sordidum
Flammis necesse est decoqui.
Pudor per aurum solvitur :
Violatur auro integritas :
Pax occidit : fides perit :
Leges et ipsæ intercidunt.
Quid tu venenum gloriæ

Extollis, et magni putas?
Si quæris aurum verius;
Lux est, et humanum genus.
Hi sunt alumni luminis,
Quos corpus arctat debile,
Ne per salutem viscerum
Mens insolescat turgida.
Cum membra morbus disjicit,
Animus viget robustior:
Membris vicissim fortibus
Vis sauciatur sensuum.
Nam sanguis in culpam calens
Minus ministrat virium,
Si fervor effœtus malis
Elumbe virus contrahat.
Si forte detur optio,
Malim dolore asperrimo
Fragmenta membrorum pati,
Et pulcher intus vivere.
Committe formas pestium,
Et confer alternas lues:
Carnis-ne morbus fœdior,
An mentis et morum ulcera?
Nostri per artus debiles,
Intus decoris integri,
Sensum venusti innoxium
Languoris expertes gerunt,
Vestros valentes corpore
Interna corrumpit lepra;
Errorque mancum claudicat,
Et cæca fraus nihil videt.
Quemvis tuorum divitum,
Qui veste et ore prænitent,

Magis probabo debilem,
Quam quis meorum est pauperum.
  Hunc, qui superbit serico,
Quem currus inflatum vehit,
Hydrops aquosus lucido
Tendit veneno intrinsecus.
  Ast hic avarus contrahit
Manus recurvas, et volam
Plicans aduncis unguibus,
Laxare nervos non valet.
  Istum libido fœtida
Per scorta tractum publica
Luto et cloacis inquinat,
Dum spurca mendicat stupra.
  Quid ille fervens ambitum,
Sitimque honoris æstuans,
Mersis-ne anhelat febribus,
Atque igne venarum furit?
  Quisquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere;
Vexatur, et scalpit jecur,
Scabiemque cordis sustinet.
  Quid invidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta et livida
Malignitatum vulnera?
  Tute ipse, qui Romam regis,
Contemptor æterni Dei,
Dum dæmonum sordes coles,
Morbo laboras regio.
  Hi, quos superbus despicis,
Quos execrandos judicas,
Brevi ulcerosos exuent

Artus, et incolumes erunt:
Cum carne corruptissima
Tandem soluti ac liberi,
Pulcherrimo vitæ statu
In arce lucebunt Patris:
Non sordidati aut debiles,
Sicut videntur interim;
Sed purpurantibus stolis
Clari et coronis aureis.
Tum si facultas suppetat,
Coram tuis obtutibus
Istos potentes sæculi
Velim recensendos dari.
Pannis videres obsitos,
Et muculentis naribus,
Mentum salivis uvidum,
Lipposque palpebra putri.
Peccante nil est tetrius,
Nil tam leprosum, aut putidum:
Cruda est cicatrix criminum,
Oletque, ut antrum tartari.
Animabus inversa vice
Corrupta forma infligitur,
Quas pulcher aspectus prius
In corpore oblectaverat.
En ergo nummos aureos,
Quos proxime spoponderam,
Quos nec favillis obruat
Ruina, nec fur subtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Christum putes:
Gemmas corusci luminis,
Ornatur hoc templum quibus.

Cernis sacratas virgines,
Miraris intactas anus,
Primique post damnum thori
Ignis secundi nescias.
Hoc est monile Ecclesiæ :
His illa gemmis comitur :
Dotata sic Christo placet :
Sic ornat altum verticem.
Eccum talenta; suscipe.
Ornabis urbem Romulam,
Ditabis et rem principis,
Fies et ipse ditior
Ridemur, exclamat fremens
Præfectus, ac miris modis
Per tot figuras ludimur!
Et vivit insanum caput!
Impune tantas, furcifer,
Strophas cavillo mimico
Te nexuisse existimas,
Dum scurra saltas fabulam?
Concinna visa urbanitas,
Tractare nosmet ludicris?
Ergon' cachinnis venditus
Acroma[1] festivum fui?
Adeo-ne nulla austeritas,
Censura nulla est fascibus?
Adeon' securem publicam
Mollis retundit lenitas?
Dicis : Libenter oppetam,
Votiva mors est martyri.

[1] Vel potius *Acroama*, ἀκρόαμα, *auditio* latine, pro festiva et jucunda narratione accipitur. Cicero pro Archia poëta : *Quum ab eo quæreretur, quod acroama aut cujus vocem libentissime audiret.*

Est ista vobis, novimus,
Persuasionis vanitas.
Sed non volenti impertiam,
Præstetur ut mortis citæ
Compendiosus exitus:
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, et differam
Pœnis morarum jugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
Ne fervor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
Vapor senescens langueat,
Qui fusus afflatu levi
Tormenta sensim temperet
Semiustulati corporis.
Bene est, quod ipse ex omnibus
Mysteriarches incidit [1]:
Hic solus exemplum dabit,
Quid mox timere debeant.
Conscende constratum rogum:
Decumbe digno lectulo:
Tunc, si libebit, disputa
Nil esse Vulcanum meum.
Hæc fante Præfecto, truces
Hinc inde tortores parant
Nudare amictu Martyrem,
Vincire membra, et tendere.
Illi os decore splenduit;

[1] Sic Laurentium archidiaconum appellat, quod diaconi fideles de mysteriis erudirent.

Fulgorque circumfusus est
Talem revertens Legifer
De monte vultum detulit:
  Judæa quem plebs aureo
Bove inquinata et decolor
Expavit, et faciem retro
Detorsit impatiens Dei,
  Talemque et ille prætulit
Oris corusci gloriam
Stephanus, per imbrem saxeum
Cœlos apertos intuens.
  Illuminatum hoc eminus
Recens piatis fratribus,
Baptisma quos nuper datum
Christi capaces fecerat.
  Ast impiorum cæcitas,
Os oblitum noctis situ,
Nigrante sub velamine
Obducta, clarum non videt.
  Ægyptiæ plagæ in modum,
Quæ, cum tenebris barbaros
Damnaret, Hebræis diem
Sudo exhibebat lumine.
  Quin ipsa odoris qualitas,
Adusta quam reddit cutis,
Diversa utrosque permovet:
His nidor, illis nectar est.
  Idemque sensus dispari
Variatus aura, aut afficit
Horrore nares vindice,
Aut mulcet oblectamine.
  Sic ignis æternus Deus:
Nam Christus ignis verus est:

Is ipse complet lumine
Justos, et urit noxios.
Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Ultro e catasta judicem
Compellat affatu brevi:
Converte partem corporis
Satis crematam jugiter,
Et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inverti jubet.
Tunc ille: Coctum est, devora;
Et experimentum cape,
Sit crudum an assum suavius.
Hæc ludibundus dixerat:
Cœlum deinde suspicit,
Et congemiscens obsecrat,
Miseratus urbem Romulam:
O Christe, numen unicum,
O splendor, o virtus Patris,
O factor orbis et poli,
Atque auctor horum mœnium:
Qui sceptra Romæ in vertice
Rerum locasti, sanciens
Mundum Quirinali togæ
Servire, et armis cedere:
Ut discrepantum gentium
Mores et observantiam,
Linguasque, et ingenia, et sacra,
Unis domares legibus.
En omne sub regnum Remi
Mortale concessit genus:
Idem loquuntur dissoni

Ritus, idipsum sentiunt.
Hoc destinatum, quo magis
Jus Christiani nominis,
Quodcumque terrarum jacet,
Uno illigaret vinculo.
Da, Christe, Romanis tuis,
Sit Christiana ut civitas,
Per quam dedisti, ut cæteris
Mens una sacrorum foret.
Confœderantur omnia
Hinc inde membra in symbolum.
Mansuescit orbis subditus:
Mansuescat et summum caput.
Advertat, abjunctas plagas
Coire in unam gratiam:
Fiat fidelis Romulus;
Et ipse jam credat Numa.
Confundit error Troïcus
Adhuc Catonum curiam,
Veneratus occultis focis
Phrygum penates exules.
Janum bifrontem et Sterculum
Colit Senatus, (horreo
Tot monstra Patrum dicere),
Et festa Saturni senis.
Abstergc, Christe, hoc dedecus;
Emitte Gabriel tuum;
Agnoscat ut verum Deum
Errans Iüli cæcitas[1].
Et jam tenemus obsides

[1] Iülum Ascanium, Æneæ filium, tanquam nominis Romani conditorem pro ipsis Romanis posuit Prudentius. Virgilius, Æneid. lib. 1. vers. 292. ait: Julius, a magno demissum nomen Iülo.

Fidissimos hujus spei :
Hic nempe jam regnant duo
Apostolorum principes :
Alter vocator gentium ;
Alter, cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Æternitatis januas.
Discede, adulter Juppiter,
Stupro sororis oblite :
Relinque Romam liberam,
Plebemque jam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat ;
Te sanguis exturbat Petri :
Tibi id, quod ipse armaveras,
Factum Neronis officit.
Video futurum principem
Quandoque, qui servus Dei
Tetris sacrorum sordibus
Servire Romam non sinat :
Qui templa claudat vectibus,
Valvas eburnas obstruat ;
Nefasta damnet limina,
Obdens ahenos pessulos.
Tunc pura ab omni sanguine
Tandem nitebunt marmora :
Stabunt et æra innoxia,
Quæ nunc habentur idola.
Hic finis orandi fuit,
Et finis idem vinculi
Carnalis : erupit volens
Vocem secutus spiritus.
Vexere corpus subditis
Cervicibus quidam Patres,

Quos mira libertas viri
Ambire Christum suaserat.
Repens medullas indoles
Afflarat, et coëgerat
Amore sublimis Dei
Odisse nugas pristinas.
Refrixit ex illo die
Cultus Deorum turpium :
Plebs in sacellis rarior :
Christi ad tribunal curritur.
Sic dimicans Laurentius
Non ense præcinxit latus :
Hostile sed ferrum retro
Torquens in auctorem tulit.
Dum dæmon invictum Dei
Testem lacessit prælio,
Perfossus ipse concidit,
Et stratus æternum jacet.
Mors illa sancti Maryris,
Mors vera templorum fuit :
Tunc Vesta Palladios lares
Impune sensit deseri.
Quidquid Quiritum sueverat
Orare simpuvium Numæ,
Christi frequentans atria,
Hymnis resultat Martyrem.
Ipsa et Senatus lumina,
Quondam Luperci et Flamines,
Apostolorum et Martyrum
Exosculantur limina.
Videmus illustres domos,
Sexu ex utroque nobiles,
Offerre votis pignora

Clarissimorum liberum.
Vittatus olim pontifex
Ascitur in signum crucis;
Ædemque, Laurenti, tuam
Vestalis intrat Claudia.
O ter quaterque et septies
Beatus urbis incola;
Qui te, ac tuorum comminus
Sedem celebrat ossuum:
Cui propter advolvi licet;
Qui fletibus spargit locum;
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmura.
Nos Vasco Hiberus dividit,
Binis remotos Alpibus,
Trans Cottianorum juga,
Trans et Pyrenas ninguidos.
Vix fama nota est, abditis
Quam plena sanctis Roma sit,
Quam dives urbanum solum
Sacris sepulcris floreat.
Sed qui caremus his bonis,
Nec sanguinis vestigia
Videre coram possumus,
Cœlum intuemur eminus.
Sic, sancte Laurenti, tuam
Nos passionem quærimus:
Est aula nam duplex tibi,
Hic corporis, mentis polo.
Illic inenarrabili
Allectus urbi municeps,
Æternæ in arce curiæ
Gestas coronam civicam.

Videor videre illustribus
Gemmis coruscantem virum :
Quem Roma cœlestis sibi
Legit perennem consulem.
Quæ sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prospere :
Poscunt, jocantur, indicant,
Et tristis haud ullus redit.
Ceu præsto semper adsies,
Tuosque alumnos urbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.
Hos inter, o Christi decus,
Audi et poëtam rusticum,
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.
Indignus, agnosco et scio,
Quem Christus ipse exaudiat :
Sed per patronos Martyres
Potest medelam consequi.
Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium,
Et servientem corpori
Absolve vinclis sæculi.

HYMNUS III.

IN HONOREM PASSIONIS EULALIÆ BEATISSIMÆ MARTYRIS.

Germine nobilis Eulalia,
Mortis et indole nobilior,
Emeritam sacra virgo suam,
Cujus ab ubere progenita est,
Ossibus ornat, amore colit.
Proximus occiduo locus est,
Qui tulit hoc decus egregium,
Urbe potens, populis locuples,
Sed mage sanguine martyrii,
Virgineoque potens titulo.
Curriculis tribus atque novem
Tres hyemes quater attigerat,
Cum crepitante pyra trepidos
Terruit aspera carnifices,
Supplicium sibi dulce rata.
Jam dederat prius indicium,
Tendere se Patris ad solium;
Nec sua membra dicata thoro :
Ipsa crepundia reppulerat,
Ludere nescia pusiola.
Spernere succina, flere rosas,
Fulva monilia respuere :
Ore severa, modesta gradu,
Moribus et nimium teneris
Canitiem meditata senum.
Ast ubi se furiata lues
Excitat in famulos Domini,

Christicolasque cruenta jubet
Thura cremare, jecur pecudis
Mortiferis adolere Deis :
  Infremuit sacer Eulaliæ
Spiritus, ingeniique ferox
Turbida frangere bella parat,
Et, rude pectus anhela Deo,
Fœmina provocat arma virum.
  Sed pia cura parentis agit,
Virgo animosa domi ut lateat,
Abdita rure, et ab urbe procul,
Ne fera sanguinis in pretium
Mortis amore puella ruat.
  Illa perosa quietis opem
Degeneri tolerare mora,
Nocte fores sine teste movet,
Septaque claustra fugax aperit :
Inde per invia carpit iter.
  Ingreditur pedibus laceris
Per loca senta situ et vepribus,
Angelico comitata choro :
Et licet horrida nox sileat,
Lucis habet tamen illa ducem.
  Sic habuit generosa patrum
Turba columniferum radium,
Scindere qui tenebrosa potens,
Nocte viam face perspicua
Præstitit, intereunte chao.
  Non aliter pia virgo, viam
Nocte secuta, diem meruit,
Nec tenebris adoperta fuit,
Regna Canopica cum fugeret,
Et super astra pararet iter.

Illa gradu cita pervigili,
Millia multa prius peragit,
Quam plaga pandat eoa polum :
Mane superba tribunal adit,
Fascibus astat et in mediis,
Vociferans : Rogo, quis furor est
Perdere præcipites animas,
Et male prodiga corda sui
Sternere rasilibus scopulis,
Omnipatremque negare Deum?
Quæritis, o miseranda manus,
Christicolum genus? en ego sum
Dæmonicis inimica sacris :
Idola protero sub pedibus :
Pectore et ore Deum fateor.
Isis, Apollo, Venus nihil est;
Maximianus et ipse nihil :
Illa nihil, quia facta manu :
Hic, manuum quia facta colit :
Frivola utraque, et utraque nihil.
Maximianus opum dominus,
Et tamen ipse cliens lapidum,
Prostituat, voveatque suis
Numinibus caput ipse suum.
Pectora cur generosa quatit?
Dux bonus, arbiter egregius,
Sanguine pascitur innocuo;
Corporibusque piis inhians,
Viscera sobria dilacerat,
Gaudet et excruciare fidem.
Ergo age, tortor, adure, seca,
Divide membra coacta luto.
Solvere rem fragilem facile est :

Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.
Talibus excitus in furias
Prætor, ait : Rape præcipitem,
Lictor, et obrue suppliciis :
Sentiat esse deos patrios,
Nec leve principis imperium.
Quam cuperem tamen, ante necem,
Si potis es, revocare tuam,
Torva puellula, nequitiam !
Respice, gaudia quanta metas :
Quæ tibi fert genialis honor.
Te lacrymis labefacta domus
Prosequitur, generisque tui
Ingemit anxia nobilitas,
Flore quod occidis in tenero,
Proxima dotibus et thalamo,
Non movet aurea pompa thori ?
Non pietas veneranda senum,
Quos temeraria debilitas ?
Ecce parata ministeria
Excruciabilis exitii.
Aut gladio feriere caput,
Aut laniabere membra feris,
Aut facibus data fumificis,
Flebiliterque ululanda tuis,
In cineres resoluta flues.
Hæc, rogo, quis labor est fugere ?
Si modicum salis eminulis
Thuris et exiguum digitis
Tangere, virgo benigna velis ;
Pœna gravis procul abfuerit.
Martyr ad ista nihil : sed enim

Infremit, inque tyranni oculos
Sputa jacit : simulacra dehinc
Dissipat, impositamque molam
Thuribulis pede prosubigit.
Nec mora : carnifices gemini
Juncea pectora dilacerant,
Et latus ungula virgineum
Pulsat utrinque, et ad ossa secat,
Eulalia numerante notas.
Scriberis ecce mihi, Domine :
Quam juvat hos apices legere,
Qui tua, Christe, tropæa notant!
Nomen et ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.
Hæc sine fletibus et gemitu
Læta canebat et intrepida :
Dirus abest dolor ex animo,
Membraque picta cruore novo,
Fonte cutem recalente lavant.
Ultima carnificina dehinc,
Non laceratio vulnifica,
Crate tenus nec arata cutis;
Flamma sed undique lampadibus
In latera stomachumque furit.
Crinis odorus ut in jugulos
Fluxerat, involitans humeris,
Quo pudibunda pudicitia
Virgineusque lateret honos,
Tegmine verticis opposito :
Flamma crepans volat in faciem,
Perque comas vegetata caput
Occupat, exuperatque apicem :
Virgo, citum cupiens obitum,

Appetit et bibit ore rogum.
Emicat inde columba repens,
Martyris os nive candidior
Visa relinquere, et astra sequi :
Spirtus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, celer, innocuus.
Colla fluunt abeunte anima,
Et rogus igneus emoritur :
Pax datur artubus exanimis,
Flatus in æthere plaudit ovans,
Templaque celsa petit volucer.
Vidit et ipse satelles avem
Fœminæ ab ore meare palam,
Obstupefactus et attonitus
Prosilit, et sua gesta fugit :
Lictor et ipse fugit pavidus.
Ecce, nivem glacialis hyems
Ingerit, et tegit omne forum :
Membra tegit simul Eulaliæ,
Axe jacentia sub gelido,
Pallioli vice linteoli.
Cedat amor lacrymantum hominum,
Qui celebrare suprema solent;
Flebile cedat et officium :
Ipsa elementa, jubente Deo,
Exequias tibi, virgo, ferunt.
Nunc locus Emerita est tumulo
Clara colonia Vettoniæ,
Quam memorabilis amnis Ana
Præterit, et viridante rapax
Gurgite mœnia pulchra lavit.
Hic, ubi marmore perspicuo
Atria luminat alma nitor

Et peregrinus, et indigena,
Reliquias cineresque sacros
Servat humus veneranda sinu.
 Tecta corusca super rutilant
De laquearibus aureolis,
Axaque cæsa solum variant:
Floribus ut rosulenta putes
Prata rubescere multimodis.
 Carpite purpureas violas,
Sanguineosque crocos metite;
Non caret his genialis hyems,
Laxat et arva tepens glacies,
Floribus ut cumulet calathos.
 Ista comantibus e foliis
Munera, virgo puerque, date:
Ast ego serta choro in medio
Texta feram pede dactylico,
Vilia, marcida, festa tamen.
 Sic venerarier ossa libet,
Ossibus altar et impositum:
Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit hæc populosque suos
Carmine propitiata fovet.

HYMNUS IV

IN HONOREM DECEM ET OCTO MARTYRUM CÆSARAUGUSTANORUM.

Bis novem noster populus sub uno
Martyrum servat cineres sepulcro:
Cæsaraugustam vocitamus urbem,

Res cui tanta est.
Plena magnorum domus Agelorum
Non timet mundi fragilis ruinam,
Tot sinu gestant simul offerenda
Munera Christo.
Cum Deus dextram quatiens coruscam
Nube subnixus veniet rubente,
Gentibus justam positurus æquo
Pondere libram;
Orbe de magno caput excitata
Obviam Christo properanter ibit
Civitas quæque, pretiosa portans
Dona canistris.
Afra Carthago tua promet ossa,
Ore facundo, Cypriane doctor:
Corduba Acisclum dabit, et Zoellum,
Tresque coronas.
Tu tribus gemmis diadema pulchrum
Offeres Christo, genitrix piorum
Tarraco, intexit cui Fructuosus
Sutile vinclum.
Nomen hoc gemmæ strophio illigatæ est:
Emicant juxta lapides gemelli,
Ardet et splendor parilis duorum
Igne corusco.
Parva Felicis decus exhibebit
Artubus sanctis locuples Gerunda:
Nostra gestabit Calagurris ambos,
Quos veneramur.
Barcinon claro Cucufate freta
Surget, et Paulo speciosa Narbo:
Teque præpollens Arelas habebit,
Sancte Genesi.

Lusitanorum caput oppidorum
Urbs, adoratæ cineres puellæ
Obviam Christo rapiens, ad aram
Porriget ipsam.
Sanguinem Justi, cui Pastor hæret,
Ferculum duplex, geminumque donum
Ferre Complutum gremio juvabit
Membra duorum.
Ingeret Tingis sua Cassianum,
Festa Massylum monumenta regum:
Qui cinis gentes domitas coëgit
Ad juga Christi.
Singulis paucæ, tribus aut duobus
Forsan, et quinis aliquæ placebunt
Testibus Christi, prius hostiarum
Pignore functæ.
Tu decem Sanctos revehes et octo,
Cæsaraugusta studiosa Christi,
Verticem flavis oleis revincta
Pacis honore.
Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti:
Sola, prædives pietate, multa
Luce frueris.
Vix parens orbis populosa Pœni,
Ipsa vix Roma in solio locata,
Te, decus nostrum, superare in isto
Munere digna est.
Omnibus portis sacer immolatus
Sanguis exclusit genus invidorum
Dæmonum, et nigras pepulit tenebras
Urbe piata.
Nullus umbrarum latet intus horror:

Pulsa nam pestis populum refugit.
Christus in totis habitat plateis :
Christus ubique est.
Martyrum credas patriam coronis
Debitam sacris ; chorus unde surgens
Tendit in cœlum niveus togatæ
Nobilitatis.
Inde, Vincenti, tua palma nata est :
Clerus hic tantum peperit triumphum :
Hic sacerdotum domus infulata
Valeriorum.
Sævus antiquis quoties procellis
Turbo vexatum tremefecit orbem,
Tristior templum rabies in istud
Intulit iras.
Nec furor quisquam sine laude nostrum
Cessit, aut clari vacuus cruoris :
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine crevit.
Nonne, Vincenti, peregri necandus
Martyr, his terris tenui notasti
Sanguinis rore speciem futuri
Morte propinqua ?
Hoc colunt cives, velut ipsa membra
Cæspes includat suus, et paterno
Servet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.
Noster est, quamvis procul hinc in urbe
Passus ignota dederit sepulcri
Gloriam victor, prope littus altæ
Forte Sagunti.
Noster, et nostra puer in palæstra,
Arte virtutis fideique olivo

Unctus, horrendum didicit domare
Viribus hostem.
Noverat templo celebres in isto
Octies partas deciesque palmas,
Laureis doctus patriis eadem
Laude cucurrit.
Hic et, Encrati, recubant tuarum
Ossa virtutum: quibus efferati
Spiritum mundi violenta virgo
Dedecorasti.
Martyrum nulli remanente vita
Contigit terris habitare nostris:
Sola tu morti propriæ superstes
Vivis in orbe.
Vivis, ac pœnæ seriem retexis,
Carnis et cæsæ spolium retentans,
Tetra quam sulcos habeant amaros
Vulnera, narras.
Barbarus tortor latus omne carpsit,
Sanguis impensus, lacerata membra,
Pectus abscisa patuit papilla
Corde sub ipso.
Jam minus mortis pretium peractæ est,
Quæ, venenatos abolens dolores,
Concitam membris tribuit quietem
Fine soporo.
Cruda te longum tenuit cicatrix,
Et diu venis dolor hæsit ardens,
Dum putrescentes tenuat medullas
Tabidus humor.
Invidus quamvis obitum supremum
Persecutoris gladius negarit,
Plena te, martyr, tamen, ut peremptam,

Pœna coronat.
Vidimus partem jecoris revulsam
Ungulis longe jacuisse pressis:
Mors habet pallens aliquid tuorum,
Te quoque viva.
Hunc novum nostræ titulum fruendum
Cæsaraugustæ dedit ipse Christus,
Juge viventis domus ut dicata
Martyris esset.
Ergo ter senis sacra candidatis,
Dives Optato simul et Luperco,
Perge conscriptum tibimet Senatum
Pangere psalmis.
Ede Successum: cane Martialem:
Mors et Urbani tibi concinatur:
Juliam cantus resonet, simulque
Quintilianum.
Publium pandat chorus, et revolvat
Quale Frontonis fuerit tropæum;
Quid bonus Felix tulerit, quid acer
Cæcilianus.
Quantus, Evoti, tua bella sanguis
Tinxerit, quantus tua, Primitive:
Tum tuos vivax recolat triumphos
Laus, Apodemi.
Quatuor posthinc superest virorum
Nomen extolli, renuente metro,
Quos Saturninos memorat vocatos
Prisca vetustas.
Carminis leges amor aureorum
Nominum parvi facit, et loquendi
Cura de sanctis vitiosa non est,
Nec rudis unquam.

Plenus est artis modus, annotatas
Nominum formas recitare Christo,
Quas tenet cœli liber, explicandus
Tempore justo.

Octo tunc Sanctos recolet decemque
Angelus, coram Patre Filioque,
Urbis unius regimen tenentes
Jure sepulchri.

Quin ad antiquum numerum trahentur
Viva post pœnæ specimen puella,
Morsque Vincenti, cui sanguis hinc est,
Fons et honoris.

Additis Caio (nec enim silendi)
Teque, Crementi: quibus incruentum
Ferre provenit decus ex secundo
Laudis agone.

Ambo confessi Dominum, steterunt
Acriter contra fremitum latronum:
Ambo gustarunt leviter saporem
Martyriorum.

Hæc, sub altari sita sempiterno,
Lapsibus nostris veniam precatur
Turba, quam servat procerum creatrix
Purpureorum.

Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum sulcos, quibus est operta
Spes, ut absolvam retinaculorum
Vincla meorum.

Sterne te totam generosa sanctis
Civitas mecum tumulis: deinde
Mox resurgentes animas et artus
Tota sequeris.

HYMNUS V.

IN PASSIONEM S. VINCENTII MARTYRIS.

Beate martyr, prospera
Diem triumphalem tuum,
Quo sanguinis merces tibi
Corona, Vincenti, datur.
Hic te ex tenebris sæculi,
Tortore victo et judice,
Evexit ad cœlum dies,
Christoque ovantem reddidit.
Nunc Angelorum particeps,
Collusis insigni stola,
Quam testis indomabilis
Rivis cruoris laveras.
Cum te satelles idoli,
Præcinctus atris legibus,
Litare Divis gentium
Ferro et catenis cogeret,
Ac verba primum mollia
Suadendo blande effuderat;
Captator ut vitulum lupus
Rapturus alludit prius.
Rex, inquit, orbis maximus,
Qui sceptra gestat Romula,
Servire sanxit omnia
Priscis Deorum cultibus.
Vos, Nazareni, assistite,
Rudemque ritum spernite:
Hæc saxa, quæ princeps colit,
Placate fumo et victima.
Exclamat hic Vincentius,

Levita de tribu sacra,
Minister altaris Dei,
Septem ex columnis lacteis:
Tibi ista præsint numina:
Tu saxa, tu lignum colas:
Tu mortuorum mortuus
Fias Deorum pontifex.
Nos lucis auctorem Patrem,
Ejusque Christum Filium,
Qui solus ac verus Deus,
Datiane, confitebimur.
Hic ille jam commotior:
Audes-ne, non felix, ait,
Jus hoc Deorum et principum
Violare verbis asperis?
Jus et sacratum et publicum,
Cui cedit humanum genus?
Nec te juventæ fervidæ
Instans periclum permovet?
Hoc namque decretum cape:
Aut ara thure et cæspite
Precanda jam nunc est tibi,
Aut mors luenda est sanguine.
Respondit ille altrinsecus:
Age ergo, quidquid virium,
Quidquid potestatis tibi est:
Palam reluctor, exere.
Vox nostra quæ sit, accipe:
Est Christus et Pater Deus:
Servi hujus et testes sumus.
Extorque, si potes, fidem.
Tormenta, carcer, ungulæ,
Stridensque flammis lamina,

Atque ipsa pœnarum ultima,
Mors Christianis ludus est.
O vestra inanis vanitas,
Scitumque brutum Cæsaris!
Condigna vestris sensibus
Coli jubetis numina,
Excisa fabrili manu,
Cavis recocta et follibus:
Quæ voce, quæ gressu carent,
Immota, cæca, elinguia.
His sumptuosa splendido
Delubra crescunt marmore:
His colla mugientium
Percussa taurorum cadunt.
At sunt et illic spiritus.
Sunt: sed magistri criminum,
Vestræ et salutis aucupes,
Vagi, impotentes, sordidi:
Qui vos latenter incitos
In omne compellunt nefas,
Vastare justos cædibus,
Plebem piorum carpere.
Norunt et ipsi ac sentiunt
Pollere Christum et vivere,
Ejusque jam jamque affore
Regnum tremendum perfidis.
Clamant fatentes denique
Pulsi e latebris viscerum,
Virtute Christi et nomine,
Divique et idem Dæmones.
His intonantem martyrem
Judex profanus non tulit.
Conclamat: Os obtrudite,

Ne plura jactet improbus.
Vocem loquentis claudite,
Raptimque lictores date,
Illos reorum carnibus
Pastos, manuque exercitos.
Jam faxo, jus prætorium
Conviciator sentiat,
Ne impune, ne nostris sibi
Dîs destruendis luserit.
Tibi ergo soli, contumax,
Tarpeia calcentur sacra?
Tu porro solus obteras
Romam, Senatum, Cæsarem?
Vinctum retortis brachiis
Sursum ac deorsum extendite,
Compago donec ossuum
Divulsa membratim crepet.
Posthinc hiulcis ictibus
Nudate costarum abdita,
Ut per lacunas vulnerum
Jecur retectum palpitet.
Ridebat hæc miles Dei,
Manus cruentas increpans,
Quod fixa non profundius
Intraret artus ungula.
Ac jam omne robur fortium
Eviscerando cesserat,
Nisusque anhelos solverat
Fessos lacertorum toros.
Ast ille tanto lætior,
Omni vacantem nubilo
Frontem serenam luminat,
Te, Christe, præsentem videns.

Quis vultus iste, proh pudor!
Datianus aiebat furens.
Gaudet, renidet, provocat,
Tortore tortus acrior.
Nil illa vis exercita
Tot noxiorum mortibus
Agone in isto proficit,
Ars et dolorum vincitur.
Sed vos, alumni carceris,
Par semper invictum mihi,
Cohibete paulum dexteras,
Respiret ut lassus vigor.
Præsicca rursus ulcera,
Dum se cicatrix colligit
Refrigerati sanguinis,
Manus resulcans diruet.
His contra Levites refert:
Si jam tuorum perspicis
Languere virtutem canum,
Age ipse, major carnifex;
Ostende, quo pacto queant
Imos recessus scindere,
Manus et ipse intersere,
Rivosque ferventes bibe.
Erras, cruente, si meam
Te rere pœnam sumere,
Cum membra morti obnoxia
Dilancinata interficis.
Est alter, est intrinsecus,
Violare quem nullus potest:
Liber, quietus, integer,
Exsors dolorum tristium.
Hoc, quod laboras perdere

Tantis furoris viribus,
Vas est solutum ac fictile,
Quocumque frangendum modo.
Quinimo nunc enitere
Illum secare ac plectere,
Qui perstat intus, qui tuam
Calcat, tyranne, insaniam.
Hunc, hunc lacesse; hunc discute
Invictum, et insuperabilem,
Nullis procellis subditum,
Solique subjectum Deo.
Hæc fatur, et stridentibus
Laniatur uncis denuo.
Cui prætor ore subdolo
Anguina verba exsibilat:
Si tanta callum pectoris
Prædurat obstinatio,
Pulvinar ut nostrum manu
Abomineris tangere:
Saltem latentes paginas,
Librosque opertos detege,
Quo secta pravum seminans
Justis cremetur ignibus.
His Martyr auditis ait:
Quem tu, maligne, mysticis
Minitaris ignem litteris,
Flagrabis ipse hoc justius.
Rhomphæa nam cœlestium
Vindex erit voluminum,
Tanti veneni interpretem
Linguam perurens fulmine.
Vides favillas indices
Gomorrheorum criminum:

Sodomita nec latet cinis,
Testis perennis funeris.
  Exemplar hoc, serpens, tuum est :
Fuligo quem mox sulphuris,
Bitumen et mixtum pice,
Imo implicabunt tartaro.
  His persecutor saucius
Palet, rubescit, æstuat,
Insana torquens lumina,
Spumasque frendens egerit.
  Tum deinde cunctatus diu
Decernit extrema omnium :
Igni, grabato, et laminis
Exerceatur quæstio.
  Hæc ille sese ad munera
Gradu citato proripit,
Ipsosque pernix gaudio
Pœnæ ministros prævenit.
  Ventum ad palæstram gloriæ ;
Spes certat et crudelitas,
Luctamen anceps conserunt
Hinc martyr, illinc carnifex.
  Serrata lectum regula
Dente frequenti exasperat,
Cui multa carbonum strues
Vivum vaporat halitum.
  Hunc sponte conscendit rogum
Vir sanctus ore interrito :
Ceu jam coronæ conscius
Celsum tribunal scanderet.
  Subter crepante aspergine
Scintillat excussus salis,
Punctisque fervens stridulis

Sparsim per artus figitur.
Arvina posthinc igneum
Impressa cauterem lavit :
Vis unde roris fumidi
In membra sensim liquitur.
Hæc inter immotus manet,
Tanquam dolorum nesciens,
Tenditque in altum lumina :
Nam vincla palmas presserant.
Sublatus inde fortior
Lugubre in antrum truditur,
Ne liber usus luminis
Animaret altum spiritum.
Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant.
Æterna nox illic latet,
Expers diurni sideris :
Hic carcer horrendus suos
Habere fertur Inferos.
In hoc barathrum conjicit
Truculentus hostis Martyrem ;
Lignoque plantas inserit,
Divaricatis cruribus.
Quin addit et pœnam novam
Crucis peritus artifex,
Nulli tyranno cognitam,
Nec fando compertam retro.
Fragmenta testarum jubet
Hirta impolitis angulis,
Acuminata, informia,
Tergo jacentis sternerent.

Totum cubile spiculis
Armant dolores anxii,
Insomne qui subter latus
Mucrone pulsent obvio.
Hæc ille versutus vafra
Meditatus arte struxerat:
Sed Belzebulis callida
Commenta Christus destruit.
Nam carceralis cæcitas
Splendore lucis fulgurat,
Duplexque morsus stipitis
Ruptis cavernis dissilit.
Agnoscit hic Vincentius
Adesse, quod speraverat,
Tanti laboris præmium,
Christum datorem luminis.
Cernit deinde, fragmina
Jam testularum mollibus
Vestire semet floribus,
Redolente nectar carcere.
Quin et frequentes Angeli
Stant, ac loquuntur comminus:
Quorum unus ore augustior
Compellat his dictis virum:
Exurge, Martyr inclyte,
Exurge securus tui:
Exurge, et almis cœtibus
Noster sodalis addere.
Decursa jam satis tibi
Pœnæ minacis munia,
Pulchroque mortis exitu
Omnis peracta est passio.
O miles invictissime,

Fortissimorum fortior,
Jam te ipsa sæva et aspera
Tormenta victorem tremunt.
Spectator hæc Christus Deus
Compensat ævo intermino,
Propriæque collegam crucis
Larga coronat dextera.
Pone hoc caducum vasculum,
Compage textum terrea,
Quod dissipatum solvitur;
Et liber in cœlum veni.
Hæc ille; sed clausas fores
Interna rumpunt lumina,
Tenuisque per rimas nitor
Lucis latentis proditur.
Hoc cum stuperet territus
Obsessor atri liminis,
Quem cura pernox manserat,
Servare feralem domum:
Psallentis audit insuper
Prædulce carmen Martyris,
Cui vocis instar æmulæ
Conclave reddit concavum.
Pavens deinde introspicit,
Admota quantum postibus
Acies per arctas cardinum
Intrare juncturas potest.
Vernare multis floribus
Stramenta testarum videt,
Ipsumque vulsis nexibus
Obambulantem pangere.
Implentur aures turbidi
Prætoris hoc miraculo:

Flet victus, et volvit gemens
Iram, dolorem, dedecus.
Exemptus, inquit, carceri,
Paulum benignis fotibus
Recreetur, ut pastum novum
Pœnis refectus præbeat.
Coire toto ex oppido
Turbam fidelem cerneres,
Mollire præfultum torum,
Siccare cruda vulnera.
Ille ungularum duplices
Sulcos pererrat osculis:
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.
Plerique vestem linteam
Stillante tingunt sanguine,
Tutamen ut sacrum suis
Domi reservent posteris.
Tunc ipse manceps carceris,
Et vinculorum janitor,
Ut fert vetustas conscia,
Repente Christum credidit.
Hic obseratis vectibus
Densæ specum caliginis
Splendore lucis advenæ
Micuisse clausum viderat.
At vero postquam lectuli
Martyr quietem contigit;
Æger morarum tædio,
Et mortis incensus siti:
Si mors habenda ejusmodi est,
Quæ corporali ergastulo
Mentem resolvit liberam,

Et reddit auctori Deo :
 Mentem piatam sanguine,
Mortis lavacris elutam,
Quæ semet ac vitam suam
Christo immolandum præbuit.
 Ergo, ut recline mollibus
Rejecit aulæis caput,
Victor relictis artubus
Cœlum capessit spiritus :
 Cui recta celso tramite
Reseratur ad Patrem via,
Quam fratre cæsus impio
Abel beatus scanderat.
 Stipant euntem candidi
Hinc inde sanctorum chori,
Parique missum carcere
Baptista Joannes vocat.
 At Christiani nominis
Hostem coquebant irrita
Fellis venena, et lividum
Cor efferata exusserant.
 Sævire inermem crederes
Fractis draconem dentibus.
Evasit exultans, ait,
Rebellis, et palmam tulit?
 Sed restat illud ultimum,
Inferre pœnam mortuo,
Feris cadaver tradere,
Canibusve carpendum dare.
 Jam nunc et ossa extinxero,
Ne sit sepulcrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
Titulumque fingat Martyris.

Sic frendit, et corpus sacrum
Profanus (ah dirum nefas!)
Nudum, negato tegmine,
Exponit inter carices.
Sed nulla dirarum fames
Aut bestiarum aut alitum
Audet tropæum gloriæ
Fœdare tactu squalido,
Quin si qua clangens improbe
Circumvolarat eminus,
Trucis volucris impetu
Depulsa vertebat fugam.
Nam corvus, Heliæ datus
Olim ciborum portitor,
Hoc munus implet sedulo,
Et irremotus excubat.
Hic ex frutectis proximis
Infestus alarum sono,
Oculosque pennis verberans,
Exegit immanem lupum.
Quis perfidorum credere
Ausit, rapacem belluam,
Tauris paratam congredi,
Cessisse plumis mollibus?
Ibat malignum murmurans,
Levi volatu exterritus;
Prædamque visam fugerat
Custodis imbellis minis.
Quis audienti talia,
Datiane, tunc sensus tibi!
Quantis gementem spiculis
Figebat occultus dolor!
Cum te perempti corporis

Virtute victum cerneres,
Ipsis et impar ossibus,
Vacuisque jam membris minor.
Sed quis, tyranne pertinax,
Hunc impotentem spiritum
Determinabit exitus?
Nullus-ne te franget modus?
Nullus: nec unquam desinam,
Nam, si ferina immanitas
Mansuescit, et clementia
Corvos voraces mitigat.
Mergam cadaver fluctibus:
Insana nunquam naufragis
Ignoscit unda, et spumeum
Nescit profundum parcere.
Aut semper illic mobilis
Incerta per ludibria
Vagis feretur flatibus,
Squamosa pascens agmina:
Aut sub fragosis rupibus
Scabri petrarum murices
Inter recessus scrupeos
Discissa rumpent viscera.
Ecquis virorum, strenue
Cymbam peritus pellere,
Remo, rudente, et carbaso,
Secare qui pontum queas,
Rapias palustri e cæspite
Corpus, quod intactum jacet,
Levique vectum lembulo
Amplum per æquor auferas?
Sed complicatum sparteus
Claudat cadaver culleus:

Quem fune connexus lapis
Præceps in altum deprimat.
At tu per undas emices
Rorante præpes palmula,
Donec relictum longior
Abscondat aspectus solum.
Hæc jussa quidam militum,
(Eumorphio nomen fuit)
Violentus, audax, barbarus,
Furore fervens arripit.
Funale textum conserit,
Suto quod implet corpore;
Emensus et multum freti,
Inter procellas excutit.
O præpotens virtus Dei!
Virtus creatrix omnium!
Quæ turgidum quondam mare
Gradiente Christo straverat,
Ut terga calcans æquoris
Siccis mearet passibus,
Plantas nec undis tingeret
Vasti viator gurgitis.
Hæc ipsa virtus jusserat
Rubrum salum dehissere,
Patente dum fundo aridum
Secura plebs iter legit.
Nec non et ipsa nunc jubet
Servire sancto corpori
Pontum, quietis lapsibus
Ad curva pronum littora.
Saxum molaris ponderis,
Ut spuma candens, innatat;
Tantique custos pignoris

Fiscella fertur fluctibus.
Cernunt stupentes navitæ
Vectam remenso marmore,
Labi retrorsum leniter,
Æstu secundo et flamine.
Certant et ipsi concito
Pontum phaselo scindere:
Longe sed artus prævolant
Telluris ad mollem sinum.
Prius relatos denique
Humus quieta suscipit,
Quam pulsa summis nisibus
Carina portum tangeret.
Felix amœni littoris
Secessus ille, qui sacra
Fovens arenis viscera
Vicem sepulcri præbuit!
Dum cura sanctorum pia
Deflens adornat aggerem,
Tumuloque corpus creditum
Vitæ reservat posteræ.
Sed mox subactis hostibus,
Jam pace justis reddita,
Altar quietem debitam
Præstat beatis ossibus.
Subjecta nam sacrario,
Imamque ad aram condita,
Cœlestis auram muneris
Perfusa subtus hauriunt.
Sic corpus: ast ipsum Dei
Sedes receptum continet,
Cum Machabæis fratribus,
Sectoque Esaïæ proximum.

Simplex sed illis contigit
Corona pœnarum, quibus
Finem malorum præstitit
Mortis supremus exitus.
Quid tale sector ausus est?
Truncata numquid corporis
Segmenta post serram feris
Objecit, aut undis dedit?
Num Machabæi martyris
Linguam tyrannus erutam,
Raptamve pellem verticis
Avibus cruentis obtulit?
Tu solus, o bis inclyte,
Solus brabei duplicis
Palmam tulisti: tu duas
Simul parasti laureas.
In morte victor aspera,
Tum deinde post mortem pari
Victor triumpho proteris
Solo latronem corpore.
Adesto nunc, et percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum Patris.
Per te, per illum carcerem [1],
Honoris augmentum tui,
Per vincla, flammas, ungulas,
Per carcelarem stipitem,

[1] Locutio poëtis familiaris. Sic habet Virgilius, Æneid. lib. II. vers. 141 et seqq.

. . . . . Per Superos et conscia numina veri;
Per si quæ est, quæ restat adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro: miserere laborum
Tantorum, miserere animi non digna ferentis.

Per fragmen illud testeum,
Quo parta crevit gloria,
Per, quem trementes posteri
Exosculamur, lectulum:
Miserere nostrarum precum,
Placatus ut Christus suis
Inclinet aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputet.
Si rite solemnem diem
Veneramur ore et pectore:
Si sub tuorum gaudio
Vestigiorum sternimur:
Paulisper huc illabere,
Christi favorem deferens:
Sensus gravati ut sentiant
Levamen indulgentiæ.
Sic nulla jam restet mora,
Quin excitatam nobilis
Carnem resumat spiritus,
Virtute perfunctam pari.
Ut quæ laborum particeps
Commune discrimen tulit,
Sit et cohæres gloriæ
Cunctis in ævum sæculis.

HYMNUS VI

IN PASSIONEM FRUCTUOSI EPISCOPI TARRACONENSIS, AUGURII ET EULOGII DIACONORUM.

Felix Tarraco, Fructuose, vestris

Attollit caput ignibus coruscum,
Levitis geminis procul relucens.
  Hispanos Deus aspicit benignus,
Arcem quandoquidem potens Hiberam
Trino martyre Trinitas coronat.
  Ardens Augurius capessit æthram:
Nec non Eulogius simul superbum
Christi lucidus ad sedile tendit.
  Dux et prævius et magister illis
Ad tantum decus ex episcopali
Clarus nomine Fructuosus ibat:
  Accitus quia præsidis repente
Jussu venerat ad forum sacerdos
Levitis commitantibus duobus.
  Inde ad carceream viros catenam
Pastus sanguine carnifex trahebat:
Gaudet currere Fructuosus ultro,
  Ac, ne quis socios timor feriret,
Præceptor vehemens eundo firmat,
Incenditque fidem calore Christi.
  Mecum state, viri: vocat cruentus
Ad pœnam coluber Dei ministros:
Ne mors terreat, est parata palma.
  Carcer Christicolis gradus coronæ est:
Carcer provehit ad superna cœli:
Carcer conciliat Deum beatis.
  His dictis, adeunt specum reorum:
Exercent ibi mysticum lavacrum;
Et purgamen aquæ stupent tenebræ.
  Sex hic continuis latent diebus:
Tandem stant trucis ad tribunal hostis.
Fratres tergeminos tremunt catastæ.
  Judex Æmilianus imminebat,

Atrox, turbidus, insolens, profanus;
Aras dæmonicas coli jubebat.
  Tu, qui doctor, ait, seris novellum
Commenti genus, ut leves puellæ
Lucos destituant, Jovem relinquant,
  Damnes, si sapias, anile dogma.
Jussum est Cæsaris ore Gallieni,
Quod princeps colit, ut colamus omnes.
  Hæc fanti placidus refert sacerdos :
Æternum colo principem, dierum
Factorem, dominumque Gallieni :
  Et Christum patre prosatum perenni,
Cujus sum famulus, gregisque pastor.
Subridens ait ille : Jam fuisti.
  Nec differt furor aut refrenat iram :
Sævis destinat ignibus cremandos.
Exultant, prohibentque flere vulgum.
  Quosdam de populo videt sacerdos
Libandum sibi poculum offerentes :
Jejunamus, ait : recuso potum.
  Nondum nona diem resignat hora :
Nunquam conviolabo jus dicatum,
Nec mors ipsa meum sacrum resolvet.
  Sic Christus sitiens crucis sub hora,
Oblatum sibi poculum recusans,
Nec libare volens, sitim peregit.
  Intrant interea locum rotunda
Conclusum cavea, madens ferarum
Multo sanguine quem furor frequentat :
  Cum spectacula perstrepunt cruenta,
Ac vilis gladiator ense duro
Percussus cadit, et fremit voluptas.
  Hic flammante pyra, niger minister

Ardens supplicium parare jussus,
Construxit facibus rogum supremis :
Qui, dum corpora concremanda solvit,
Ferventes animas amore lucis
Fracto carceris expediret antro.
Certant officiis pii sodales :
Plantis calceamenta dissolutis
Pronus detrahere studebat unus.
Sed sanctus vetat ora Fructuosus
Inclinata premi : Facessite, inquit,
Ne nostram gravet obsequela mortem.
Atquin ipse meos pedes resolvam ;
Ne vestigia præpedita vinclis
Tardis gressibus irruant in ignem.
Cur lamenta rigant genas madentes ?
Cur vestri memor ut fiam rogatis ?
Cunctis pro populis rogabo Christum.
Vix hæc ediderat, relaxat ipse
Indumenta pedum : velut Moyses
Quondam fecerat ad rubum propinquans.
Non calcare sacram cremationem,
Aut astare Deo prius licebat,
Quam vestigia pura figerentur.
Stabat calce mera : resultat ecce
Cœlo spiritus, et serit loquelam,
Quæ cunctos tremefecit audientes.
Non est, credite, pœna, quam videtis,
Quæ puncto tenui citata transit :
Nec vitam rapit illa, sed reformat.
Felices animæ, quibus per ignem
Celsa scandere contigit Tonantis !
Quas olim fugiet perennis ignis !
Hæc inter, rapidis focos crepantes

Intrant passibus, et minantur ipsis
Flammarum trepidantibus caminis.
Nexus denique, qui manus retrorsum
In tergum revocaverant revinctas,
Intacta cute, decidunt adusti.
Non ausa est cohibere pœna palmas,
In morem crucis ad Patrem levandas:
Solvit brachia, quæ Deum precentur.
Priscorum specimen trium putares,
Quos olim Babylonicum per ignem
Cantantes stupuit tremens tyrannus.
Illis sed pia flamma tum pepercit,
Nondum tempore passionis apto,
Nec mortis decus inchoante Christo.
Hos cum defugeret vaporus ardor,
Orant ut celer ignis advolaret,
Et finem daret anxiis periclis.
Exorata suos obire tandem
Majestas famulos jubet, caducis
Missos corporibus, sibique reddi.
Vidit præsidis ex domo satelles
Cœlum Martyribus patere apertum,
Insignesque viros per astra ferri.
Quin et filiolæ monens herili
Ostendit sceleris notam paterni,
Cœlo vivere, quos forum peremit.
Hæc tum virginitas palam videre
Per sudum meruit, parente cæco,
Ut crimen domini domus timeret.
Tum de corporibus sacris favillæ,
Et perfusa mero leguntur ossa,
Quæ raptim sibi quisque vindicabat.
Fratrum tantus amor, domum referre

Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut gestare sinu fidele pignus.
Sed, ne relliquias resuscitandas,
Et mox cum Domino simul futuras,
Discretis loca dividant sepulcris;
Cernuntur niveis stolis amicti,
Mandant restitui, cavoque claudi
Mixtim marmore pulverem sacrandum.
O triplex honor, o triforme culmen,
Quo nostræ caput excitatur urbis,
Cunctis urbibus eminens Hiberis!
Exultare tribus libet patronis,
Quorum præsidio fovemur omnes
Terrarum populi Pyrenearum.
Circumstet chorus ex utroque sexu:
Heros, virgo, puer, senex, anicla,
Vestrum psallite rite Fructuosum.
Laudans Augurium resultet hymnus,
Mixtis Eulogium modis coæquans,
Reddamus paribus pares camenas.
Hinc aurata sonent in arce tecta,
Blandum littoris extet inde murmur:
Et carmen freta feriata pangant.
Olim tempus erit ruente mundo [1],
Cum te, Tarraco, Fructuosus acri
Solvet supplicio, tegens ab igni.
Fors dignabitur et meis medelam
Tormentis dare, prosperante Christo,
Dulces hendecasyllabos revolvens.

[1] Adverbium *olim* sæpe apud veteres futurum tempus denotat. Virgilius, Æneid. lib. 1. vers. 293.

Hunc tu olim cœlo, spoliis Orientis onustum,
Accipies secura. . . . .

HYMNUS VII

IN HONOREM QUIRINI MARTYRIS EPISCOPI ECCLESIÆ SISCIANÆ.

Insignem meriti virum
Quirinum, placitum Deo,
Urbis mœnia Sisciæ
Concessum sibi martyrem
Complexu patrio fovent.
Hic sub Galerio duce,
Qui tunc Illyricos sinus
Urgebat ditionibus,
Fertur catholicam fidem
Illustrasse per exitum.
Non illum gladii rigor,
Non incendia, non feræ
Crudeli interitu necant:
Sed lymphis fluvialibus
Gurges, dum rapit, abluit.
Nil refert, vitreo æquore,
An de flumine sanguinis
Tingat passio martyrem:
Æque gloria provenit
Fluctu quolibet uvida.
Summo pontis ab ardui
Sanctæ plebis episcopus
In præceps fluvio datur,
Suspensum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ.
Dejectum placidissimo
Amnis vertice suscipit,

Nec mergi patitur sibi,
Miris vasta natatibus
Saxi pondera sustinens.
  Spectant eminus e solo
Doctorem pavidi greges :
Nam Christi populus frequens
Riparum sinuamina [1]
Stipato agmine sepserat.
  Sed Quirinus, ut eminens
Os circumtulit, heu, suo
Exemplo trepidos videt,
Nil ipse proprii memor
Inter stagna periculi.
  Confirmat pia pectora,
Verbis mitificis rogans,
Ne quem talia terreant,
Neu constans titubet fides,
Aut pœnam putet emori.
  Dicentem fluitantibus
Amnis terga vehunt vadis,
Nec substrata profunditas
Saxoque et laqueo et viro
Audet sponte dehiscere.
  Sensit martyr episcopus
Jam partam sibi præripi
Palmam mortis et exitus,
Ascensumque negarier
Æterni ad solium Patris.
  Jesu cunctipotens, ait,
Haudquaquam tibi gloria
Hæc est insolita aut nova,
Calcare fremitum maris,

[1] Neminem, nisi fallor, reperies, qui hoc vocabulo usus fuerit.

Prona et flumina sistere.
   Scimus discipulum Petrum,
Cum vestigia tingeret
Mortali trepidus pede,
Dextræ subsidio tuæ
Subjecisse salum solo.
   Jordanem quoque novimus
Tortis vorticibus vagum,
Dum fertur rapido impetu,
Ad fontem refluis retro
Confugisse meatibus.
   Hæc miracula sunt tuæ
Virtutis, Domine, ut modo
Suspendor, leve prænatans
Summo gurgite fluminis,
Cum collo scopulum traham.
   Jam plenus titulus tui est
Et vis prodita nominis,
Quam gentilis habet stupor:
Absolvas, precor, optime,
Hujus nunc animæ moras.
   Quid possis, probat amnicus,
Qui vectat silicem, liquor.
Hoc jam quod superest, cedo,
Quo nil est pretiosius,
Pro te, Christe Deus, mori.
   Orantem simul halitus
Et vox deserit et calor:
Scandit spiritus ardua:
Fit pondus grave saxeum:
Corpus suscipiunt aquæ.

HYMNUS VIII.

DE LOCO, UBI MARTYRES PASSI SUNT, QUOD NUNC BAPTISTERIUM EST CALAGURRI.

Electus Christo locus est, ubi corda probata
Provehat ad cœlum sanguine, purget aqua.
Hic duo purpureum, Domini pro nomine cæsi,
Martyrium pulchra morte tulere viri.
Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte,
Ac veteres maculas diluit amne novo.
Qui cupit æternum cœli conscendere regnum,
Huc veniat sitiens: ecce parata via est.
Ante coronati scandebant ardua testes
Atria, nunc lotæ celsa petunt animæ.
Spiritus æthcrio solitus descendere lapsu,
Ut dederat palmam, sic tribuit veniam.
Haurit terra sacros aut fonte aut sanguine rores,
Exundatque suo jugiter uda Deo.
Ipse loci est dominus, laterum cui vulnere utroque
Hinc cruor effusus fluxit, et inde latex.
Ibitis hinc, ut quisque potest, per vulnera Christi,
Evectus gladiis alter, et alter aquis.

HYMNUS IX.

IN PASSIONEM SANCTI CASSIANI FOROCORNELIENSIS.

Sylla Forum statuit Cornelius: hoc Itali urbem
Vocitant ab ipso conditoris nomine.
Hic mihi, cum peterem te, rerum maxima Roma,

Spes est oborta prosperum Christum fore.
Stratus humi tumulo advolvebar, quem sacer ornat
Martyr, dicato Cassianus corpore.
Dum lacrymans mecum reputo mea vulnera, et omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina :
Erexi ad cœlum faciem, stetit obvia contra
Fucis colorum picta imago martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri, miserabile visu,
Confossa parvis membra figebant stilis :
Unde, pugillares soliti percurrere ceras,
Scholare murmur annotantes scripserant.
Æditiuus consultus ait : Quod prospicis, hospes,
Non est inanis aut anilis fabula :
Historiam pictura refert, quæ tradita libris,
Veram vetusti temporis monstrat fidem.
Præfuerat studiis puerilibus, et grege multo
Septus, magister litterarum sederat.
Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus,
Raptimque punctis dicta præpetibus sequi.
Aspera nonnunquam præcepta et tristia visa
Impube vulgus moverant ira et metu.
Doctor amarus enim discenti semper ephebo,
Nec dulcis ulli disciplina infantiæ est.
Ecce, fidem quatiens tempestas sæva, premebat
Plebem dicatam Christianæ gloriæ.
Extrahitur cœtu e medio moderator alumni
Gregis, quod aris supplicare spreverat.
Pœnarum artifici quærenti, quod genus artis
Vir nosset alto tam rebellis spiritu,
Respondent : Agmen tenerum ac puerile gubernat,
Fictis notare verba signis imbuens.

Ducite, conclamat, captivum ducite, et ultro
Donetur ipsis verberator parvulis.
Ut libet illudant, lacerent impune, manusque
Tingant magistri feriatas sanguine.
Ludum discipulis, volupe est[1], ut præbeat ipse,
Doctor severus quos nimis coërcuit.
Vincitur post terga manus, spoliatus amictu:
Adest acutis agmen armatum stilis.
Quantum quisque odii tacita conceperat ira,
Effundit ardens felle tandem libero.
Conjiciunt alii fragiles inque ora tabellas
Frangunt: relisa fronte lignum dissilit.
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,
Rubetque ab ictu curta et humens pagina.
Inde alii stimulos et acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera sulcis scribitur:
Et qua secti apices abolentur, et æquoris hirti
Rursus nitescens innovatur area.
Hinc foditur Christi confessor, et inde secatur:
Pars viscus intrat molle, pars scindit cutem.
Omnia membra manus pariter fixere ducentæ,
Totidemque guttæ vulnerum stillant simul.
Major tortor erat, qui summa pupugerat, infans,
Quam qui profunda perforarat viscera.
Ille levis, quoniam percussor morte negata
Sævire solis scit dolorum spiculis.
Hic quanto interius vitalia condita pulsat,
Plus dat medelæ, dum necem prope applicat.
Este, pecor, fortes, et vincite viribus annos:
Quod desit ævo, suppleat crudelitas.
Sed male conatus tener infirmusque laborat:

[1] Sic Plautus *Rud.* Act. IV. Scen. I. vers. I. *bene factum, et volupe est,* id est, jucundum est, *hodie me his mulierculis retulisse auxilium.*

Tormenta creſcunt, dum fatiſcit carnifex.
Quid gemis? exclamat quidam : tute ipſe magiſter
Iſtud dediſti ferrum, et armaſti manus.
Reddimus ecce tibi tam millia multa notarum,
Quam ſtando, flendo, te docente excepimus.
Non potes iraſci, quod ſcribimus : ipſe jubebas,
Nunquam quietum dextera ut ferret ſtilum.
Non petimus toties te præceptore negatas,
Avare doctor, jam ſcholarum ferias.
Pangere puncta libet, ſulciſque intexere ſulcos,
Flexas catenis impedire virgulas.
Emendes licet inſpectos longo ordine verſus,
Mendoſa forte ſi quid erravit manus.
Exerce imperium : jus eſt tibi plectere culpam,
Si quis tuorum te notavit ſegnius.
Talia ludebant pueri per membra magiſtri,
Nec longa feſſum pœna ſolvebat virum.
Tandem luctantis miſeratus ab æthere Chriſtus,
Jubet reſolvi pectoris ligamina.
Difficileſque moras animæ, ac retinacula vitæ
Relaxat, arctas et latebras expedit.
Sanguis, ab interno venarum fonte patentes
Vias ſecutus, deſerit præcordia :
Totque foraminibus penetrati corporis exit
Fibrarum anhelans ille vitalis calor.
Hæc ſunt, quæ liquidis expreſſa coloribus, hoſpes,
Miraris : iſta eſt Caſſiani gloria.
Suggere, ſi quod habes juſtum vel amabile votum,
Spes ſi qua tibi eſt, ſi quid intus æſtuas.
Audit, crede, preces Martyr proſperrimus omnes,
Rataſque reddit, quas videt probabiles.
Pareo, complector tumulum, lacrymas quoque fundo :
Altar tepeſcit ore, ſaxum pectore.

Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris :
Tunc, quod petebam, quod timebam, murmuro :
Et post terga domum dubia sub sorte relictam,
Et spem futuri sorte nutantem boni.
Audior, urbem adeo, dextris successibus utor :
Domum revertor, Cassianum prædico.

HYMNUS X.

IN PASSIONEM S. ROMANI MARTYRIS.

Romane, Christi fortis assertor Dei,
Elinguis oris organum fautor move :
Largire comptum carmen infantissimo :
Fac ut tuarum mira laudum concinam :
Nam scis et ipse posse mutos eloqui.
Plectrum palati et faucium sævus tibi
Tortor revulsit : nec tamen silentium
Indixit ori, quo fatebaris Deum.
Vox veritatis testis extingui nequit,
Nec si recisis palpitet meatibus.
Sic noster hærens sermo lingua debili
Balbutit, et modis laborat absonis :
Sed si superno rore respergas jecur,
Et spiritali lacte pectus irriges,
Vox impeditos rauca laxabit sonos.
Evangelista scripsit, ipsum talia
Præcepta Messiam dedisse Apostolis :
Nolite verba, cum sacramentum meum
Erit canendum, providenter quærere :

Ego imparatis, quæ loquantur, suggeram[1].
Sum mutus ipse : sed potens facundiæ
Mea lingua Christus luculente disseret :
Ipse explicabit quos supremo spiritu
Dæmon tumultus, dum domatur, moverit,
Furore pestis pejor in novissimo.
Sic vulneratus anguis ictu spiculi
Ferrum remordet, et dolore sævior,
Quassando pressis immoratur dentibus :
Hastile fixum sed manet profundius,
Nec cassa sentit morsuum pericula.
Galerius urbis forte Romanæ statum
Ductor regebat, ut refert antiquitas,
Immitis, atrox, asper, implacabilis :
Edicta late mundum in omnem miserat,
Christum negaret, quisque[2] mallet vivere.
Hæc ille serpens ore dictat regio,
Qui mortuorum de sepulcris exiens
Clamat : Quid ante tempus adventu cito
Mea regna solvis? parce, fili Altissimi,
Vel possidere corda porcorum jube.
Præfectus istis imminens negotiis
Asclepiades, ire mandat milites
Ecclesiasten usque de sacrariis
Raptare plebem, mancipandam vinculis,

[1] Evangelista scripsit Matthæus, x, 19. « Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis, in illa » hora, quid loquamini. »

[2] Verbum, *quisque,* durius sane positum est pro *quisquis.* Ausonius tamen eadem usus est loquela in *Sapient.* Carm. 311, vers. 5.

Parcit quisque malis, perdere vult bonos.

Et in *cupidine cruci affixo,* Edyll. vi, vers. 63.

. . . . . Se quisque absolvere gestit.
Transferat ut proprias aliena in crimina culpas,

Ni disciplinam Nazarenam respuat.
Mox ipse templum cogitans irrumpere,
Et dissipare sancta sanctorum studens,
Armis profanus præparabat impiis
Altaris aram funditus pessumdare,
Foresque et ipsas in ruinam solvere.
Præcurrit index his repente cognitis
Romanus, acris heros excellentiæ,
Venire in armis perduelles nuntiat,
Animos paventum præstruens hortatibus,
Stent ut parati, neve cedant turbini.
Conspirat uno fœderatus spiritu
Grex Christianus, agmen imperterritum
Matrum, virorum, parvulorum, virginum :
Fixa et statuta est omnibus sententia
Fidem tueri, vel libenter emori.
Refert repulsus miles ad subsellia,
Plebis rebellis esse Romanum ducem,
Flagrare cunctos pervicaci audacia,
Jugulos retectos obstinate opponere,
Quo gloriosa morte fortes oppetant.
Præceps jubetur inde Romanus rapi,
Solusque, ut incitator et fax omnium,
Pro contumaci plebe causam dicere.
It non resistens, seque vinciri petit,
Flexas et ultro torquet in tergum manus.
Amor coronæ pene prævenit trucem
Lictoris artem, sponte nudas offerens
Costas, bisulcis exsecandas ungulis.
Irrumpit altum limen, et præconibus
Stupore mutis, ipse tortorem trahit.
Astanti ob ora sic tyrannus incipit :
Infame monstrum, vilis, intestabilis,

Tu ventilator urbis, et vulgi levis
Procella, mentes inquietas mobiles,
Ne se imperita turba dedat legibus.
Populare quiddam sub colore gloriæ
Illitterata credidit frequentia,
Ut se per ævum consecrandos autument,
Si bella Divis, ceu Gigantes, inferant,
Victique flammis obruantur montium.
Hoc tu parasti, perdite, spectaculum
Cladis cruentæ de necandis civibus,
Quos ut profanos, impiati et sæculi
Reos, necesse est te magistro interfici :
Tu causa mortis, tu malorum signifer.
Ni fallor, æquum est, ut quod auctor improbus
Tolerare multos compulisti, carnifex
In te recurrat; proque tantis cædibus,
Quæ mox futuræ, primus exitium luas,
Feras et ipse, quod ferendum suaseras.
His ille contra reddit ore libero :
Amplector, o præfecte, nec me subtraho,
Ut pro fideli plebe solus immoler,
Dignus subire cuncta, si me consulis,
Quæcumque vestra jusserit crudelitas.
Intrare servis idolorum ac dæmonum
Sanctam salutis non licet nostræ domum,
Ne polluatur purus orandi locus :
Confido sancto in Spiritu, nunquam tibi
Dandum, ut beatum limen attingas pede.
Ni forte noster factus, in nostrum gregem
Mereare sumi : quod Pater faxit Deus.
Incensus his Asclepiades jusserat
Eviscerandum corpus eculeo eminus

Pendere, et uncis vinculisque crescere[1].
  Apparitores sed furenti suggerunt
Illum vetusta nobilem prosapia,
Meritisque multis esse primum civium.
Jubet amoveri noxialem stipitem
Plebeia clarum pœna ne damnet virum.
  Tundatur, inquit, terga crebris ictibus,
Plumboque cervix verberata extuberet.
Persona quæque competenter plectitur,
Magnique refert, vilis an sit nobilis :
Gradu reorum forma tormentis datur.
  Pulsatus ergo Martyr illa grandine,
Postquam inter ictus dixit hymnum plumbeos,
Erectus infit : Absit, ut me nobilem
Sanguis parentum præstet, aut lex curiæ :
Generosa Christi secta nobilitat viros.
  Si prima nostri quæ sit in cunabulis
Origo textu stemmatis recenseas,
Dei parentis esse ab ore cœpimus.
Cui quisque servit, ille vere est nobilis :
Patri rebellis, invenitur degener.
  Honos deinde stemmati accedit novus,
Et splendor ingens, ut magistratus, venit;
Si confitendi nominis testem probum
Signent inusta ferri et ignis vulnera,
Et vim dolorum mors sequatur inclyta.

[1] Vide supra Hymn. 1, vers. 105.

Crescit et suspensus ipse, vinculis latentibus.

Silius Italicus describens supplicium de famulo Tagi sumptum :

. . . . Per artem
Sevitiæ extenti, quantum tormenta jubebant,
Creverunt artus.

Qui locus explicat mentem Prudentii.

Cave benignus esse perverse velis,
Nec mi remissus lenitur peperceris :
Incumbe membris, tortor, ut sim nobilis :
His ampliatus si fruar successibus,
Genus patris matrisque flocci fecero.
Hæc ipsa vestra dignitatum culmina
Quid esse censes? nonne cursim transeunt
Fasces, secures, sella, prætexta et toga
Lictor, tribunal, et trecenta insignia,
Quibus tumetis, moxque detumescitis?
Cum consulatum initis, ut vernæ solent,
Pudet fateri, farre pullos pascitis :
Aquila ex eburna sumit arrogantiam
Gestator ejus, ac superbit belluæ
Inflatus osse, cui figura est alitis.
Jam si sub aris ad sigillorum pedes
Jaceatis, infra sectilem quercum siti,
Quid esse vobis æstimem projectius?
Nudare plantas ante carpentum scio
Proceres togatos, matris Ideæ sacris.
Lapis nigellus evehendus essedo,
Muliebris oris clausus argento sedet :
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis
Almonis usque pervenitis rivulum.
Quid illa turpis pompa? nempe ignobiles
Vos esse monstrat, cum Luperci curritis.
Quem servulorum non rear vilissimum,
Nudus plateas si per omnes cursitans,
Pulset puellas verbere ictas ludicro?
Miseret tuorum me sacrorum et principum,
Morumque, Roma, sæculi summum caput.
Age explicemus, si placet, mysteria,

Præfecte, vestra : jam necesse est audias,
Nolis velis-ne, quid colatis sordium.
 Nec terret ista, qua tumes, vesania,
Quod vultuosus, quod supinus, quod rigens,
Tormenta lethi comminaris asperi :
Si me movere rebus ullis niteris,
Ratione mecum, non furore, dimica.
 Jubes, relictis Patris et Christi sacris,
Ut tecum adorem fœminas mille ac mares,
Deos Deasque, deque sexu duplici
Natos, nepotes, abnepotes editos;
Ut tot stuprorum sordidam prosapiam.
 Nubunt puellæ; sæpe luduntur dolis,
Amasionum comprimuntur fraudibus :
Incesta fervent, furta mœchorum calent :
Fallit maritus, odit uxor pellicem :
Deos catenæ colligant adulteros.
 Ostende, quæso, quas ad aras præcipis
Vervece cæso fumet ut cæspes meus?
Delphos-ne pergam? sed vetat palæstrici
Corrupta ephebi fama, quem vester Deus
Effeminavit gymnadis licentia.
 Mox flevit impuratus occisum gravi
Disco, et dicavit florulentum succubam.
Conductus idem pavit alienum pecus :
Furem deinde perditi passus gregis
Segnis bubulcus tela et ipsa perdidit.
 An ad Cybellis ibo lucum pineum?
Puer sed obstat Gallus, ob libidinem
Per triste vulnus, perque sectum dedecus
Ab impudicæ tutus amplexu Deæ,
Per multa Matri sacra plorandus spado[1].

[1] Conjicit Chamillardus scripsisse Prudentium :

Sed, credo, magni limen amplectar Jovis,
Qui si citetur legibus vestris reus,
Laqueis minacis implicatus Juliæ,
Luat severam vinctus et Scantiniam,
Te cognitore dignus ire in carcerem.
Quid aureorum conditorem temporum
Censes colendum? quem fugacem non negas
Latuisse furtim, dum reformidat malum:
Quem si beate vivere audit Jupiter,
Plectat necesse est occulendi conscios.
Quid inter aras dissidentum numinum
Putas agendum? Martis indignabitur
Offensa virtus, si colatur Lemnius.
Junonis iram sentiet, quisque ut Deum
Signo aut sacello consecrarit Herculem.
Dicis licenter hæc poëtas fingere;
Sed sunt et ipsi talibus mysteriis
Tecum dicati; quodque describunt, colunt.
Tu cur piaculum tam libenter lectitas?
Cur in theatris, te vidente, id plauditur?
Cygnus stuprator peccat inter pulpita:
Saltat Tonantem tauricornem ludius:
Spectator horum pontifex summus sedes,
Ridesque et ipse, nec negando diluis,
Cum fama tanti polluatur numinis.
Cur tu, sacrate, per cachinnos solveris,
Cum se maritum fingit Alcmenæ Deus?
Meretrix Adonim vulneratum scenica
Libidinoso plangit affectu palam:

Per multa Matris ara plorandus spado.

Quod equidem non existimarim. Sensus est, ut mihi videtur, Atyn in posterum plorandum *per multa sacra*, id est, quotannis in sacris Matris Deûm dicatis.

Nec te lupanar Cypridis sanctæ movet?
Quid, quod sub ipsis veritas signis patet,
Formata in ære criminum vestigiis?
Quid vult sigillum semper affixum Jovi
Avis ministræ? nempe velox armiger
Leno, exoletum qui tyranno pertulit.
Facem recincta veste prætendit Ceres.
Cur, si Deorum nemo rapuit virginem,
Quam nocte quærens mater errat pervigil?
Fusos rotantem cernimus Tirynthium:
Cur, si Neæræ[1] non fuit ludibrio?
Quid rusticorum monstra detester Deum,
Faunos, Priapos, fistularum præsides,
Nymphas natantes, incolasque aquatiles,
Sitas sub alto, more ranarum, lacu;
Divinitatis jus in algis vilibus?
Ad hæc colenda me vocas, censor bone?
Potes-ne quidquam tale, si sanum sapis,
Sanctum putare? nonne pulmonem movet
Derisus, istas intuens ineptias,
Quas vinolentæ somniis fingunt anus?
At, si quid usquam vanitatis mysticæ
Nobis colendum est, ipse primus incipe:
Pronusque adora quidquid in terris sacri est,
Deos Latinos, et Deos Ægyptios,
Quis Roma libat, quis Canopus supplicat.
Venerem precaris? comprecare et simiam.
Placet sacratus aspis Æsculapii?
Crocodilus, ibis, et canis cur displicent?

[1] Neæra, nympha: communi vocabulo quælibet muliercula meretrix. Virgilius, *Eglog.* III, vers. 3. de Ægone:

Infelix o semper ovis pecus! ipse Neæram
Dum fovet, etc.

Appone porris religiosas arulas,
Venerare acerbum cæpe, mordax allium.
Fuliginosi thure placantur Lares,
Et respuuntur consecrata oluscula:
Aut unde major esse majestas focis,
Quam nata in hortis sarculatis creditur,
Si numen ollis, numen et porris inest?
Sed pulchra res est forma in ære sculptilis.
Quid imprecabor officinis Græciæ,
Quæ condiderunt gentibus stultis Deos?
Forceps Myronis, Polycleti malleus
Natura vestrum est atque origo Cœlitum.
Ars seminandis efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Jovis circumplicat,
Dum defluentem leniter flectens comam,
Limat capillos, et corymbos Liberi,
Et dum Minervæ pectus hydris asperat,
Injecit atram territis formidinem,
Ut fulmen æris, ceu Tonantis, horreant:
Tremant venenum sibilantis Gorgonæ:
Putent ephebum post triumphos Indicos
Ferire thyrso posse, cum sit ebrius.
Tum, quod Dianam molle succinctam vident,
Venantis arcum pertimescunt virginis.
Si forte vultum tristioris Herculis
Liquore crispo massa finxit fusilis,
Clavam minari, ni colatur, creditur.
Jam quis paventum corda terror occupat,
Junonis iram si polite expresserit?
Velut retortis intuens obtutibus,
Avertat ora de litantis hostia,
Lapis severa fronte mentitur minas.
Miror, quod ipsum non sacrastis Mentorem,

Nec templum et aras ipse Phidias habet :
Fabri Deorum, vel parentes Numinum,
Qui si caminis institissent segnius,
Non esset ullus Juppiter conflatilis.
Non erubescis, stulte, pago dedite,
Te tanta semper perdidisse obsonia,
Quæ Dis ineptus obtulisti talibus,
Quos trulla, pelvis, cantharus, sartagines,
Fracta et liquata contulerunt vascula ?
Ignosco fatuis hæc tamen vulgaribus,
Quos lana terret discolora in stipite,
Quos sæpe salsus circulator decipit :
Quibus omne sanctum est, quod pavendum rancidæ
Edentularum cantilenæ suaserint.
Vos eruditos miror et doctos viros,
Perpensa vitæ quos gubernat regula,
Nescire vel divina vel mortalia
Quo jure constent : quanta majestas regat,
Quidquid creatum est, quæ creavit omnia.
Deus perennis, res inæstimabilis,
Non cogitando, non videndo clauditur :
Excedit omnem mentis humanæ modum,
Nec comprehendi visibus nostris valet,
Extraque et intus implet ac superfluit.
Intemporalis, ante quam primus dies :
Esse et fuisse semper unus obtinet :
Lux ipse vera, veri et auctor luminis :
Cum lumen esset, lumen effudit suum :
Ex luce fulgor natus hic est Filius.
Vis una Patris, vis et una est Filii,
Unusque ab uno lumine splendor satus,
Pleno refulsit claritatis lumine.
Natura simplex pollet unius Dei ;

Et, quidquid usquam est, una virtus condidit.
Cœlum, solumque, vim marini gurgitis,
Globos dierum noctiumque præsides,
Ventos, procellas, fulgura, imbres, nubila,
Septentriones, Hesperos, æstus, nives,
Fontes, pruinas, et metalla, et flumina :
Prærupta, plana, montium convallia,
Feras, volucres, reptiles, natatiles,
Jumenta, pecua, subjugales belluas,
Flores, fruteta, germina, herbas, arbores,
Quæ sunt odori, quæque vernant esui.
Hæc non labore et arte molitus Deus,
Sed jussione, quam potestas protulit.
Mandavit esse; facta sunt, quæ non erant.
Verbo creavit omniformem machinam :
Virtus paterna semper in Verbo fuit.
Cognostis ipsum, nunc colendi agnoscite
Ritum modumque, quale sit templi genus,
Quæ dedicari sanxerit donaria,
Quæ vota poscat, quos sacerdotes velit,
Quod mandet illic nectar immolarier.
Ædem sibi ipse mente in hominis condidit
Vivam, serenam, sensualem, flabilem,
Solvi incapacem posse, nec destructilem,
Pulchram, venustam, præminentem culmine,
Discriminatis illitam coloribus.
Illic sacerdos stat sacrato in limine,
Foresque primas virgo custodit Fides,
Innexa crines vinculis regalibus,
Poscit litari victimas Christo et Patri,
Quas scit placere, candidatas, simplices :
Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Pacis quietem, castitatem corporis,
Dei timorem, regulam scientiæ,

Jejuniorum parcitatem sobriam,
Spem non jacentem, semper et largam manum.
Ex his amœnus hostiis surgit vapor,
Vincens odorem balsami, thuris, croci,
Auras madentes Persicorum aromatum :
Sublatus inde cœlum ad usque tollitur,
Et prosperatum dulce delectat Deum.
Hanc disciplinam quisquis infensus vetat,
Vetat probatum vivere, et sanctum sequi :
Vetat vigorem mentis alte intendere,
Nostrique acumen ignis ad terram vocat,
Nec excitari vim sinit prudentiæ.
O mersa limo cæcitas gentilium !
O carnulenta nationum pectora !
O spissus error ! o tenebrosum genus !
Terris amicum, deditum cadaveri,
Subjecta semper intuens, nunquam supra !
Furor-ne summus, ultima et dementia est,
Deos putare, qui creantur nuptiis ?
Rem spiritalem terrulente quærere,
Elementa mundi consecrare altaribus,
Id, quod creatum est, conditorem credere ?
Deasciato supplicare stipiti,
Verris cruore scripta saxa spargere,
Aras ofellis obsecrare bubulis :
Homines fuisse cum scias, quos consecras,
Urnas reorum morticinas lambere ?
Desiste, judex sæculi, tantum nefas
Viris jubere fortibusque et liberis :
Nil est amore veritatis celsius.
Dei perennis numen asserentibus
Nihil est pavori, mors et ipsa subjacet.
Dudum coquebat disserente martyre

Asclepiades intus iram subdolam,
Stomachatus alto felle, dum longum silet,
Bilemque tectis concipit præcordiis,
Tandem latentis vim furoris evomit :
   Proh Juppiter ! quid est, quod ex hoc audio ?
Stat inter aras et Deorum imagines,
Et, quod fateri cogor, in medio foro,
Tacente memet, ac perorat perditus,
Quidquid sacrorum est ore fœdans impio.
   O fas priorum ! moris o prisci status !
Inventa regum pro salute publica
Pompiliorum nostra carpunt sæcula.
Quis hos sophistas error invexit novus,
Qui non colendos esse Divos disputent ?
   Nunc dogma nobis Christianum nascitur,
Post evolutos mille demum consules
Ab urbe Roma : ne retexam Nestoras.
Quidquid novellum surgit, olim non fuit.
Vis summa rerum nosse ? Pyrrham consule.
   Ubi iste vester tunc erat summus Deus,
Divum favore cum puer Mavortius
Fundaret arcem septicollem Romulus ?
Quod Roma pollet auspicato condita,
Jovi Statori debet et Diis cæteris.
   Hoc sanctum ab ævo est, hoc ab atavis traditum :
Placanda nobis pro triumphis principis
Delubra, faustus ut secundet gloriam
Procinctus, utque subjugatis hostibus
Ductor quietum frenet orbem legibus.
   Accingere ergo, quisquis es, nequissime,
Pro principali rite nobiscum Deos
Orare vita : vel, quod hostem publicum
Pati necesse est, solve pœnam sanguine.

Sprevisse templa, respuisse est principem.
Tunc ille : Nunquam pro salute, et maximis
Fortissimisque principis cohortibus
Aliter precabor, quam fidele ut militent,
Christique lymphis ut renascantur Patri,
Capiant et ipsum cœlitus Paraclitum :
Ut idolorum respuant caliginem,
Cernant ut illud lumen æternæ spei,
Non succulentis influens obtutibus,
Nec corporales per fenestras emicans,
Puris sed intus quod relucet mentibus.
Pupilla carnis crassa crassum perspicit,
Et res caduca, quod resolvendum est, videt :
Liquidis videndis aptus est animæ liquor :
Natura fervens sola, ferventissimæ
Divinitatis vim coruscantem capit.
. Hoc opto lumen imperator noverit
Tuus meusque, si velit fieri meus :
Nam si resistit Christiano nomini,
Meus ille talis imperator non erit :
Scelus jubenti, crede, nunquam serviam.
Statis, ministri, clamitans judex ait,
Statis, manusque continetis vindices?
Non rupta sulcis dissecatis viscera?
Animam nec intus abditam rimamini,
Erupit unde vox profana in principem?
Scindunt utrumque milites teterrimi
Mucrone hiulco pensilis latus viri,
Sulcant per artus longa tractim vulnera,
Obliqua rectis, recta transversis secant;
Et jam retectis pectus albet ossibus.
Nitendo anhelant, diffluunt sudoribus,
Cum sit quietus heros, in quem sæviunt.

Hæc inter addit sponte Romanus loqui :
Si quæris , o præfecte , verum noscere ,
Hoc omne , quidquid lancinamur, non dolet :
  Dolet, quod error pectori insedit tuo ,
Populos quod istos tecum trahis perditos.
Currunt frequentes undique ad spectaculum
Gentile vulgus , heu , gemenda corpora ,
Crudumque nostræ sortis exemplum tremunt.
  Audite cuncti : clamo longe ac prædico :
Emitto vocem de catasta celsior :
Christus paternæ gloriæ splendor, Deus
Rerum creator, noster idem particeps ,
Spondet salutem perpetem credentibus.
  Animæ salutem , sola quæ non occidit ,
Sed juge durans dispares casus subit ,
Aut luce fulget , aut tenebris mergitur.
Christum secuta Patris intrat gloriam :
Disjuncta Christo , mancipatur tartaro.
  Curanda mercis qualitas , quænam mihi
Contingat olim perpetis substantiæ :
Nam membra parvi pendo quo pacto cadant ,
Casura certe lege naturæ suæ.
Instat ruina : quod resolvendum est, ruat.
  Nec distat, ignis et fidiclæ sæviant,
An corpus ægrum languor asper torqueat,
Cum sæpe morbos major armet sævitas.
Non ungularum tanta vis latus fodit
Mucrone, quanto dira pulsat pleurisis.
  Nec sic inusta laminis ardet cutis ,
Ut febris atro felle venas exedit ;
Vel summa pellis ignis obductus coquit ,
Papulasque fervor æstuosus excitat :
Credas cremari stridulis cauteribus.

Miserum putatis, quod retortis pendeo
Extentus ulnis, quod revelluntur pedes,
Compago nervis quod sonat crepantibus :
Sic ejulantes ossa clamant dividi,
Nodosa torquet quos podagra et arthrisis.
Horretis omnes hasce carnificum manus.
Num mitiores sunt manus medentium,
Laniena quando sævit Hippocratica ?
Vivum secatur viscus, et recens cruor
Scalpella tingit, dum putredo abraditur.
Putate ferrum triste chirurgos meis
Inferre costis, quod secat salubriter.
Non est amarum, quo reformatur salus :
Videntur isti carpere artus tabidos,
Sed dant medelam rebus intus vividis.
Quis nescit autem, quanta corruptela sit
Contaminatæ carnis ac solubilis ?
Sordet, tumescit, liquitur, fœtet, dolet,
Inflatur ira, solvitur libidine :
Plerumque felle tincta livores trahit.
Aurum regestum nonne carni acquiritur ?
Illusa vestis, gemma, bombyx, purpura,
In carnis usum mille quæruntur dolis :
Luxus vorandi carnis arvinam fovet :
Carnis voluptas omne per nefas ruit.
Medere, quæso, carnifex, tantis malis :
Concide, carpe fomitem peccaminum :
Fac, ut resecto debilis carnis situ,
Dolore ab omni mens supersit libera,
Ne gestet ultra, quod tyrannus amputet.
Nec terrearis turba circumstantium :
Hoc perdo solum, quod peribit omnibus,
Regi, clienti, pauperique, et diviti :

Sic vernularum, sic senatorum caro
Tabescit, imo cum sepulcro condita est.
Jactura vilis mordet et damnum leve,
Si, quo carendum est, perdere extimescimus:
Cur, quod necesse est, non voluntas occupat?
Natura cur non vertit in rem gloriæ?
Legale damnum deputemus præmiis.
Sed, præmiorum forma quæ sit fortibus,
Videamus: illa nempe quæ nunquam perit.
Cœlo refusus subvolabit spiritus,
Dei parentis perfruetur lumine,
Regnante Christo stans in arce regia.
Quandoque cœlum, ceu liber, plicabitur,
Cadet rotati solis in terram globus,
Sphæram ruina menstrualem destruat:
Deus superstes solus, et justi simul
Cum sempiternis permanebunt Angelis.
Contemne præsens utile, o prudens homo,
Quod terminandum, quod relinquendum est tibi:
Omitte corpus, rem sepulcri et funeris:
Tende ad futuram gloriam, perge ad Deum:
Agnosce qui sis: vince mundum et sæculum.
Vix dum elocutus martyr hanc peregerat
Orationem, cum furens interserit
Asclepiades: Vertat ictum carnifex
In os loquentis; inque maxillas manum,
Sulcosque acutos et fidiclas transferat.
Verbositatis ipse rumpatur locus,
Scaturientes perdat ut loquacitas
Sermonis auras, perforatis follibus,
Quibus sonandi nulla lex ponit modum:
Ipsa et loquentis verba torqueri volo.
Implet jubentis dicta lictor impius:

Charaxat ambas ungulis scribentibus
Genas, cruentis et secat faciem notis :
Hirsuta barbis solvitur carptim cutis,
Et mentum ad usque vultus omnis scinditur.
Martyr fluentem fatur inter sanguinem :
Grates tibi, o præfecte, magnas debeo,
Quod multa pandens ora jam Christum loquor :
Arctabat ampli nominis præconium
Meatus unus, impar ad laudes Dei.
Rimas patentes invenit vox edita,
Multisque fusa rictibus reddit sonos
Hinc inde plures, et profatur undique
Christi Patrisque sempiternam gloriam.
Tot ecce laudant ora, quot sunt vulnera.
Tali repressus cognitor constantia,
Cessare pœnam præcipit : tunc sic ait :
Per solis ignem juro, qui nostros dies
Reciprocatis administrat circulis,
Cujus recursu lux et annus ducitur,
Ignes parandos jam tibi tristis rogi,
Qui fine digno corpus istud devorent,
Quod perseverans tam resistit nequiter
Sacris vetustis, nec dolorum spiculis
Victum fatiscit, fitque pœnis fortius.
Quis hunc rigorem pectori injecit stupor?
Mens obstinata est, corpus omne occalluit :
Tantus novelli dogmatis regnat furor.
Hic nempe vester Christus haud olim fuit,
Quem tu fateris ipse suffixum cruci.
Hæc illa crux est ominum nostrum salus,
Romanus inquit : hominis hæc redemptio est.
Scio incapacem te sacramenti, impie,
Non posse cæcis sensibus mysterium

Haurire nostrum : nil diurnum nox capit.
Tamen in tenebris proferam claram facem.
Sanus videbit, lippus oculos obteget :
Removete lumen, dicet insanabilis :
Injuriosa est nil videnti claritas.
Audi, profane, quod gravatus oderis.
Regem perennem Rex perennis protulit,
In se manentem, nec minorem tempore,
Quia tempus illum non tenet : nam fons retro
Exordiorum est et dierum, et temporum,
Ex Patre Christus : hoc Pater, quod Filius.
Hic se videndum præstitit mortalibus :
Mortale corpus sumpsit immortalitas,
Ut, dum caducum portat æternus Deus,
Transire nostrum possit ad cœlestia :
Homo est peremptus, et resurrexit Deus.
Congressa mors est membra gestanti Deo :
Dum nostra tentat, cessit immortalibus :
Stultum putatis hoc, sophistæ sæculi :
Sed stulta mundi summus elegit Pater,
Ut stultus esset sæculi, prudens Dei.
Antiquitatem Romuli, et Mavortiam
Lupam renarras, primum et omen vulturum :
Si res novellas respuis, nil tam recens :
Vix mille fastis implet hanc ætatulam
Cursus dierum conditore ab augure.
Sexcenta possum regna pridem condita
Proferre toto in orbe, si sit otium,
Multo ante clara, quam capellam Gnossiam
Suxisse fertur Juppiter, Martis pater :
Sed illa non sunt, hæc et olim non erunt.
Crux ista Christi, quam novellam dicitis,
Nascente mundo factus ut primum est homo

Expressa signis, expedita est litteris :
Adventus ejus mille per miracula
Prænuntiatus ore vatum consono.
  Reges, prophetæ, judices, et principes,
Virtute, bellis, cultibus, sacris, stilo,
Non destiterunt pingere formam crucis.
Crux prænotata, crux adumbrata est prius,
Crucem vetusta combiberunt sæcula.
  Tandem retectis vocibus propheticis,
Ætate nostra comprobata antiquitas,
Coram refulsit ore conspicabili,
Ne fluctuaret veritas dubia fide,
Si non pateret teste visu comminus.
  Hinc nos et ipsum non perire credimus
Corpus, sepulcro quod vorandum traditur :
Quia Christus in se mortuum corpus cruci
Secum excitatum vexit ad solium Patris,
Viamque cunctis ad resurgendum dedit.
  Crux illa nostra est, nos patibulum ascendimus,
Nobis peremptus Christus, et nobis Deus
Christus reversus, ipse qui moriens homo est :
Natura duplex moritur et mortem domat,
Reditque in illud, quod perire nesciat.
  Dixisse pauca sit satis de mysticis
Nostræ salutis, deque processu spei.
Jam jam silebo : margarita spargere
Christi vetamur inter immundos sues,
Lutulenta sanctum ne terant animalia.
  Sed, quia profunda non licet luctarier
Ratione tecum, consulamus proxima :
Interrogetur ipsa naturalium
Simplex sine arte sensuum sententia :
Fuci imperitus fac ut adsit arbiter.

Da septuennem circiter puerum aut minus,
Qui sit favoris liber, et non auderit
Quemquam, nec ullum mentis in vitium cadat:
Periclitemur quid recens infantia
Dicat sequendum, quid novus sapiat vigor.
Hanc ille sancti Martyris vocem libens
Amplexus, unum de caterva infantium
Parvum, nec olim lacte depulsum, capi,
Captumque adesse præcipit. Quidvis roga,
Inquit: sequamur, quod probarit pusio.
Romanus ardens experiri innoxiam
Lactentis oris indolem: Filiole, ait,
Dic quid videtur esse verum et congruens,
Unum-ne Christum colere, et in Christo Patrem,
An comprecari mille formarum Deos?
Arrisit infans, nec moratus retulit:
Est quidquid illud, quod ferunt homines Deum,
Unum esse oportet, et, quod uni, est unicum.
Cum Christus hoc sit, Christus est verus Deus.
Genera Deorum multa nec pueri putant.
Stupuit tyrannus, sub pudore fluctuans,
Nec vim decebat innocenti ætatulæ
Inferre leges, nec loquenti talia
Furor sinebat efferatus parcere.
Quis auctor, inquit, vocis est hujus tibi?
Respondit ille: Mater, et matri Deus.
Illa ex parente Spiritu docta imbibit,
Quo me inter ipsa pasceret cunabula:
Ego, ut gemellis uberum de fontibus
Lac parvus hausi, Christum et hausi credere.
Ergo ipsa mater adsit, exclamat, cedo,
Asclepiades; disciplinæ et exitum
Tristem suæ magistra spectet impia,

Male eruditi torqueatur funere
Infantis orba; quemque corrupit, fleat.
Absit, ministros vilis ut muliercula
Nostros fatiget. Quantulus autem dolor
Vexabit artus, mortis auxilio brevis!
Oculi parentis punientur acrius,
Quam si cruenta membra carpant ungulæ.
Vix hæc profatus, pusionem præcipit
Sublime tollant, et manu pulsent nates:
Mox et remota veste virgis verberent,
Tenerumque duris ictibus tergum secent,
Plus unde lactis quam cruoris defluat.
Quæ cautes illud perpeti spectaculum,
Quis ferre possit æris aut ferri rigor?
Impacta quoties corpus attigerat salix,
Tenui rubebant sanguine uda vimina,
Quem plaga flerat roscidis livoribus.
Ferunt minaces verberantium genas
Illacrymasse, sponte demanantibus
Guttis per ora barbarum frementia,
Scribas et ipsos, et coronam plebium,
Proceresque siccis non stetisse visibus.
At sola mater hisce lamentis caret,
Soli sereno frons renidet gaudio:
Stat impiorum corde pietas fortior,
Amore Christi, contumax doloribus;
Firmatque sensum mollis indulgentiæ.
Sitire sese parvus exclamaverat:
Animæ æstuantis ardor in cruciatibus
Hoc exigebat, lymphæ ut haustum posceret:
Quem torva mater eminus tristi intuens
Vultu, et severis vocibus sic increpat:
Puto imbecillo, nate, turbaris metu,

Et te doloris horror afflictum domat :
Non hanc meorum viscerum stirpem fore
Deo spopondi : non in hanc spec gloriæ
Te procreavi, cedere ut letho scias.
Aquam bibendam postulas, cum sit tibi
Fons ille vivus præsto, qui semper fluit,
Et cuncta solus irrigat viventia ,
Intus forisque spiritum et corpus simul,
Æternitatem largiens potantibus.
Venies ad illud mox fluentum, si modo
Animo ac medullis solus ardor æstuet
Videre Christum : quod semel potum affatim
Sic sedat omnem pectoris flagrantiam ,
Vita ut beata jam sitire nesciat.
Hic, hic bibendus, nate, nunc tibi est calix,
Mille in Bethleem quem biberunt parvuli :
Oblita lactis, et papillarum immemor
Ætas amaris, mox deinde dulcibus
Refecta poclis, mella sumpsit sanguinis.
Exemplum ad istud nitere, o fortis puer,
Generosa proles matris et potentia :
Omnes capaces esse virtutum Pater
Mandavit annos : neminem excepit diem ,
Ipsis triumphos annuens vagitibus.
Scis, sæpe dixi, cum docenti alluderes ,
Et garrulorum signa verborum dares ,
Isaac fuisse parvulum patri unicum,
Qui, cum immolandus aram et ensem cerneret,
Ultro sacranti colla præbuerit seni.
Narravi et illud nobile ac memorabile
Certamen, una matre quod septem editi
Gessere pueri, sed tamen factis viri ;
Hortante eadem matre, in ancipiti exitu

Pœnæ et coronæ sanguini ut ne parcerent.
Videbat ipsos apparatus funerum
Præsens suorum, nec movebatur parens,
Lætata quoties aut olivo stridula
Sartago frixum torruisset puberem,
Dira aut cremasset laminarum impressio.
Comam cutemque verticis revulserat
A fronte tortor, nuda testa ut tegmine
Cervicem ad usque dehonestaret caput.
Clamabat illa : Patere, gemmis vestiet
Apicem hunc corona regio ex diademate.
Linguam tyrannus amputari jusserat
Uni ex ephebis : mater aiebat : Satis
Jam parta nobis gloria est : pars optima
Deo immolatur ecce nostri corporis :
Digna est fidelis lingua quæ sit hostia.
Interpres animi, enuntiatrix sensuum,
Cordis ministra, præco operti pectoris,
Prima offeratur in sacramentum necis,
Et sit redemptrix prima membrorum omnium,
Ducem dicatam mox sequentur cætera.
His Machabæos incitans stimulis parens,
Hostem subegit subjugatum septies,
Quot fœta natis, tot triumphis inclyta :
Me partus unus ut feracem gloriæ,
Mea vita præstet, in tua est situm manu.
Per hujus alvi fida conceptacula,
Per hospitalem mense bis quino larem;
Si dulce nostri pectoris nectar tibi,
Si molle gremium, grata si crepundia;
Persiste, et horum munerum auctorem assere.
Quanam arte nobis vivere intus cœperis,
Nihilumque, et illud unde corpus, nescio :

Novit animator solus et factor tui :
Impendere ipsi, cujus ortus munere es :
Bene in datorem, quod dedit, refuderis.
Talia canente matre, jam lætus puer
Virgas strepentes et dolorem verberum
Ridebat : hic tum cognitor pronuntiat :
Claudatur infans carcere, et tanti mali
Romanus auctor torqueatur acrius.
Illum recentes per cicatricum vias
Denuo exarabant, quaque acutum traxerant
Paulo ante ferrum, mox recrudescentibus
Plagis apertas persequebantur notas,
Quos jam superbus[1] victor ignavos vocat.
O non virile robur! o molles manus!
Unam labantis dissipare tandiu
Vos non potesse[2] fabricam corpusculi?
Vix jam cohæret : nec tamen penitus cadit,
Vincens lacertos dexterarum inertium.
Citius cadaver dentibus carpunt canes,
Longeque morsus vulturum efficacior
Ad devorandas carnis offas mortuæ.
Languetis imbelli fame, ac fatiscitis :
Gula est ferina, sed socors edacitas.

[1] Hic *superbus* sumitur pro, excellenti, præstanti, quod etiam usurparunt quandoque veteres. Horat. *Carm.* lib. I, Od. XXXV, vers. 3.

. . . . . vel superbos
Vertere funeribus triumphos.

Virgilius, *Æneid.* lib. I, vers. 25.

Hinc populum late regem belloque superbum
Venturum excidio Lybiæ.

Atque in eamdem sententiam alibi Prudentius ipse.

[2] Lucretius etiam *potesse* pro *posse* posuit. Sic enim, lib. I, vers. 666.

Quod si forte ulla credunt ratione potesse.

Exarsit istis turbida ira judicis,
Seque in supremam concitat sententiam :
Si te morarum pœnitet, finem citum
Subeas licebit : ignibus vorabere
Damnatus, et favilla jam tenuis fies.
Abiens at ille, cum foro abriperent virum
Truces ministri, pone respectans ait :
Appello ab ista, perfide, ad Christum meum
Crudelitate, non metu mortis tremens,
Sed ut probetur esse nil, quod judicas.
Quid differo, inquit ille, utrosque perdere,
Puerum ac magistrum, complices sectæ impiæ ?
Gladius recidat vile vix hominis caput
Infantis ; istum flamma vindex concremet :
Sit his sub uno fine dispar exitus.
Perventum ad ipsum cædis implendæ locum ;
Natum gerebat mater amplexu et sinu,
Ut primitivum crederes fœtum geri,
Deo offerendum, sancti Abelis ferculo,
Lectum ex ovili puriorem cæteris.
Puerum poposcit carnifex : mater dedit,
Nec immorata est fletibus : tantum osculum
Impressit unum. Vale, ait, dulcissime ;
Et cum beatus regna Christi intraveris,
Memento matris, jam patrone ex filio.
Dixit : deinde, dum ferit cerviculam
Percussor ense, docta mulier psallere,
Hymnum canebat carminis Davidici :
Pretiosa sancti mors sub aspectu Dei,
Tuus ille servus, proles ancillæ tuæ.
Talia retexens explicabat pallium,
Manusque tendebat sub ictu et sanguine,
Venarum ut undam profluam manantium,

Et palpitantis oris exciperet globum :
Excepit, et caro applicavit pectori.
At parte campi ex altera immanem pyram
Texebat ustor fumidus pinu arida,
Sarmenta mixtim subdita et fœni struem
Spargens liquato rore ferventis picis,
Quo flamma pastu cresceret ferocius.
Et jam retortis brachiis furca eminus
Romanus actus ingerebatur rogo :
Scio, inquit ille, non futurum ut concremer,
Nec passionis hoc genus datum est mihi;
Et restat ingens, quod fiat, miraculum.
Hæc ejus orsa sequitur immensus fragor
Nubis ruentis : nimbus undatim nigro
Præceps aquarum flumine ignes obruit.
Alunt olivo semicombustas faces;
Sed vincit imber jam madentem fomitem.
Trepidare teter carnifex, rebus novis
Turbatus, et qua posset arte insistere,
Versare torres cum favillis humidis,
Prunas maniplis confovere stuppeis,
Et semen ignis inter undas quærere.
Quod cum tumenti nuntiatum est judici,
Commovit iram fellis implacabilis :
Quousque tandem summus hic nobis magus
Illudet, inquit, Thessalorum carmine,
Pœnam peritus vertere in ludibrium?
Fortasse cervix, si secandam jussero
Flecti sub ensem, non patebit vulneri :
Vel amputatum plaga collum dividens
Rursus coibit ac reglutinabitur,
Humerique vertex eminebit additus.
Tentemus igitur ante partem quampiam

Truncare ferro corporis superstitis,
Ne morte simpla criminosus multiplex
Cadat, vel una perfidus cæde oppetat :
Quot membra gestat, tot modis pereat volo.
Libet experiri, Lerna sicut traditur,
Utrum renatis pullulescat artubus,
Ac se imminuti corporis damnis novum
Instauret : ipse præsto erit tunc Hercules,
Hydrina suetus ustum ire vulnera.
Jam nunc secandi doctus adsit artifex,
Qui cuncta norit viscerum confinia,
Vel nexa nervis disparare vincula.
Date hunc, revulsis qui medetur ossibus,
Aut fracta nodis sarciens compaginat.
Linguam priorem detrahat radicitus,
Quæ corpore omni sola vivit nequior :
Illa et procaci pessima in nostros Deos
Invecta motu, fas profanavit vetus,
Audax et ipsi non pepercit principi.
Aristo quidam medicus accitus venit,
Proferre linguam præcipit : profert statim
Martyr retectam, et pandit ima faucium.
Ille et palatum tractat, et digito exitum
Vocis pererrans, vulneri explorat locum.
Linguam deinde longe ab ore protrahens,
Scalpellum in usque guttur insertans agit.
Illo secante fila sensim singula,
Nunquam momordit Martyr, aut os dentibus
Compressit arctis, nec cruorem sorbuit.
Immotus et patente rictu constitit,
Dum sanguis extra defluit scaturiens :
Perfusa pulcher menta russo stemmate
Fert, et cruenti pectoris spectat decus,

Fruiturque et ostro vestis ut jam regiæ.
Ergo ratus præfectus elinguem virum
Cogi ad sacrandum posse, cum verbis carens
Nil in Deorum blateraret dedecus :
Jubet reduci jam jacentem et debilem,
Multo loquentis turbine olim territus.
Reponit aras ad tribunal denuo,
Et thus, et ignem vividum in carbonibus,
Taurina et exta, vel suilla abdomina :
Ingressus ille, ut hos paratus perspicit,
Insufflat, ipsos ceu videret Dæmonas.
Irridet hoc Asclepiades lætior :
Addit deinde : Numquid inclementius,
Sicut solebas, es paratus dicere ?
Effare quod vis, ac perora et dissere :
Permitto vocem libere ut exerceas.
Romanus alto corde suspirans diu :
Gemitu querelam traxit, et sic orsus est :
Christum loquenti lingua nunquam defuit :
Nec verba quæras quo regantur organo,
Cum prædicatur ipse verborum dator.
Qui fecit, ut vis vocis expressa intimo
Pulmone, et oris torta sub testudine,
Nunc ex palato det repercussos sonos,
Nunc temperetur dentium de pectine,
Sitque his agendis lingua plectrum mobile :
Si mandet idem, faucium sic fistulas
Spirare flatu concinentes consono,
Ut verba in ipsis explicent meatibus,
Vel exitu oris cymbalis profarier,
Nunc pressa parce labra, nunc hiantia :
Dubitas-ne verti posse naturæ statum,
Cui facta forma est, qualis esset primitus ?

Hanc nempe factor vertere, ut libet, potest,
Positasque leges texere ac retexere,
Linguam loquela ne ministram postulet.
Vis scire nostri Numinis potentiam?
Fluctus liquentis æquoris pressit pede :
Natura fluxa ac tenuis in solidum coit,
Quam dispar illis legibus, quîs condita est !
Solet natatus ferre, fert vestigia.
Habet usitatum munus hoc divinitas,
Quæ vera nobis colitur in Christo et Patre,
Mutis loquelam, percitum claudis gradum,
Surdis fruendam reddere audientiam,
Donare cæcis lucis insuetæ diem.
Hæc si quis amens fabulosa existimat,
Vel ipse tute si parum fidelia
Rebare pridem, vera cognoscas licet :
Habes loquentem, cujus amputaveras
Linguam : probatis cede jam miraculis.
Horror stupentem persecutorem subit,
Timorque et ira pectus in caliginem
Vertere : nescit vigilet, anne somniet:
Miratur hærens, quod sit ostenti genus.
Formido frangit; armat indignatio.
Nec vim domare mentis effrenæ potest,
Nec quo furoris tela vertat invenit.
Postremo medicum sævus insontem jubet
Reum citari : nundinatum hunc arguit,
Mercede certa pactus ut colluderet :
Aut ferrum in ore nil agens et irritum
Versasse frustra, seu retusis ictibus,
Aut arte quadam vulnus illatum breve,
Quod sauciata parte linguam læderet,
Nervos nec omnes usquequaque abscinderet.

Manere salvam vocis harmoniam probæ,
Non posse inani concavo verba exprimi.
Quæ concrepare ligula moderatrix facit.
Esto ut resultet spiritus vacuo specu,
Echo sed extat inde, non oratio.
Veris refutat medicus hanc calumniam:
Scrutare vel tu nunc latebras faucium,
Intraque dentes curiosum pollicem
Circumfer, haustus vel patentes inspice,
Lateat ne quidquam, quod regat spiramina.
Quanquam forassem forte si puncto levi,
Tenuive linguam contigissem vulnere,
Titubante plectro fatus esset debilis.
Nam, cum magistra vocis in vitium cadit,
Usus, necesse est, et loquendi intercidat.
Fiat periclum, si placet, cujusmodi
Edat querelam quadrupes, lingua eruta,
Elinguis et quem porca grunnitum strepat,
Cui vox fragosa, clamor est inconditus:
Probabo mutam nil sonare stridulum.
Testor salutem principis, me simplici
Functum secantis arte, judex optime,
Servisse jussis absque fraude publicis.
Sciat hic quis illi verba suggillet Deus;
Ego, unde mutus sit disertus, nescio.
His sese Aristo purgat: at contra impium
Nil hæc latronem Christianorum movent:
Magis magisque fertur in vesaniam:
Quærit, alienus sanguis ille asperserit
Virum, suo-ne fluxerit de vulnere.
Respondit his Romanus: Eccum, præsto sum:
Meus iste sanguis verus est, non bubulus:
Agnoscis illum, quem loquor, miserrime

Pagane, vestri sanguinem sacrum bovis,
Cujus litata cæde permadescitis?
Summus sacerdos nempe sub terram scrobe
Acta in profundum consecrandus mergitur,
Mitra infulatus, festa vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino sericam fultus togam.
Tabulis superne strata texunt pulpita,
Rimosa rari pegmatis compagibus,
Scindunt subinde vel terebrant aream,
Crebroque lignum perforant acumine,
Pateat minutis ut frequens hiatibus.
Huc taurus ingens, fronte torva et hispidâ,
Sertis revinctus aut per armos floreis,
Aut impeditis cornibus deducitur:
Necnon et auro frons coruscat hostiæ,
Setasque fulgor bractealis inficit.
Hic, ut statuta est immolanda bellua,
Pectus sacrata dividunt venabula:
Eructat amplum vulnus undam sanguinis
Ferventis, inque texta pontis subditi
Fundit vaporum flumen, et late æstuat.
Tum, per frequentes mille rimarum vias
Illapsus imber, tabidum rorem pluit,
Defossus intus quem sacerdos excipit,
Guttas ad omnes turpe subjectans caput,
Et veste et omni putefactus corpore.
Quin os supinat, obvias offert genas,
Supponit aures, labra, nares objicit,
Oculos et ipsos perluit liquoribus:
Nec jam palato parcit, et linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat.
Postquam cadaver sanguine egesto rigens,

Compage ab illa flamines retraxerint.
Procedit inde pontifex, visu horridus,
Ostentat udum verticem, barbam gravem,
Vittas madentes, atque amictus ebrios.
Hunc inquinatum talibus contagiis,
Tabo recentis sordidum piaculi,
Omnes salutant atque adorant eminus,
Vilis quod illum sanguis et bos mortuus
Fœdis latentem sub cavernis laverint.
Addamus illam, vis, hecatomben tuam?
Centena ferro cum cadunt animalia,
Variaque abundans cæde restagnat cruor,
Vix ut cruentis augures natatibus
Possint meare per profundum sanguinis.
Sed quid macellum pingue pulvinarium,
Quid maximorum lancinatores gregum,
Eviscerata carne crudos criminor?
Sunt sacra, quando vosmet ipsi exciditis,
Votivus et cum membra detruncat dolor.
Cultrum in lacertos exerit fanaticus,
Sectisque matrem brachiis placat Deam:
Furere ac rotari jus putatur mysticum,
Parca ad secandum dextra fertur impia,
Cœlum meretur vulnerum crudelitas.
Ast hic metenda dedicat genitalia,
Numen reciso mitigans ab inguine:
Offert pudendum semivir donum Deæ:
Illam revulsa masculini germinis
Vena, effluenti pascit auctam sanguine.
Uterque sexus sanctitati displicet:
Medium retentat inter alternum genus:
Mas esse cessat ille, nec fit fœmina.
Felix Deorum mater imberbes sibi

Parat ministros lævibus novaculis.
Quid, cum sacrandus accipit sphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus :
His membra pergunt urere, ut igniverint :
Quamcumque partem corporis fervens nota
Stigmarit, hanc sic consecratam prædicant.
Functum deinde cum reliquit spiritus,
Et ad sepulcrum pompa fertur funeris,
Partes per ipsas imprimuntur bracteæ :
Insignis auri lamina obducit cutem;
Tegitur metallo, quod perustum est ignibus.
Has ferre pœnas cogitur gentilitas :
Hac Dii coërcent lege cultores suos :
Sic Dæmon ipse ludit hos, quos ceperit;
Docet execrandas ferre contumelias,
Tormenta inuri mandat infelicibus.
At noster iste sanguis ex vestra fluit
Crudelitate : vos tyrannide impia
Exulceratis innocentum corpora.
Si vos sinatis, incruente vivimus :
At si cruente puniamur, vincimus.
Sed jam silebo : finis instat debitus,
Finis malorum, passionis gloria :
Jam non licebit, improbe, ut licuit modo,
Torquere nostra vel secare viscera :
Cedas necesse est victus, et jam desinas.
Cessabit equidem tortor et sector dehinc,
Judex minatur : sed peremptoris manus
Succedet illis strangulatrix faucium :
Aliter silere nescit oris garruli
Vox inquieta, quam tubam si fregero.
Dixit, foroque protrahi jussit virum,
Trudi in tenebras noxialis carceris :

Elidit illic fune collum Martyris
Lictor nefandus : sic peracta est passio :
Anima absoluta vinculis cœlum petit.
Gesta intimasse cuncta fertur principi
Præfectus, addens ordinem voluminum,
Seriemque tantæ digerens tragœdiæ :
Lætatus omne crimen in fastos refert
Suum tyrannus chartulis vivacibus.
Illas sed ætas conficit diutina,
Fuligo fuscat, pulvis obducit situ,
Carpit senectus, aut ruinis obruit :
Inscripta Christo pagina immortalis est,
Nec obsolescit ullus in cœlis apex.
Excepit astans Angelus coram Deo
Et quæ locutus Martyr, et quæ pertulit :
Nec verba solum disserentis condidit,
Sed ipsa pingens vulnera expressit stilo,
Laterum, genarum, pectorisque, et faucium.
Omnis notata est sanguinis dimensio,
Ut quamque plagam sulcus exaraverit
Altam, patentem, proximam, longam, brevem :
Quæ vis doloris, quive segmenti modus,
Guttam cruoris ille nullam perdidit.
Hic in regestis est liber cœlestibus,
Monimenta servans laudis indelebilis,
Relegendus olim sempiterno Judici,
Libramine æquo qui malorum pondera,
Et præmiorum comparabit copias.
Vellem, sinister inter hœdorum greges,
Ut sum futurus, eminus dinoscerer :
Atque, hoc precante, diceret rex optimus :
Romanus orat; transfer huc hœdum mihi;
Sit dexter agnus, induatur vellere.

HYMNUS XI

IN PASSIONEM HIPPOLYTI MARTYRIS AD VALERIANUM EPISCOPUM.

Innumeros cineres Sanctorum Romula in urbe
 Vidimus, o Christi Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, et singula quæris
 Nomina? difficile est ut replicare queam.
Tantos justorum populos furor impius hausit,
 Cum coleret patrios Troïa Roma Deos.
Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
 Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt et muta tamen tacitas claudentia tumbas
 Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virum jaceant congestis corpora acervis
 Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic, defossas mole sub una,
 Relliquias memini me didicisse hominum:
Quorum solus habet comperta vocabula Christus,
 Utpote quos propriæ junxit amicitiæ.
Hæc dum lustro oculis, et sicubi forte latentes
 Rerum apices veterum per monumenta sequor:
Invenio Hippolytum, qui quondam schisma Novati
 Presbyter attigerat, nostra sequenda negans,
Usque ad martyrii provectum insigne, tulisse
 Lucidi sanguinei præmia supplicii.
Nec mirere senem, perversi dogmatis olim,
 Munere ditatum catholicæ fidei.
Cum jam vesano victor raperetur ab hoste,
 Exultante anima carnis ad exitium,
Plebis amore suæ multis comitantibus ibat.

Consultus quænam secta foret melior,
Respondit : Fugite. o miseri, execranda Novati
Schismata : catholicis reddite vos populis.
Una fides vigeat, prisco quæ condita templo est,
Quam Paulus retinet, quamque cathedra Petri.
Quæ docui, docuisse piget : venerabile Martyr,
Cerno, quod a cultu rebar abesse Dei.
His ubi detorsit lævo de tramite plebem,
Monstravitque sequi, qua via dextra vocat,
Seque ducem recti, spretis anfractibus, idem
Præbuit, erroris qui prius auctor erat;
Sistitur insano rectori, Christicolas tunc
Ostia vexanti per Tiberina viros.
Illo namque die Roma secesserat, ipsos
Peste suburbanos ut quateret populos.
Non contentus humum celsa intra mœnia Romæ
Tingere justorum cædibus assiduis,
Janiculum cum jam madidum, fora, rostra, suburram
Cerneret eluvie sanguinis affluere;
Protulerat rabiem Tyrrheni ad littoris oram,
Quæque loca æquoreus proxima portus habet.
Inter carnifices, et constipata sedebat
Officia, extructo celsior in solio.
Discipulos fidei, detestandique rebelles
Idolii, ardebat dedere perfidiæ.
Carcereo crinita situ stare agmina contra
Jusserat, horrendis excrucianda modis.
Inde catenarum tractus, hinc lorea flagra
Stridere, virgarum concrepitare fragor.
Ungula fixa cavis costarum cratibus altos
Pandere secessus, et lacerare jecur.
Ac jam lassatis judex tortoribus ibat
In furias, cassa cognotione fremens.

Nullus enim Christi ex famulis per tanta repertus
  Supplicia, auderet qui vitiare animam.
Inde furens quæsitor ait : Jam, tortor, ab unco
  Desine : si vana est quæstio, morte agito.
Huic abscide caput : crux istum tollat in auras,
  Viventesque oculos offerat alitibus :
Hos rape præcipites, et vinctos conjice in ignem,
  Sit pyra quæ multos devoret una reos.
En tibi quos properes rimosæ imponere cymbæ,
  Pellere et in medii stagna profunda freti.
Quos ubi susceptos rapidum malesuta per æquor
  Vexerit, et tumidis cæsa labarit aquis,
Dissociata putrem laxent tabulata carinam,
  Conceptumque bibant undique naufragium.
Squamea cœnoso præstabit ventre sepulcrum
  Bellua, consumptis cruda cadaveribus.
Hæc persultanti celsum subito ante tribunal
  Offertur senior nexibus implicitus.
Stipati circum juvenes clamore fremebant,
  Ipsum Christicolis esse caput populis.
Si foret extinctum propere caput, omnia vulgi
  Pectora Romanis sponte sacranda Deis.
Insolitum lethi poscunt genus, et nova pœnæ
  Inventa, exemplo quo trepident alii.
Ille supinata residens cervice : Quis, inquit,
  Dicitur? affirmant dicier Hippolytum.
Ergo sit Hippolytus : quatiat turbetque jugales,
  Intereatque feris dilaceratus equis.
Vix hæc ille : duo cogunt animalia, freni
  Ignara, insueto subdere colla jugo :
Nonstabulis, blandive manu palpata magistri,
  Imperiumque equitis ante subacta pati :
Sedcampestre vago nuper pecus e grege captum,

Quod pavor indomito corde ferinus agit.
Jamque reluctantes sociarant vincula bigas,
Oraque discordi fœdere nexuerant.
Temonis vice funis inest, qui terga duorum
Dividit, et medius tangit utrumque latus,
Deque jugo in longum se post vestigia retro
Protendens trahitur, transit et ima pedum.
Hujus ad extremum, sequitur qua pulvere summo
Cornipedum refugas orbita trita vias,
Crura viri innectit laqueus, nodoque tenaci
Astringit plantas, cumque rudente ligat.
Postquam composito satis instruxere paratu
Martyris ad pœnam verbera, vincla, feros,
Instigant subitis clamoribus atque flagellis,
Iliaque infestis perfodiunt stimulis.
Ultima vox audita senis venerabilis hæc est:
Hi rapiunt artus; tu rape, Christe, animam.
Prorumpunt alacres, cæco et terrore feruntur,
Qua sonus atque tremor, qua furor exagitant.
Incendit feritas, rapit impetus, et fragor urget,
Nec cursus volucer mobile sentit onus.
Per sylvas, per saxa ruunt; non ripa retardat
Fluminis, aut torrens oppositus cohibet.
Prosternunt sepes, et cuncta obstacula rumpunt;
Prona, fragosa petunt; ardua transiliunt.
Scissa minutatim labefacto corpore frusta
Carpit spinigeris stirpibus hirtus ager.
Pars summis pendet scopulis, pars sentibus hæret:
Parte rubent frondes, parte madescit humus.
Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta super tumulum species liquidis viget umbris,
Effigians tracti membra cruenta viri.

Rorantes saxorum apices vidi, optime papa,
 Purpureasque notas vepribus impositas.
Docta manus virides imitando effingere dumos,
 Luserat e minio russeolam saniem.
Cernere erat, ruptis compagibus, ordine nullo
 Membra per incertos sparsa jacere situs.
Addiderat caros, gressu lacrymisque sequentes,
 Devia qua fractum semita monstrat iter.
Mœrore attoniti, atque oculis rimantibus ibant,
 Implebantque sinus visceribus laceris.
Ille caput niveum complectitur, ac reverendam
 Canitiem molli confovet in gremio.
Hic humeros, truncasque manus, et brachia, et ulnas,
 Et genua, et crurum fragmina nuda legit.
Palliolis etiam bibulæ siccantur arenæ,
 Ne quis in infecto pulvere ros maneat.
Si quis et in sudibus recalenti aspergine sanguis
 Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.
Nec jam densa sacro quidquam de corpore sylva
 Obtinet, aut plenis fraudat ab exequiis.
Cumque recensitis constaret partibus ille,
 Corporis integri qui fuerat numerus,
Nec purgata aliquid deberent avia toto
 Ex homine, extersis frondibus et scopulis,
Metando eligitur tumulo locus: Ostia linquunt:
 Roma placet, sanctos quæ teneat cineres.
Haud procul extremo culta ad pomœria vallo
 Mersa latebrosis crypta patet foveis.
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
 Ire per anfractus luce latente docet.
Primas namque fores summo tenus intrat hiatu,
 Illustratque dies limina vestibuli.
Inde, ubi progressu facili nigrescere visa est

Nox obscura, loci per specus ambiguum,
Occurrunt cæsis immissa foramina tectis,
Quæ jaciunt claros antra super radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus,
Arcta sub umbrosis atria porticibus,
Attamen excisi subter cava viscera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur absentis per subterranea solis
Cernere fulgorem, luminibusque frui.
Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara dicata Deo.
Illa sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui Martyris apposita,
Servat ad æterni spem Judicis ossa sepulcro;
Pascit item sanctis Tibricolas dapibus.
Mira loci pietas, et prompta precantibus ara,
Spes hominum placida prosperitate juvat.
Hic corruptelis animique et corporis æger
Oravi quoties stratus, opem merui.
Quod lætor reditu, quod te, venerande sacerdos,
Complecti licitum est, scribo quod hæc eadem,
Hippolyto scio me debere, Deus cui Christus
Posse dedit, quod quis postulet, annuere.
Ipsa, illas animæ exuvias quæ continet intus
Ædicula, argento fulgurat ex solido.
Præfixit tabulas dives manus æquore lævi,
Candentes, recavum quale nitet speculum.
Nec Pariis contenta aditus obducere saxis,
Addidit ornando clara talenta operi.
Mane salutatum concurritur: omnis adorat
Pubis: eunt, redeunt, solis ad usque obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul ac peregrinos
Permixtim populos relligionis amor.

Oscula perspicuo figunt impressa metallo,
  Balsama defundunt, fletibus ora rigant.
Jam cum se renovat decursis mensibus annus,
  Natalemque diem passio festa refert,
Quanta putas studiis certantibus agmina cogi,
  Quæve celebrando vota coire Deo?
Urbs augusta suos vomit effunditque Quirites,
  Una et patricios ambitione pari.
Confundit plebeia phalanx umbonibus æquis
  Discrimen procerum, præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies se candida portis
  Explicat, et longis dicitur ordinibus.
Exultant fremitus variarum hinc inde viarum;
  Indigena, et Picens, plebs et Etrusca venit.
Concurrit Samnitis atrox habitator, et altæ
  Campanus Capuæ, jamque Nolanus adest.
Quisque sua lætus cum conjuge, dulcibus et cum
  Pignoribus, rapidam carpere gestit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
  Hæret et in magnis densa cohors spatiis.
Angustum tantis illud specus esse catervis
  Haud dubium est, ampla fauce licet pateat.
Stat sed juxta aliud, quod tanta frequentia templum
  Tunc adeat, cultu nobile regifico,
Parietibus celsum sublimibus, atque superba
  Majestate potens, muneribusque opulens.
Ordo columnarum geminus laquearia tecti
  Sustinet, auratis suppositus trabibus:
Adduntur graciles tecto breviore recessus,
  Qui laterum seriem jugiter exsinuent.
At medios aperit tractus via latior alti
  Culminis, exurgens editiore apice.
Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal

Tollitur, antistes prædicat unde Deum.
Plena laborantes ægre domus accipit undas[1],
Arctaque confertis æstuat in foribus,
Maternum pandens gremium, quo condat alumnos.
Ac foveat fœtos accumulata sinus.
Si bene commemini, colit hunc pulcherrima Roma
Idibus Augusti mensis, ut ipsa vocat,
Prisco more diem : quem te quoque, sancte magister,
Annua festa inter dinumerare velim.
Crede, salutigeros feret hic venerantibus ortus,
Lucis honoratæ præmia restituens.
Inter solemnes Cypriani, vel Chelidoni,
Eulaliæque dies, currat et iste tibi.
Sic te pro populo, cujus tibi credita vita est,
Orantem Christus audiat omnipotens.
Sic tibi de pleno lupus excludatur ovili,
Agna nec ulla tuum capta gregem minuat.
Sic me gramineo remanentem denique campo,
Sedulus ægrotam pastor ovem referas.
Sic cum lacteolis caulas compleveris agnis,
Raptus et ipse sacro sis comes Hippolyto.

HYMNUS XII

PASSIO BEATORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Plus solito coëunt ad gaudia : dic, amice, quid sit.
Romam per omnem cursitant ovantque.
Festus apostolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atque Petri nobilis cruore.

[1] Id est, magnam hominum copiam, ut viris doctis animadversum. Eodem sensu Virgilius *Georg.*, lib. II, vers. 461.

. . . . . Foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus undam.

Et Apuleius *Metam.* lib. VI, p. m. 183. *Ruunt aliæ atque aliæ sepedum populorum undæ.*

Unus utrumque dies, pleno tamen innovatus anno,
Vidit superba morte laureatum.
Scit Tiberina palus, quæ flumine labitur propinquo,
Binis dicatum cæspitem tropæis;
Et crucis et gladii testis, quibus irrigans easdem
Bis fluxit imber sanguinis per herbas.
Prima Petrum rapuit sententia legibus Neronis,
Pendere jussum præminente ligno.
Ille tamen veritus celsæ decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam Magistri,
Exigit ut pedibus mersum caput imprimant supinis,
Quo spectet imum stipitem cerebro.
Figitur ergo manus subter, sola versus in cacumen:
Hoc mente major, quo minor figura.
Noverat ex humili cœlum citius solere adiri:
Dejecit ora, spiritum daturus.
Ut teres orbis iter flexi rota percucurrit anni,
Diemque eumdem sol reduxit ortus,
Evomit in jugulum Pauli Nero fervidum furorem:
Jubet feriri gentium magistrum.
Ipse prius sibimet finem cito dixerat futurum:
Ad Christum eundum est, jam resolvor, inquit.
Nec mora: protrahitur, pœnæ datur, immolatur ense:
Non hora vatem, non dies fefellit.
Dividit ossa duum Tibris, sacer ex utraque ripa,
Inter sacrata dum fluit sepulcra.
Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum,
Canens oliva, murmurans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus excitavit
Fontem perennem chrismatis feracem.
Nunc pretiosa ruit per marmora, lubricatque clivum,
Donec virenti fluctuet colymbo.
Interior tumuli pars est, ubi lapsibus sonoris
Stagnum nivali volvitur profundo,

Omnicolor vitreas pictura superne tingit undas,
Musci relucent, et virescit aurum:
Cyaneusque latex umbram trahit imminentis ostri.
Credas moveri fluctibus lacunar.
Pastor oves alit ipse illic gelidi rigore fontis,
Videt sitire quas fluenta Christi.
Parte alia titulum Pauli via servat Ostiensis,
Qua stringit amnis cæspitem sinistrum.
Regia pompa loci est: princeps bonus has sacravit arces,
Lusitque magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta
Lux esset intus, ceu jubar sub ortu.
Subdidit et Parias fulvis laquearibus columnas,
Distinguit illic quas quaternus ordo.
Tum camuros hyalo insigni varie cucurrit arcus:
Sic prata vernis floribus renident.
Ecce duas fidei summo Patre conferente dotes,
Urbi colendas quas dedit togatæ.
Aspice, per bifidas plebs Romula funditur plateas:
Lux in duobus fervet una festis.
Nos ad utrumque tamen gressu properemus incitato,
Et his et illis perfruamur hymnis.
Ibimus ulterius, qua fert via pontis Hadriani;
Lævam deinde fluminis petemus.
Transtiberina prius solvit sacra pervigil sacerdos:
Mox huc recurrit, duplicatque vota.
Hæc didicisse sat est Romæ tibi: tu domum reversus,
Diem bis festum sic colas, memento.

HYMNUS XIII.

IN PASSIONEM B. CYPRIANI MARTYRIS.

Punica terra tulit, quo splendeat omne quidquid usquam est:

Inde domo Cyprianum, sed decus orbis et magistrum.
Est proprius patriæ martyr, sed amore et ore noster.
Incubat in Libya sanguis, sed ubique lingua pollet:
Sola superstes agit de corpore, sola obire nescit.
Dum genus esse hominum Christus sinet, et vigere mundum,
Dum liber ullus erit, dum scrinia sacra litterarum;
Te leget omnis amans Christum: tua, Cypriane, discet.
Spiritus ille Dei, qui fluxerat auctor in Prophetas,
Fontibus eloquii te cœlitus actus irrigavit.
O nive candidius linguæ genus! o novum saporem!
Ut liquor ambrosius cor mitigat, imbuit palatum,
Sedem animæ penetrat, mentem fovet, et pererrat artus;
Sic Deus interius sentitur, et inditur medullis.
Unde bonum subitum terris dederis, Pater, revela.
Deerat apostolicis scriptis opulentus executor:
Eligitur locuples facundia, quæ doceret orbem,
Quæque voluminibus Pauli famulata disputaret,
Quo mage cruda hominum præcordia perpolita nossent
Sive timoris opus, seu mystica vel profunda Christi.
Unus erat juvenum doctissimus artibus sinistris,
Fraude pudicitiam perfringere, nil sacrum putare:
Sæpe etiam magicum cantamen inire per sepulcra,
Quo geniale tori jus solveret, æstuante nupta.
Luxuriæ rabiem tantæ cohibet repente Christus,
Discutit et tenebras de pectore, pellit et furorem,
Implet amore sui, dat credere, dat pudere facti.
Jamque figura alia est, quam quæ fuit, oris et nitoris:
Exuitur tenui vultus cute, transit in severam:
Deflua cæsaries compescitur ad breves capillos:
Ipse modesta loqui, spem quærere, regulam tenere,
Vivere justitiam Christi, penetrare dogma nostrum.
His igitur meritis dignissimus usque episcopale
Provehitur solium doctor, capit et sedile summum.

Valerianus opum princeps erat, atque Gallienus;
Constituere simul pœnam capitis Deum fatenti.
Millia terrigenum spurcissima jusserant sacrari.
Contra animos populi doctor Cyprianus incitabat,
Ne quis ab egregiæ virtutis honore discreparet,
Neu fidei pretium quis sumere degener timeret:
Esse levem cruciatum, si modo conferans futura,
Quæ Deus ipse viris intermina fortibus spopondit:
Merce doloris emi spem luminis et diem perennem,
Omne malum volucri cum tempore transvolare cursim:
Nil grave, quod peragi finis facit, et quiete donat:
Se fore principium pulchræ necis, et ducem cruoris:
Seque caput gladio summittere, sanguinem dicare:
Qui sociare animam Christo velit, ut comes sequatur.
His ubi corda virum Christo calefacta præparavit,
Ducitur ante alios, proconsule perfurente, vinctus,
Antra latent Tyriæ Carthaginis, altius reposta,
Conscia tartareæ caliginis, abdicata soli:
Clausus in his specubus sanctus Cyprianus, et catena
Nexus utramque manum, nomen Patris invocat supremi:
Omnipotens genitor Christi Deus, et creator orbis;
Christe parens hominis, quem diligis et vetas perire:
Ille ego, vipereis quem tu bonus oblitum venenis,
Criminibus variis tinctum, miseratus abluisti,
Jamque tuum fieri mandas, fio Cyprianus alter,
Et novus ex veteri, nec jam reus aut nocens, ut ante,
Si luteum facili charismate pectus expiasti:
Vise libens tenebris ergastula cæca dissipatis,
Eripe corporeo de carcere vinculisque mundi
Hanc animam: liceat fuso tibi sanguine immolari,
Ne qua ferum reprimat clementia judicem, tyranni
Neu sciat invidia mitescere, gloriam negare.
Da quoque ne quis iners sit de grege, quem tuum regebam,

Ne cadat impatiens pœnæ, titubetve quis tuorum,
Incolumem ut numerum reddam tibi, debitumque solvam.
Vocibus his Dominum permoverat : influebat inde
Spiritus in populum Carthaginis, auctor acrioris
Ingenii, stimulis ut pectora subditis calerent
Ad decus egregium discrimine sanguinis petendum;
Non trepidare docens, nec cedere, nec dolore vinci,
Laudis amore rapi, Christum sapere, et fidem tueri.
Fama refert, foveam campi in medio patere jussam,
Calce vaporifera summos prope margines refertam :
Saxa recocta vomunt ignem, niveusque pulvis ardet,
Urere tacta potens, et mortifer ex odore flatus.
Appositam memorant aram fovea stetisse summa,
Lege sub hac, salis aut micam, jecur et suis litarent
Christicolæ, aut mediæ sponte irruerent in ima fossæ.
Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti,
Gurgite pulvereo mersos liquor aridus voravit,
Præcipitemque globum fundo tenus implicavit imo.
Corpora candor habet, candor vehit ad superna mentes,
Candida massa dehinc dici meruit per omne sæclum.
Lætior interea jam Thascius ob diem suorum,
Sistitur indomiti proconsulis eminus furori.
Edere jussus erat, quid viveret : Unicultor, inquit,
Servo salutiferi mysteria consecrata Christi.
Ille sub hæc : Satis est jam criminis, ipse confitetur
Thascius; ipse Jovis fulmen negat; expedite ferrum,
Carnifices : gladio pœnam luat hostis idolorum.
Ille Deo meritas grates agit, et canit triumphans.
Flevit obire virum mœsta Africa, quo docente facta est
Cultior, eloquio cujus sibi docta gloriatur.
Mox tumulum lacrymans struxit, cineresque consecravit.
Desine flere bonum tantum : tenet ille regna cœli :
Nec minus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe :

Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.
Nec Libyæ populos tantum regit; exit usque in ortum
Solis, et usque obitum: Gallos fovet, imbuit Britannos,
Præsidet Hesperiæ, Christum serit ultimis Hiberis.
Denique doctor humi est, idem quoque martyr in supernis;
Instruit hic homines, illinc pia dona dat patronus.

HYMNUS XIV.

IN PASSIONEM AGNETIS VIRGINIS.

Agnes sepulcrum est Romulea in domo
Fortis puellæ, martyris inclytæ.
Conspectu in ipso condita turrium
Servat salutem virgo Quiritium:
Necnon et ipsos protegit advenas,
Puro ac fideli pectore supplices.
Duplex corona est præstita martyri,
Intactum ab omni crimine virginal,
Mortis deinde gloria liberæ.
Aiunt jugali vix habilem toro,
Primis in annis forte puellulam
Christo calentem, fortiter impiis
Jussis renisam, quo minus idolis
Addicta, sacram desereret fidem.
Tentata multis nam prius artibus,
Nunc ore blandi judicis illice,
Nunc sævientis carnificis minis,
Stabat feroci robore pertinax,
Corpusque duris excruciatibus
Ultro offerebat, non renuens mori.
Tum trux tyrannus: Si facile est, ait,

Pœnam subactis ferre doloribus,
Et vita vilis spernitur, at pudor
Charus dicatæ virginitatis est.
Hanc in lupanar trudere publicum
Certum est, ad aram ni caput applicat,
Ac de Minerva jam veniam rogat,
Quam virgo pergit temnere virginem.
Omnis juventus irruet, et novum
Ludibriorum mancipium petet.
Haud, inquit Agnes, immemor est ita
Christus suorum, perdat ut aureum
Nobis pudorem, nos quoque deserat.
Præsto est pudicis, nec patitur sacræ
Integritatis munera pollui.
Ferrum impiabis sanguine, si voles:
Non inquinabis membra libidine.
Sic elocutam, publicitus jubet
Flexu in plateæ sistere virginem.
Stantem refugit mœsta frequentia,
Aversa vultus, ne petulantius
Quisquam verendum conspiceret locum.
Intendit unus forte procaciter
Os in puellam, nec trepidat sacram
Spectare formam lumine lubrico.
En ales ignis fulminis in modum
Vibratur ardens, atque oculos ferit:
Cæsus corusco lumine corruit,
Atque in plateæ pulvere palpitat.
Tollunt sodales seminecem solo,
Verbisque deflent exequialibus.
Ibat triumphans virgo, Deum Patrem
Christumque sacro carmine concinens,
Quod sub profani labe periculi

Castum lupanar nec violabile
Experta victrix virginitas foret.
Sunt qui rogatam retulerint preces
Fudisse Christo, redderet ut reo
Lucem jacenti : tum juveni halitum
Vitæ innovatum visibus integris.
Primum sed Agnes hunc habuit gradum
Cœlestis aulæ, mox alius datur.
Accensus iram nam furor incitat
Hostis cruenti : Vincor, ait gemens.
I, stringe ferrum miles, et exere
Præcepta summi regia principis.
Ut vidit Agnes stare trucem virum
Mucrone nudo, lætior hæc ait :
Exulto, talis quod potius venit
Vesanus, atrox, turbidus, armiger,
Quam si veniret languidus ac tener,
Mollisque ephebus, tinctus aromate,
Qui me pudoris funere perderet.
Hic hic amator jam, fateor, placet :
Ibo irruentis gressibus obviam,
Nec demorabor vota calentia :
Ferrum in papillas omne recepero,
Pectusque ad imum vim gladii traham.
Sic nupta Christo transiliam poli
Omnes tenebras, æthere celsior.
Æterne Rector, divide januas
Cœli, obseratas terrigenis prius,
Ac te sequentem, Christe, animam voca,
Cum virginalem, tum Patris hostiam.
Sic fata, Christum vertice cernuo
Supplex adorat, vulnus ut imminens
Cervix subiret prona paratius.

Ast ille tantam spem peragit manu ;
Uno sub ictu nam caput amputat.
Sensum doloris mors cita prævenit.
Exutus inde spiritus emicat,
Liberque in auras exilit. Angeli
Sepsere euntem tramite candido.
Miratur orbem sub pedibus situm[1] :
Spectat tenebras ardua subditas,
Ridetque solis quod rota circuit,
Quod mundus omnis volvit et implicat,
Rerum quod atro turbine vivitur,
Quod vana sæcli mobilitas rapit :
Reges, tyrannos, imperia, et gradus,
Pompasque honorum stulta tumentium,
Argenti et auri vim rabida siti
Cunctis petitam per varium nefas,
Splendore multo structa habitacula,
Illusa pictæ vestis inania,
Iram, timorem, vota, pericula :
Nunc triste longum, nunc breve gaudium,
Livoris atri fumificas faces,
Nigrescit unde spes hominum et decus,
Et quod malorum tetrius omnium est,
Gentilitatis sordida nubila.
Hæc calcat Agnes, ac pede proterit,
Stans et draconis calce premens caput,
Terrena mundi qui ferus omnia
Spargit venenis, mergit et inferis.
Nunc virginali perdomitus solo,
Cristas cerebri deprimit ignei,

[1] Similia leguntur apud Virgilium, Eglog. v. vers. 56.
Candidus insuetum miratur lumen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.

Nec victus audet tollere verticem.
Cingit coronis interea Deus
Frontem duabus Martyris innubæ :
Unam decemplex edita sexies
Merces perenni lumine conficit :
Centenus extat fructus in altera.
O virgo felix, o nova gloria,
Cœlestis arcis nobilis incola,
Intende nostris colluvionibus
Vultum gemello cum diademate,
Cui posse soli Cunctiparens dedit
Castum vel ipsum reddere fornicem.
Purgabor oris propitiabilis
Fulgore, nostrum si jecur impleas.
Nil non pudicum est, quod pia visere
Dignaris, almo vel pede tangere.

PERI STEPHANON LIBRI FINIS.

AURELII PRUDENTII CLEMENTIS V. C.

APOTHEOSIS,

ID EST, LIBER DE DIVINITATE.

PRÆFATIO.

Est tria summa Deus, trinum specimen, vigor unus.
Corde Patris genita est Sapientia : Filius ipse est :
Sanctus ab æterno subsistit Spiritus ore.
Tempore nec senior Pater est, nec numine major :
Nam sapiens retro semper Deus edidit ex se,
Per quod semper erat gignenda ad sæcula, Verbum.
Edere sed Verbum Patris est ; at cætera Verbi :
Assumptum gestare hominem, reparare peremptum,
Conciliare Patri, dextraque in sede locare.
Spiritus ista Dei complet : Deus ipse fideles
In populos charisma suum diffundere promptus,
Et Patris et Christi virtutem in corpora transfert.

ALIA PRÆFATIO

SIVE

HYMNUS IN INFIDELES.

Est vera secta? te, magister, consulo.
Rectam-ne servamus fidem ?

An viperina non cavemus dogmata?
Et nescientes labimur?
Arctam salutis vix viam discernere est
Inter reflexas semitas.
Tam multa surgunt perfidorum compita,
Tortis polita erroribus:
Obliqua sese conferunt divortia,
Hinc inde textis orbitis:
Quas si quis errans ac vagus sectabitur,
Rectum relinquens tramitem,
Scrobis latentis pronus in foveam ruet,
Quam fodit hostilis manus:
Manus latronum, quæ viantes obsidet,
Iter sequentes devium.
Quid non libido mentis humanæ struat?
Quid non malorum pruriat?
Statum lacessunt omnipollentis Dei
Calumniosis litibus,
Fidem minutis dissecant ambagibus,
Ut quisque lingua est nequior:
Solvunt ligantque quæstionum vincula
Per syllogismos plectiles.
Væ captiosis sycophantarum strophis!
Væ versipelli astutiæ!
Nodos tenaces recta rumpit regula,
Infesta dissertantibus.
Idcirco mundi stulta delegit Deus,
Ut concidant sophistica;
Deque imbecillis subjugavit fortia,
Simplex ut esset credere.
Lapis ecce nostro fixus offensaculo est,
Impingat in quem vanitas,
Signum caventi, non caventi scandalum:

Hunc sternit illum, dirigit.
Dum plura tentat cæsus incerto gradu,
Incurrit id, quod obvium est.
Fax sola fidei est præferenda gressibus,
Ut recta sint vestigia :
Quîs in tenebris hostis errantes tamen
Pulsat, trahitque, et proterit.
Qui sparsa ad ipsum commeantum transitum
Frumenta sævus devorat :
Qui læta Christi culta fur interpolat,
Addens avenas æmulas,
Quas de veneni lacte in herbam fertiles
Patitur colonus crescere :
Ne forte culmum fibra inanis spiceum
Simul revulsa internecet.
Expectat ergo, dum dolosa et farrea
Fervens coquat maturitas,
Det ventilabro lecta quæque ut horreis,
Urat recrementum focis.
Refert sed ipsa nosse, quæ messem necant,
Zizaniorum semina.

POEMA I.

CONTRA HÆRESIM, QUÆ PATREM PASSUM AFFIRMAT.

Plurima sunt, sed pauca loquar, ne dira relatu
Dogmata catholicam maculent male prodita linguam.
Ille Patrem pellens solio detrudit in arctum
Corporis humani gestamen, nec pavet ipsum
Objectare neci, duroque affigere ligno.

Passibilis-ne Deus? cujus species et imago
Nulli visa unquam : nec enim comprendier illa
Majestas facilis sensuve, oculisve, manuve.
Joannis magni celebris sententia præsto est,
Haud unquam testata Deum potuisse videri.
Ille Pater, quem nulla acies violenta tuendo
Eminus ardentis penetravit acumine visus,
Qui se forma hominis non induit, et Deitatis
Immensum assumpto non temperat ore, modove.
Aut Evangelici pietas spernanda libelli
Jam, blaspheme, tibi est; aut nunquam visa beati
Vis intacta Patris, non admiscenda caducis.
Sed tamen et Patris est specimen, quod cernere fas sit.
Humanis aliquando oculis concurrere promptum.
Quod quamvis hebes intuitus speculamine glauco,
Humentique acie potuit nebulosus adire.
Quisque hominum vidisse Deum memoratur, ab ipso
Infusum vidit Gnatum : nam Filius hoc est,
Quod de Patre micans se præstitit inspiciendum
Per species, quas possit homo comprendere visu.
Nam mera majestas est infinita, nec intrat
Obtutus, aliquo ni se moderamine formet.
Hoc vidit princeps generosi seminis Abram,
Jam tunc dignati terras invisere Christi
Hospes homo, in triplicem Numen radiasse figuram :
Hoc colluctantis tractarunt brachia Jacob.
Ipse dator legis divinæ accedere coram
Jussus, amicitiæ collato qui stetit ore
Comminus, et sacris conjunxit verba loquellis,
Carnis in effigie Christum se cernere sensit.
Sed majora petens, animum per vota tetendit
Inconcessa homini, plus quam mortale laborans,
Ipsum, quantus erat, sine corpore visere Christum.

Denique post multi sermonis mutua, postque
Conspectum præsentis heri, et consortia longa,
Quæso, ait, ut liceat te nunc, Deus optime, nosse.
Respondit Dominus: Mea, non me, cernere justis
Posteriora dabo: quid apertius, absque aliena
Quam sumat facie Verbum non posse videri?
Posse tamen, cum malit idem, nunquam Patre viso
Terrenis oculis, habitu se ostendere nostro:
Sæpe et in Angelicas vel mortales moderatum
Induci species, queat ut sub imagine cerni.
Hoc Verbum est, quod vibratum Patris ore benigno
Sumpsit virgineo fragilem de corpore formam.
Inde figura hominis nondum sub carne, Moysi
Objecta, effigiem nostri signaverat oris:
Quod quandoque Deus Verbi virtute coactum
Sumpturus corpus, faciem referebat eadem.
Sed tamen et sentam visa est excita cremare
Flamma rubum. Deus in spinis volitabat acutis,
Vulnificasque comas innoxius ignis agebat,
Esset ut exemplo Deus illapsurus in artus
Spiniferos, sudibus quos texunt crimina densis,
Et peccata malis hirsuta doloribus implent.
Inculto nam stirpe frutex vitiosus iniquis
Luxuriam virgis inhonesto effundere succo
Cœperat, et nodos per acumina crebra ligabat.
Cernere erat steriles subito splendescere frondes,
Accensisque citum foliis magno impete late
Collucere Deum, nec spinea lædere texta,
Lambere sanguineos fructus, et poma cruenta,
Stringere mortiferi vitalia germina ligni.
Quandoquidem tristes purgantur sanguine culpæ,
Quem contorta rubus densis cruciatibus edit.
Ergo nihil visum, nisi quod sub carne videndum

Lumen, imago Dei, Verbum Deus, et Deus ignis,
Qui sentum nostri peccamen corporis implet.
Nam lucis Genitor, Verbi sator, auctor et ignis
Creditur extra oculos, ut Apostolus edocet auctor,
Qui negat intuitu fontem Deitatis adiri:
Credite, nemo Deum vidit, mihi credite, nemo.
Visibilis de fonte Deus, non ipse Dei fons
Visibilis: cerni potis est, qui nascitur, at non
Innatus cerni potis est: latet os Patris illud,
Unde Deus, qui visibilem se præstitit olim,
Tale aliquid formans in sese, quale secuta est
Passio, quæ corpus sibi vindicat: ardua nam vis
Est impassibilis, quoniam natura superni
Ignis ad horrificas nescit descendere pœnas,
Nec capit humanis angoribus excruciari,
Pura, serena, micans, liquido prælibera motu,
Subdita nec cuiquam, dominatrix utpote rerum:
Cui non principium de tempore, sed super omne
Tempus, et ante diem majestas cum Patre summo,
Imo animus Patris, et ratio, et via consiliorum,
Quæ non facta manu, nec voce creata jubentis,
Protulit imperium patrio ructata profundo.
  Hanc igitur non flagra secant, non stupa salivis
Aspergunt, alapis non vexat palma relisis:
Nec perfossa cruci clavorum vulnera figunt.
His affecta caro est hominis, quem fœmina prægnans
Enixa est sub lege uteri, sine lege mariti.
Ille famem patitur, fel potat, et haurit acetum:
Ille pavet mortis faciem, tremit ille dolorem.
  Dicite, sacrilegi doctores, qui Patre summo
Desertum jacuisse thronum contenditis, illo
Tempore, quo fragiles Deus est illapsus in artus:
Ergo Pater passus? quid non malus audeat error?

Ipse puellari conceptus sanguine crevit?
Ipse verecundæ distendit virginis alvum?
Et jam falsiloqua est divini pagina libri,
Quæ Verbum in carnis loquitur fluxisse figuram?
At non, qui Verbi Pater est, caro factus habetur.
Fige gradum Scriptura tuum: nil mobile et anceps
Affirmasse decet: Pater est, quem cernere nulli
Est licitum: Pater est, qui nunquam visus in orbe est,
Nec mundana inter radiavit lumina coram.
Verbum conspicuum misit, missumque recepit,
Cum voluit: Verbo præstrinxit viscera puræ
Virginis, et Verbo struxit puerilia membra.
Ipse quidem in terris virtute et numine præsens
Semper adest quocumque loci: nec pars vacat ulla
Majestate Patris: nusquam est genitor Deus absens,
Per Verbum sed semper adest: atque inde Philippo
Christus ait: Tanto tecum jam tempore versor,
Et Patrem te nosse negas, quem perspicis in me?
  Est invisibilis donum Patris, edere natum
Visibilem, per quem valeat Pater ipse videri,
Nec solis Sanctorum oculis, sed lumine cassis:
Cæcorum cæcos loquor, atra socordia quorum
Corde tenebroso verum perpendere nescit.
Quem si perspicuum mortalibus inficiaris,
Fare age, quem videat Babylonis ab arce tyrannus
Innocuas inter flammas procul exspatiantem,
Calcantem rapides inadustis fratribus ignes.
Nempe ait: O proceres, tres vasta incendia anhelis
Accepere viros fornacibus: additus unus
Ecce vaporiferos ridens intersecat ignes:
Filius ille Dei est: fateorque et victus adoro.
Irrisas removete faces, tædasque tepentes
Subtrahite: friget succensi sulphuris ardor.

Filius (haud dubium est) agit hæc miracula rerum,
Quem video: Deus ipse, Dei certissima proles.
Imperat immensis ardoribus, et domat iras,
Insultans famulante rogo, piceosque furores
Comprimit, et rabiem flammarum algescere cogit:
Barbaricos calida aura sinus non tangere jussa
Præterit, et tenues stridens transcurrit amictus.
Ipse per Assyrios metuit vapor ire tiaras;
Ne coma fusa humeris fumo obsordescat amaro.
Hæc ait, et varios jubet obmutescere cantus,
Organa, sambucas, citharas, calamosque, tubasque.
Stulta superstitio tacuit: vox festa quievit,
Quæ male conspicuæ celebrabat imaginis aurum.
Carmina sanctorum resonant jam sola virorum,
Triplice concentu regem laudantia cœli,
Qui mare, qui terras, qui lucida sidera fecit,
Ignibus et mediis securos texit alumnos.
Semper in auxilium Sermo Patris omnipotentis
Descendit servando homini: mortalia semper
Admiscenda sibi proprio curavit amore:
Ut socianda caro, Dominoque implenda perenni,
Degenerem vitam, quæ tunc animalis agebat,
Exemplo mutaret heri, similesque per artus
Cernere consortem terreni assuesceret oris,
Participemque suum visu velut obside nosse,
Et consanguineo paulatim accedere Christo.
Ergo animalis homo quondam: nunc Spiritus illum
Transtulit ad superi naturam seminis, ipsum
Infundendo Deum, mortalia vivificantem.
Nunc nova materies, solidata intercute flatu:
Materies, sed nostra tamen; de Virgine tracta,
Exuit antiquæ corrupta exordia vitæ,
Immortale bonum proprio spiramine sumens.

Filius ille hominis, sed Filius ille Tonantis,
Jam solus vultum Patris aspicit, et videt ipsum.
Nemo Patrem novit, nisi Filius, et cui monstrat
Filius, et nostri mediator et Omnipotentis.
Denique concludam brevis ut compendia summæ,
Non Pater in carnem descendit, sed Patris arcem
Sumpta caro ascendit: Natus per utrumque cucurrit.

POEMA II.

CONTRA UNIONITAS.

id est,

SABELLIANOS HÆRETICOS.

Cede, profanator Christi, jam cede, Sabelli,
Depositorque Patris, Natique insane negator.
Nonne Patrem violas, dum Natum scire recusas?
Quandoquidem non est genitor, nisi filius extet:
Nec vocitare patrem potis es, quem germine fraudas.
Sed fortasse velis patriæ pietatis honore
Despoliare Deum, contentus nomine nudo,
Quod Deus est, adimasque decus Patris, et generis vim.
Ecquis in idolio recubans, inter sacra mille,
Ridiculosque Deos venerans sale, cæspite, thure,
Non putat esse Deum summum, et super omnia solum?
Quamvis Saturnis, Junonibus, et Cythereis,
Portentisque aliis fumantes consecret aras;
Attamen in cœlum quoties suspexit, in uno
Constituit jus omne Deo, cui serviat ingens
Virtutum ratio, variis instructa ministris.
Quæ gens tam stolida est animis, tam barbara linguis,
Quæve superstitio tam sordida, quæ caniformem

Latrantemque throno cœli præponat Anubem?
Nemo Cloacinæ aut Eponæ super astra Deabus
Dat solium, quamvis olidam persolvat acerram,
Sacrilegisque molam manibus rimetur et exta.
Consule barbati deliramenta Platonis,
Consule et hircosus Cynicus quos somniat, et quos
Texit Aristoteles torta vertigine nervos:
Hos omnes quamvis anceps labyrinthus et error
Circumflexus agat, quamvis promittere et ipsi
Gallinam soleant, aut gallum, clinicus ut se
Dignetur præstare Deus morientibus æquum:
Cum ventum tamen ad normam rationis et artis,
Turbidulos sensus, et litigiosa fragosis
Argumenta modis concludunt Numen in unum,
Cujus ad arbitrium sphæra mobilis atque rotunda
Volvatur, serventque suos vaga sidera cursus.
Non recipit natura hominis, (modo quadrupes ille
Non sit, et erecto spectet cœlestia vultu)
Non recipit, neget ut regimen pollere supremum.
Istud et ipse Numæ tacitus sibi sensit aruspex,
Semifer et Scotus sentit, cane milite pejor.

Sed nos, qui Dominum libris et corpore jam bis
Vidimus, ante fide, mox carne et sanguine coram,
Quique voluminibus Vatum, cruce teste, probatis,
Rimantes digitos costarum in vulnera cruda
Mersimus, et manuum visu dubitante lacunas
Scrutati, æternum regem cognovimus Jesum;
Abjurare Deo titulum nomenque paternum
Credimus esse nefas, qui regem protulit ex se:
Non regem populi Parthorum aut Romulidarum,
Sed regem summæ, et mediæ stationis [1], et imæ,

[1] Ita stationem pro imperio terrarum Lucanus videtur posuisse apud Neronem: *Cum tu statione peracta astra petes serus.* Sic et Tiberio Velleius

Atque ideo rerum dominum, et super omnia regem.
Carnis habet medium, summum Patris, et Stygis imum :
Defluit his gradibus, rursusque revolvitur in se :
Est Deus, est et homo : fit mortuus, et Deus idem est.
Omnia percurrit naturæ munia pronæ,
Ut sursum Patris in gremium replicata reportet
Mortua quæ fuerant, ipsos quoque subvehat artus.
Hæc fore cum veterum cecinissent organa Vatum,
Nos oculis, manibus, congressu, voce, loquela
Experti, Heroum tandem intelleximus orsa
Priscorum, et viso patefacta oracula Christo.
  Hæc est nostra salus : hinc vivimus, hinc animamur :
Hoc sequimur, nunquam detracto nomine Nati
Appellare Patrem, Patris et sine nomine nunquam
Natum nosse Deum, nunquam, nisi sanctus et unus
Spiritus intersit, Natumque Patremque vocare :
Sic tamen hæc constare tria, ut ne separe ductu
Tres faciam, tribus his subsistat sed Deus unus.
Nec Pater ipse autem, qui Filius : ut, quia Natum
Scimus ab Innato, vere Pater, et sata vere
Sit soboles, nec sit genitor sibi Filius ipse.
Perquam ridiculum est et futile, natus ut ex se ;
Sive Pater natus fuerit, sive ipse repente,
Nascendi nova materies, ac se Deus ultro
Ediderit; natumque sibi se fecerit ipsum.
Nil falsum aut mendax divina vocabula fingunt.
Qui Pater est, gignendo Pater : tum Filius, ex hoc
Filius, auctore genitus quod sit Patre summo :
Summus et ipse tamen ; nec enim minor, aut Patre dispar.
Unde in utroque operis forma indiscreta, nisi omnem
Vim majestatis patriæ generosus haberet

Paterculus adprecatur, ut *longissima statione mortali fungatur.* Ergo non legendum esse, *rationis*, censui, ut habent edit.

Filius, idque Deus genitor, quod Filius, esset?
Pergunt ulterius scrutantes, quid sit idipsum
Gignere, si fas est humanos tendere sensus
Usque ad secretum, quod tempora cuncta diesque
Prævenit antiquos, et principium super ipsum
Eminet, et, quodcumque potest homo quærere, transit.
Cum sit difficilis via, noscere principiorum
Semina, cui dabitur mortali exquirere, quidnam
Ultra principium Deus egerit? aut quo pacto
Ediderit Verbum, quod principio caret omni?
Hoc solum scimus, quod traditur esse Deus, quem
Non genitus genitor generaverit, unus et unum,
Integer integrum : non cœptum, sed tamen ortum,
Et comperpetuum retro Patris, et Patre natum.
Sed nec decisus Pater est, ut pars Patris esset
Filius, extendens nec se substantia tractim
Produxit, minuitve aliquid de Numine pleno;
Dum mutata novum procudit portio Natum.
Non convertibilis, nec demutabilis unquam
Est Deus, aut gignendo aliquid sibi detrahit : atqui
Totus et ex toto Deus est, de lumine lumen.
Quando autem lumen sine lumine? quando refulgens
Lux fulgore caret? quando est, ut proditus ignis
Ignem diminuat? quando Pater et Deus et lux,
Non lucis Deus et Pater est? qui, si Pater olim
Non fuit, et serum genuit post tempora natum,
Fit novus, inque novum jus proficit : absit ut unquam
Plenus proficiat, qui non eget incremento.
Et Deus, et genitor, lumenque et gloria semper
Ille fuit : nec post sibi contulit, ut pater esset.
Sic fit, ut æternum credamus cum Patre Christum,
Illo auctore satum, cui nullus præfuit auctor.
Hæc tu si dubitas nati mysteria Christi,

Perdite, catholica non es de plebe, sed unus
De grege thurifero venerator, Deucalionum
Devotus cippo, ficulni et stipitis unctor.
Quin potius scrutare Dei signacula in ipso
Fonte vetustatis, percurre scrinia primi
Scriptoris, quem non Bardus pater, aut avus augur,
Fabula nec veteris famæ, nec garrula nutrix,
Nec sago clangore loquax et stridula cornix,
Rem docuere Dei : sed coram proditus ipse,
Ipse Deus trepidum mortalem mitis amico
Imbuit alloquio, seque ac sua summa retexit.
Nimirum meminit scriptor doctissimus illo
Orbis principio non solum, nec sine Christo
Informasse Patrem facturæ plasma novellæ.
Fecit, ait, condens hominem Deus, et dedit olli
Ora Dei ; quidnam est aliud, quam dicere : solus
Non erat, atque Deo Deus assistebat agenti,
Cum Dominus faceret Domini sub imagine plasma ?
Christus forma Patris, nos Christi forma et imago,
Condimur in faciem Domini bonitate paterna,
Venturo in nostram faciem post sæcula Christo.
Possum multa sacris exempla excerpere libris,
Ni refugis, quæ te doceant, non in Patre solo
Vim majestatis positam, sed cum Patre Christum
Esse Deum ; velut illud ait genealogus idem ;
A Domino Dominus flammam pluit in Sodomitas.
Quis Dominus ? de quo Domino ? si solus ab arce
Siderea spectat Pater, aut ardescit in iras.
Filius armatam Domini Patris ignibus iram
Spargebat Dominus : sunt unum fulmen utraque.

POEMA III.

ADVERSUS JUDÆOS.

Hæc si Judaïcos sic intellecta rigassent
Auditus, stupidas ut possint tangere fibras,
Audissent Dominum virtutum, qui pereuntes
Venerat ut servaret oves : sed ab auribus omnis
Fluxerat ornatus, caput et jam coctile Baal
Finxerat, auriculasque suo spoliarat honore.
Dux populi peccantis adest de monte corusci
Luminis, alloquioque Dei, tabulasque tremendo
Incisas digito cæca ad tentoria defert.
Sed cadit in faciem plebs, non visura profundæ
Legis in effigie scriptum per ænigmata Christum.
Infelix, quæ luce oculos præstricta paventes
Texerit, et presso faciem velarit amictu !
At nos rejecto Christum velamine coram
Cernimus, atque Deum vultu speculamur aperto :
Nec sub lege gravi depressa fronte jacemus;
Sed legis radium sublimi agnoscimus ore.
Heu, frondosa prius ramis felicibus arbor[1] !
Pinguibus heu quondam radix oleagina baccis !
Ecce tibi incerto revirescit nunc oleastro
Truncus, et externi vestitur cortice libri.
Jam miserere tui. Non se sylvestris olivi
Surculus, exultans alieno stipite, jactat :
Sed monet, ut generis proprii memor, unguine amaro
Contristare comas desuescas, stirpe nec imo
Invideas missis in celsa cacumina virgis.
Blasphemas Dominum, gens ingratissima, Christum.

[1] Virgilius. *Georg.*, lib. II, vers. 81, sic habet :
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos.

Pascha tuum dic, dic cujus de sanguine festum
Tam solemne tibi est? quis tandem cæditur agnus
Anniculus? sacer ille tibi redeuntibus annis;
Sed sacer in pecude: stultum est sic credere sacrum;
Sanguine balantis summos contingere postes,
Lascivire choris, similaginis azymon esse,
Cum fermentati turgescant crimine mores.
Non sapis, imprudens, nostrum te effingere Pascha?
Legis et antiquæ præductis pingere sulcis
Omne sacramentum, retinet quod passio vera:
Passio, quæ nostram defendit sanguine frontem,
Corporeamque domum signato collinit ore?
Hanc fugit exclusis Ægyptia plaga flagellis:
Hæc regis Pharii regnum ferale resolvit:
Deque potestatis mundanæ grandine densa
Eripit Abraham cum stirpe et gente fideli.
   Abrahæ genus est verum, cui sanguis in ore
Creditus, inscriptusque rubet: cui visus in orbe,
Haud debitante fide, Deus est, Deus ex Patre verus.
Ille Deum vidit, visum mox credidit: at tu
Posteritas carnis, carnaliter omnia cernens,
Carnis opus sub lege geris, quam spiritus implet
Interior: nec enim cœlo lex carnea fluxit,
Quam tu carne colis: sed Christo fœta, meamque
Spem paritura utero: quam spem? nisi Numinis almum
Lumen, et adventum Domini, quem viderat Abræ
Prima fides, nostrisque pater promiserat olim
Perspiciendum oculis, et legis voce probandum:
Nec solum legis: nam quæ jam littera Christum
Non habet, aut quæ non scriptorum armaria Christi
Laude referta, novis celebrant miracula libris?
Hebræus pangit stylus, Attica copia pangit,
Pangit et Ausoniæ facundia tertia linguæ.

Pilatus jubet ignorans : I, scriba, tripictis
Digere versiculis, quæ sit suffixa potestas,
Fronte crucis : titulus sit triplex, triplice lingua.
Agnoscat Judæa legens, et Græcia norit,
Et venerata Deum percenseat aurea Roma.
Quidquid in ære cavo reboans tuba curva remugit,
Quidquid ab arcano vomit ingens spiritus haustu,
Quidquid casta chelys, quidquid testudo resultat,
Organa disparibus calamis quod consona miscent,
Æmula pastorum quod reddunt vocibus antra;
Christum concelebrat, Christum sonat, omnia Christum,
Muta etiam, fidibus sanctis animata, loquuntur.
O nomen prædulce mihi! lux, et decus, et spes,
Præsidiumque meum! requies o certa laborum!
Blandus in ore sapor, fragrans odor, irriguus fons,
Castus amor, pulchra species, sincera voluptas!
Si gens surda negat sibi tot præconia de te,
Tam multam rerum voces, elementaque tantæ
Nuntia lætitiæ, stolidas intrare per aures;
Audiat insanum bacchantis energima monstri,
Quod rabidus clamat capta inter viscera Dæmon,
Et credat miseranda suis. Torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest : agitant miserum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.
Intonat antistes Domini : Fuge, callide serpens;
Exue te membris, et spiras solve latentes.
Mancipium Christi, fur corruptissime, vexas?
Desine : Christus adest, humani corporis ultor;
Non licet ut spolium rapias, cui Christus inhæsit.
Pulsus abi, ventose liquor : Christus jubet, exi.
Has inter voces medias Cyllenius ardens
Ejulat, et notos suspirat Juppiter ignes.

Ecce Gerasenos legio ruit effera porcos,
Et post multiplices busti sub rupe catenas,
Pœnarum gemitus longis grunnitibus edit.
Clamarat, sed ab ore hominis: Cognoscimus, Jesu
Nate Deo, nate sceptris et germine David,
Qui sis, quid venias: qua nos virtute repellas
Novimus, adventusque tui terrore jacemus.
Hæc, Judæa, tuas vox non pervenit ad aures?
Pervenit: mentem sed non penetravit egenam
Lucis, et a primis foribus disclusa refugit.
Audiit adventum Domini, quem solis Hiberi
Vesper habet, roseos et qui novus excipit ortus.
Laxavit Scythicas verbo penetrante pruinas
Vox Evangelica, Hyrcanas quoque fervida brumas
Solvit, ut exutus glacie jam mollior amnis
Caucasea de cote fluat Rhodopeïus Hebrus.
Mansuevere Getæ, feritasque cruenta Geloni
Lacte mero sitiens exsanguia pocula miscet,
Libatura sacros Christi de sanguine potus.
Novit et Atlantis pridem plaga perfida Mauri,
Dedere crinitos ad Christi altaria reges.

Ex quo mortalem præstrinxit Spiritus alvum,
Spiritus ille Deus, Deus et se corpore matris
Induit, atque hominem de virginitate creavit;
Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra,
Non tripodas cortina tegit, non spumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris;
Perdidit insanos mendax Dodona vapores,
Mortua jam mutæ lugent oracula Cumæ,
Nec responsa refert Libycis in Syrtibus Ammon:
Ipsa suis Christum Capitolia Romula mœrent
Principibus lucere Deum, destructaque templa
Imperio cecidisse ducum. Jam purpura supplex

Sternitur Æneadæ rectoris ad atria Christi,
Vexillumque crucis summus dominator adorat.
Principibus tamen e cunctis non defuit unus
Me puero, ut memini, ductor fortissimus armis,
Conditor et legum, celeberrimus ore manuque,
Consultor patriæ, sed non consultor habendæ
Relligionis, amans tercentum millia Divum.
Perfidus ille Deo, quamvis non perfidus orbi,
Augustum caput ante pedes curvare Minervæ
Fictilis, et soleas Junonis lambere, plantis
Herculis advolvi, genua incerare Dianæ:
Quin et Apollineo frontem summittere gypso,
Aut Pollucis equum suffire ardentibus extis.
Forte litans Hecaten placabat sanguine multo:
Pontificum festis ferienda securibus illic
Agmina vaccarum steterant, vitulasque revincta
Fronte coronatas umbrabat torta cupressus.
Jamque insertato reserabat viscera cultro
Vittatus de more senex, manibusque cruentis
Tractabat trepidas lethali frigore fibras,
Postremosque animæ pulsus in corde tepenti
Callidus interpres numeris et fine notabat;
Cum subito exclamat media inter sacra sacerdos
Pallidus: En quid ago? majus, rex optime, majus
Numen nescio quod nostris intervenit aris,
Quam sufferre queant spumantia cymbia lacte,
Cæsarum sanguis pecudum, verbena, coronæ.
Accitas video longe dispergier umbras,
Territa Persephone vertit vestigia retro,
Extinctis facibus, fracto fugitiva flagello.
Nil agit arcânum murmur: nil Thessala prosunt
Carmina: turbatos revocat nulla hostia manes.
Nonne vides ut thuribulis frigentibus ignis

Marceat? ut canis pigrescat pruna favillis?
Ecce Palatinus pateram retinere minister
Non valet: elisa distillant balsama dextra:
Flamen et ipse suas miratur vertice laurus
Cedere, et incertum frustratur victima ferrum.
Nescio quis certe subrepsit Christicolarum
Hic juvenum, genus hoc hominum tremit infula, et omne
Pulvinar Divum: lotus procul absit, et unctus.
Pulchra reformatis redeat Proserpina sacris.
Dixit, et exsanguis collabitur: ac velut ipsum
Cerneret exerto minitantem fulmine Christum,
Ipse quoque exanimis, posito diademate, princeps
Pallet, et astantes circuminspicit: ecquis alumnus
Chrismatis inscripto signarit tempora ligno,
Qui Zoroastreos turbasset fronte susurros.
Armiger e cuneo puerorum flavicomantum
Purpurei custos lateris deprenditur unus:
Nec negat, et gemino gemmata hastilia ferro
Projicit, ac signum Christi se ferre fatetur.
Prosiluit pavidus, dejecto antistite, princeps
Marmoreum fugiens nullo comitante sacellum:
Tum tremefacta cohors, dominique oblita, supinas
Erigit ad cœlum facies, atque invocat Jesum.
Jamne piget facti? jam pœnitet? en tibi Christum,
Infelix Judæa, Deum, qui sabbata solvens
Terrea, mortales æterna in sabbata sumpsit,
Gentibus emicuit, præfulsit regibus, orbem
Possidet, imperii dominam sibi cedere Romam
Compulit, et simulacra Deum Tarpeia subegit.
Disce tuis miseranda malis, quo vindice tandem
Vana superstitio, lex et carnaliter acta
Plectatur; cujus virtus te proterat ultrix.
Destructo-ne jacent Salomonia saxa metallo,

Ædificata manu? jacet illud nobile templum.
Cur jacet? artificis quia dextra solubilis illud
Cæmentum struxit resolubile, jure solutum est,
Et jacet, in nihilum quoniam redit omne politum.
Quod fieri recipit, recipit quandoque perire.
Si nostrum contra quod sit, vis discere, templum
Est illud, quod nemo opifex fabriliter aptans
Composuit; quod nulla abies pinusve dolata
Texuit; exciso quod nunquam marmore crevit:
Cujus onus nullis fultum sublime columnis
Fornice curvato tenui super arte pependit:
Sed Verbo factum Domini, non voce sonora:
Sed Verbo, quod semper erat, Verbum caro factum est.
Hoc templum æternum est, hoc finem non habet, hoc tu
Expugnare volens, flagris, cruce, felle petisti.
Destructum jacuit pœnis vexantibus: esto.
Matris enim ex utero, quod destrueretur, habebat.
Sed quod morte brevi materna ex parte solutum est,
Majestate Patris vivum lux tertia reddit.
Vidisti Angelicis comitatum cœtibus alte
Ire meum, cujus servor munimine, templum.
Illius æternæ suspendunt culmina portæ,
Ac per inaccessas scalarum gloria turres
Tollitur, et gradibus lucet via candida summis.
At tua congestæ tumulant holocausta ruinæ:
Quid mereare Titus docuit: docuere rapinis
Pompeianæ acies, quibus extirpata per omnes
Terrarum pelagique plagas tua membra feruntur.
Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judæus, postquam patria de sede revulsus,
Supplicium pro cæde luit, Christique negati
Sanguine respersus commissa piacula solvit.
En quo priscorum virtus defluxit avorum!

Servit ab antiquis dilapsa fidelibus hæres
Nobilitas, sed jam non nobilis : illa recentem
Suspectat captiva fidem : vis tanta novellæ
Credulitatis inest. Christum confessa triumphat
Gens infida prius ; Christi sed victa negatrix
Subditur imperio, dominos sortita fideles.

POEMA IV.

CONTRA HOMUNCIONITAS[1].

Sunt qui Judaïco cognatum dogma furori
Instituunt, media Christum ratione secuti.
Hoc tantum, quod verus homo est, at cœlitus illum
Affirmant non esse Deum pietate fatentur,
Majestate negant : morum pro laude sacratum
Concelebrant, adimunt naturæ summa supernæ.
Omne opus egregium, per quod solertia pollens
Emicat, ingenii est, aut roboris : illud acuto
Corde viget : duris excellit viribus istud.
Mortale est sed utrumque homini : nam cana senescunt
Ingenia, et validos consumunt sæcla lacertos.
Hæc nos in Domini virtute et laude perenni
Non sequimur : sequimur, nullo quod semine terræ
Germinat : immundum quod non de labe virili
Sumit principium, tener illum seminat ignis :
Non caro, nec sanguis patrius, nec fœda voluptas.
Intactam thalami virtus divina puellam

[1] *Homuncionitas.* Al. *homousionitas.* Quem in locum Chamillardus : *Homuncionitarum* nomen, inquit, non esse sollicitandum non docet auctor antiquus *de hæresibus*, quem sub *prædestinati* nomine Jacobus Sirmondus emisit in lucem : *Homuncionitæ qui dicunt in corpore hominem esse imaginem Dei, non in anima.*

Sincero afflatu per viscera casta maritat.
Incomperta ortus novitas jubet ut Deus esse
Credatur Christus sic conditus. Innuba virgo
Nubit Spiritui, vitium nec sentit amoris.
Pubertas signata manet, gravis intus, et extra
Incolumis, florens de fertilitate pudica.
Jam mater, sed virgo tamen, maris inscia mater.
Quid renuis? quid inane caput, non credule, quassas?
Angelus hoc sancto fore nuntiat ore : placet-ne
Credere, et Angelicis aurem reserare loquelis?
Ipsa coruscantis monitum sacra Virgo ministri
Credidit, atque ideo concepit credula Christum.
Credentes nam Christus adit : dubitabile pectus
Sub titubante fide, refugo contemnit honore.
Virginitas et prompta fides Christum bibit alvo
Cordis, et intactis condit paritura latebris.
Crede quod emissus solio Patris Angelus infit.
Vel, si concretus liquidam de sidere vocem
Non capit auditus, mulier quid conjuge prægnans
Clamet anus, credens et tandem sobrius audi.
Mira fides! utero puer interceptus anili,
Virgineum Dominum materno ex ore salutat
Primus, et infantem non natus nuntiat infans
Jam nostrum vagire sibi : nam pusio nondum
Norat, et ora Deo reserabat garrula Christo.
Promite secretos fatus : date, pandite librum,
Evomuit, spirante Deo, quem sanctus Esaïas,
Percensere libet, calamique revolvere sulcos,
Sidereis quos illa notis manus aurea duxit.
Ite hinc, dum rutilos apices summissus adoro,
Dum lacrymans veneror, dumque oscula dulcia figo.
Gaudia concipiunt lacrymas, dant gaudia fletum.
Advenit promissa dies, quam dixerat iste

Affore versiculus, cum Virgo puerpera, teste
Haud dubie sponso, pacti cui cura pudoris,
Edidit, Emmanuelque meum me cernere fecit.
Est-ne Deus jam noster homo? versatur et astat
Nobiscum, nomenque probat, versumque vetustis
Obscurum sæclis præsenti illuminat ore.
Est-ne Deus, cujus cunas veneratus Eous
Lancibus auratis regalia fercula supplex
Virginis ad gremium pannis puerilibus offert?
Quis tam pinnatus rapidoque simillimus austro
Nuntius, auroræ populos, atque ultima Bactra
Attigit, illuxisse diem lactantibus horis[1],
Qua tener innupto penderet ab ubere Christus?
Vidimus hunc, aiunt, puerum per sidera ferri,
Et super antiquos signorum ardescere tractus.
Diriguit trepidans Chaldæo in vertice pernox
Astrologus, cessisse Anguem, fugisse Leonem;
Contraxisse pedes lateris manco ordine Cancrum;
Cornibus infractis domitum mugire Juvencum:
Sidus et Hircinum laceris marcescere villis.
Labitur hinc pulsus Puer Hydrius; inde Sagitta:
Palantes Geminos fuga separat: improba Virgo
Prodit amatores tacitos in fornice mundi.
Quique alii horrificis pendent in nubibus ignes,
Luciferum timuere novum: rota lurida Solis

[1] Viri docti suspicati sunt non *lactantibus horis*, ut multis placuit, sed *luctantibus horis*, esse legendum. Quippe quod a nativitate Christi horæ diei cum horis noctis quodam modo luctantur. Sed, *lactantibus horis*, verum est, hoc est, foventibus et quasi nutrientibus, quomodo nutriri ac ali spe et gaudio. — Quid si legamus cum Aldo, *lactantibus oris?* ut innuat Prudentius extimas Orientis plagas, unde Magi primitiæ gentium, velut *infantes* in fide, ad Christum adorandum venerunt. Hanc sane lectionem contextus comprobare videtur; nam vers. seq. *Vidimus hunc, aiunt, puerum per sidera ferri*.

Hæret, et excidium sentit jam jamque futurum;
Seque die medio velandam tegmine glauco,
Splendoremque poli periturum nocte diurna,
Orbe repentinis caput obnubente tenebris.
Hunc ego non cumulem myrrhæque et thuris et auri
Muneribus? scio quem videam, quæ dona rependam.
Hunc ego non venerer? qui cœlo visus, humique
Inventus Rex atque Deus moderatur utrumque
Naturæ specimen, tumuloque inferna refringens
Regna, resurgentes secum jubet ire sepultos?
Cœlum habitat, terris intervenit, abdita rumpit
Tartara: vera fides; Deus est, qui totus ubique est.
Numquid vana viros aut mens, aut lingua fefellit?
Numquid fortuitis frustrantia dona dederunt
Casibus, aut cæco votum sub honore dicarunt?
Quæ porro causa aut ratio, summittere colla
Ante pedes Mariæ, puerique crepundia parvi;
Si tantum mortalis erat, nec summa potestas
Implebat teneros divinis flatibus artus?
Sed jam tolle Magos, thus, aurum, myrrhea dona,
Quæ verum docuere Deum; præsepia, pannos,
Matris adoratum gremium; face sideris ardens
Ipsa Deum virtus, factorum et mira loquantur
Insanos video subito mitescere ventos,
Cum jubeat Christus; video luctantia magnis
Æquora turbinibus tranquillo marmore tendi
Imperio Christi; video, calcatus eumdem
Cum patitur gurges, tergum solidante liquore,
Ipse super fluidas plantis nitentibus undas
Ambulat, ac presso firmat vestigia fluctu:
Increpat ipse Notos, et flatibus otia mandat.
Quis jubeat sævis Aquilonibus: Ite, silete,
Carceribus vestris, amploque facessite ponto:

Sit nisi cœlipotens, Aquilonum conditor idem?
Ninguidus agnoscit Boreas atque imbrifer Eurus
Nimborum[1] dominum, tempestatumque potentem:
Excitamque hyemem verrunt ridente sereno.
Quis pelagi calcarit aquas? quis per vada glauca
Gressibus impressis spatiatus triverit udum
Non submersus iter, sola pendulus, et pede sicco;
Æquoreæ nisi factor aquæ? qui spiritus olim
Ore superfusus patrio volitabat in undis
Nondum discretis, nec certo littore clausis.
Sustinuit gressum domini famulus liquor, ac se,
Mobilitate carens, solidos substrinxit ad usus.
Quid diversa Dei memorem facta inclita Christi;
Altius inspecta quem majestate negator,
Haud dubitans hominem, tute ipse fatebere Numen?
Illevit cæcos oculos, et lumina limo
Reddidit, humectam sacro sputamine terram
Contrectans digitis; luteum medicamen operta
Nox habuit; tenebras obducta uligo removit.
Insuper ostendit quonam caligo lavacro
Expurganda foret, variis Siloa refundit
Momentis latices, nec fluctum semper anhelat:
Sed vice distincta largos lacus accipit haustus.
Agmina languentum sitiunt spem fontis avari,
Membrorum maculas puro ablutura natatu.
Certatim interea roranti pumice raucas
Expectant scatebras, et sicco margine pendent.
Hoc limum jubet impositum de fonte lavari
Christus, et infusa vultum splendescere luce.
Norat enim limo sese informasse figuram

[1] Virgilium, lib. I, Æneid. vers. 83, imitatur Prudentius.

. . . . Tu das epulis accumbere divum
Nimborumque facis tempestatumque potentem.

Ante tenebrosam, proprii medicamen et oris
Adjecisse novo, quem primum finxerat, Adæ.
Nam sine divino Domini perflamine summi
Arida terra fuit, nulli prius apta medelæ :
Sed postquam liquidus cœlesti spiritus ore
Virgineam respersit humum, medicabilis illa est :
Inde trahit succum, lentoque humore salutem
Illinit, infunditque diem baptismate lota.
Cæcus adest, oculis jam Christi ex ore retectis,
Seque luto et nitidis lucem sumpsisse fluentis
Clamat, et auctorem stupefacta per oppida monstrat :
Auctorem lucis, largitoremque dierum,
Non dedignatum medicæ purgamen aquaï [1]
Corpore sub proprio monstrare errantibus ægris.
Millibus ex multis paucissima quæque retexam,
Summatim relegens, totus quæ non capit orbis.
Quinqué in deserto panes jubet et duo pisces
Apponi in pastum populis : qui forte Magistrum,
Non revocante fame, stipabant undique septum ;
Immemoresque cibi, vicos, castella, macellum,
Oppida, mercatus, et conciliabula, et urbes
Respuerant, largo contenti dogmate vesci.
Multa virum strato fervent convivia fœno.
Centenos simul accubitus inicre sodales,
Seque per innumeras infundunt agmina mensas,
Pisciculis (jam crede Deum) saturanda duobus,
Et paucis crescente cibo per fragmina crustis.
Ambesis dapibus cumulatim aggesta redundant
Fercula, bissenos micarum molibus implent
Post cœnam cophinos : crudus conviva resudat

[1] *Aquai* pro *aquæ* ; dissolutio more veterum diphthongi *æ*, quæ Græcis est αι, in vocales α, et ι. Ibi quidam legunt *purgamina aquai* et Aldus, *purgamina lymphæ*.

Congeriem ventris, gemit et sub fasce minister.
Quis cumulare potest epulas in grandia parvas?
Quis, nisi qui corpus, pastumque, et corporis omnem
Condens ex nihilo nulla existente creavit
Mundum materia? non sicut sculptor ab æris
Rudere decoctam consuescit vivere massam [1].
Sed Deus omnipotens orbem sine semine finxit.
Nil erat, omne quod est: nil id, procedere et esse
Atque novum fieri, mox et grandescere, jussum est.
Parvum de nihilo primum fuit; addita parvo
Incrementa modis auxerunt omnia plenis,
Ergo ego cum videam manibus sic crescere Christi
Parva alimenta hominum, possum dubitare per ipsum
Exiguas rerum species, elementaque mundi
Ex nihilo primum modica, et mox grandia sensim
Crevisse ex modicis quæ consummata videmus?
Ac ne post hominum pastus calcata perirent,
Neve relicta lupis, aut vulpibus, exiguisve
Muribus in prædam nullo custode jacerent:
Bis sex appositi, cumulatim qui bona Christi
Servarent gravidis procul ostentata canistris.
Sed quid ego hæc autem titubanti voce retexo,
Indignus qui sancta canam? procede sepulcro,
Lazare, dic, cujus vocem tellure sub ima
Audieris: quæ vis penetraverit abdita lethi:

[1] Quæ lectio hactenus fuit contempta, licet elegantissima sit et verissima; non vero *fingere massam*. Sic *spirantia æra* apud Virgilium et Claudianum: tum *vivi vultus*, Æneid. VI, vers. 847.

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem; vivos ducent de marmore vultus.

Apud Juvenal. Sat. VIII, vers. 102.

Et cum Parrhasii tabulis, signisque Myronis
Phidiacum vivebat ebur.

Quod, cum te Christus penitus nigrante profundo
Immersum vocat, ut redeas, ceu proximus, audis;
Nec remoratus ades? quæ tam vicina Charybdis
Regna tenebrarum tenui distantia fine
Conjungit superis? ubi Tænara tristia vasto
In præceps dejecta Chao, latebrosus et ille
Amnis inexpletis volvens incendia ripis?
Ante fores tumuli, quas saxa immania duro
Obice damnarant, scopulis substructa cavatis,
Stat Dominus, nomenque ciet frigentis amici.
Nec mora : funereus revolutis rupibus horror
Evomit exequias gradiente cadavere vivas.
Solvite jam lætæ redolentia vincla sorores,
Solus odor sparsi spiramen aromatis efflat,
Nec de corporeo nidorem sordida tabo
Aura refert, oculos sanie stillante solutos
Pristinus in speculum decor excitat, et putrefactas
Tincta rubore genas paulatim purpura vestit.
Quis potuit fluidis animam suffundere membris?
Nimirum qui membra dedit : qui fictilis ulvæ
Perflavit venam madidam : cui tabida gleba
Traxit sanguineos infecto humore colores.
O mors, auritis jam mitis legibus! o mors
Surda prius, jam docta sequi quodcumque jubetur,
Cui tantum de te licuit? convicta fatere
Esse Deum, solus qui me tibi præripit, Jesum.
Abde negatores Christi; nemo invidet, abde:
Utere sorte tua; blasphemis nocte tenendis
Perpetua, plebem justorum capta resolve :
Qui norunt hominem atque Deum sic dicere Christum,
Ut verus summusque Deus mortalia gestet.
Ipse gerit, quod struxit opus, nec ferre pudescit
Factor, quod peperit : corpus loquor, atque animæ vim.

Finxerat hoc digitis, animam sufflaverat ore :
Totum hominem Deus assumit, quia totus ab ipso est,
Et totum redimit, quem sumpserat ; omne reducens,
Quidquid homo est : istud tumulis, ast illud abysso.

POEMA V.

DE NATURA ANIMÆ.

Occurrit dubitans hic dissertator, et illud
Objicit : Anne fides capit, ut substantia flante
Inspirata Deo cruciatum sentiat, utque
Inferni petat ima poli, barathroque coquatur?
Crede animam non esse Deum, sed crede creatis
Majorem cunctis : ipsam quoque crede creatam.
Formata est namque ore Dei, quæ non erat ante :
Sed formata habitu pulcherrima, pictaque rebus
Divinis, et plena Deo, similisque creanti :
Non tamen ipsa Deus, quoniam generatio non est,
Sed factura Dei est : solus de corde parentis
Filius emicuit : verus, verus Deus ille.
Collatum est animæ, subito ut, quæ non erat, esset.
Ille coæternus Patris est, et semper in ipso ;
Nec factus, sed natus, habet quodcumque paternum est.
Hæc similis, velut umbra, Dei est : sic ipse locutus
Factor, utroque hominem meditans de figmine junctim
Ædificare sui similem ; sed non habet umbra
Quod corpus solidum, cujus imitatio in umbra est :
Atque aliud verum est, aliud simulatio veri.
Est similis, sæclis quod non consumitur ullis :
Quod sapiens, justique capax, reginaque rerum
Imperat ; ante videt, perpendit, præcavet, infit,
Verborum, rerumque opifex, instructaque mille

Artibus, et cœlum sensu percurrere docta.
Ilis animam similem sibi conditor effigiavit,
Cætera dissimilem : quippe hanc comprendere promptum
[est,]
Quam modus et species determinat : at Deus ingens,
Atque superfusus trans omnia, nil habet in se
Extremum, ut claudi valeat, sensuve teneri.
Incomprensa manet virtus, cui linea desit
Utima, quam spatium non mensurabile tendit.
Ergo animam factam, magno et factore minorem,
Majoremque aliis, atque omnibus imperitantem,
Corruptela putris nascentem turbida carnis
Concipit, ac membris tabentibus interfusam
Participat de fæce sua : fit mixta deinde
Peccandi natura luto, cum simplice flatu.
Sed fortasse animam, Domini quia fluxit ab ore,
Compositam, factamque neges, velut ipsa Dei pars,
(Quod dictu scelus est) tetras trahat oblita culpas,
Et pessum damnata ruens chaos intret opertum.
Sit res illa Dei; non abnuo : pars tamen illa
Haudquaquam dicenda Dei est, quæ tempore cœpit,
Nec prior, aut senior, quam primum plasma, putanda est.
Tunc etenim factam video, cum cordis amici
Intravit germana domum, limique recentis
Hospita, et ipsa recens fraterna sedit in aula.
Illa quidem flatus Domini est : sed spiritus et vis
Non est plena Dei, tanto moderamine missa.
Quanto flans voluit flandi servare tenorem.
Est impossibile spectare profunda Sabaoth :
Sed speculum deitatis homo est; in corpore discas
Rem non corpoream solers, interprete Christo,
Qui patrem proprium mortali in corpore monstrat.
Perspice quam varios fundamus ab ore vapores,

Spiramus quoties animæ sufflabilis auras.
Nunc flatum tepidum calor exhalatus anhelat,
Rorantes nebulas udis de faucibus efflans :
Cum libet, in gelidum flabrali frigore ventum
Spiritus existit tenuis, et sibilat aër.
Adde et distinctum, quem musica tibia flatum
Concipit : aut ille est presso modulamine parcus,
Aut tumidum largo sublimat flamine bombum,
Aut raucos frangit modulos, aut lene susurrat,
Aut exile trahens sonitus producit acutos,
Aut murmur tenerum sublidit voce minuta.
Hæc cum te videas mortali in corpore posse;
Cur non Æternum potuisse infundere credas,
Qualem animam voluit ? præscriptis quam quia condens
Efflavit fuditque modis, sit facta necesse est.
Denique multa sapit, sed non sapit omnia, nostræ
Vis animæ, certum sapere ac prænoscere jussa.
Jam, cui certus inest modus, et cui nosse negatum est
Omnia, factura est : nam condita et aucta probatur.
Collige de simili, sit-ne et factura; creavit
Nempe manus Domini corpus mortale, lutumque
Composuit digitis, numquid manus articulatim
Est digesta Dei ? numquid vola? numquid et ungues
Claudere flexibiles ? patulam seu tendere palmam ?
Ista figura manus nostræ est, quam non habet in se
Incircumscriptus Dominus : sed tradita forma est,
Humanis quæ nota animis daret intellectum.
Ut per corpoream speciem plasmasse feratur
Corporis effigiem : sic est plasmata vicissim
Flatu incorporeo res flabilis, oris et esse
Fertur opus, tenuis per quod constructa refulsit
Forma animæ, atque rudi factam se munere sensit.
Si non est factura manus caro nostra ; nec oris

Est jactura animæ, flatu et spiramine cœpta;
Inque locum deducta aliquem: namque omne, quod hora
Natalis profert, locus accipit: et locus ullus
Quod cohibere potest, modicum est, nec in omnia fusum.
Et quod tam modicum est, ut certa sede locetur,
Jam titubare potest: et quod titubaverit, intra
Naturam vitii est: vitiosum denique tristem
Recidit in pœnam: Deus hoc, mihi credite, non est.
   Aut, si majestas animæ est, ostendite quid sit,
Quod lapsam Christique inopem nova gratia inundat,
Spiritus et sanctus baptismate justificatam
Nobilitat, famulæque decus, quod defuit, addit.
Quod quia præstatur meritis, meritisque negatur,
Absurde fertur Deus, aut pars esse Dei, quæ
Divinum summumque bonum de fonte perenni
Nunc bibit obsequio, nunc culpa aut crimine perdit;
Et modo supplicium recipit, modo libera calcat.
Miraris peccare animam, quæ carne coactam
Sortita est habitare domum, cum peccet et ipse
Angelus, hospitium qui nescit adire caducum
Cratis tabifluæ; peccat quia factus et ipse est,
Non genitus: quocumque modo sit factus, id unus
Scit factor Dominus: factum mihi credere sat sit.
Solus labe caret peccati conditor orbis,
Ingenitus, genitusque Deus, Pater et Patre natus,
Solus et exceptus tormentum admittere triste,
Inviolatus agit, nec quidquam sentit acerbi.
Exsortem dic esse animam crucis atque doloris,
Si culpæ immunem, vacuamque a crimine nosti,
Quæ peccare valet, valet et succumbere pœnæ.
Ipsa quidem sincera fuit, dum conditur olim,
Quæ collata rudem fecit vivescere limum:
Utpote de liquido naturæ semine primos

Accipiens habitus, superoque expressa sereno.
Sed mox, ut gravido jussa est innectier arvo,
Suavibus illecebris nimium blandita refrixit,
Deque volutabris pretiosum polluit ignem,
Dum transgressa Dei positum fas improba calcat.
Hæc prima est natura animæ : sic condita simplex
Decidit in vitium per sordida fœdera carnis.
Exin tincta malo peccamine principis Adæ
Infecit genus omne hominum, quod pullulat inde :
Et tenet ingenitas animarum infantia in ortu
Primi hominis maculas, nec quisquam nascitur insons.
Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis
Transfundi in sobolem credatur fons animarum
Sanguinis exemplo, cui texta propagine vena est.
Non animas animæ pariunt, sed lege latenti
Fundit opus natura suum, quod parvula anhelent
Vascula, vitalisque adsit scintilla coactis :
Quæ quamvis infusa novum penetret nova semper
Figmentum, vetus illa tamen de crimine avorum
Ducitur : illoto quoniam concreta veterno est.
Inde secunda redit generatio, et inde lavatur
Naturæ illuvies, iterumque renascimur intus
Perfusi, ut veterem splendens anima exuat Adam.
Quæ quia materiam peccati ex fomite carnis
Consociata trahit, nec non simul ipsa sodali
Est incentivum peccaminis, implicat ambas
Vindex pœna reas, peccantes mente sub una,
Peccandique cremat socias cruciatibus æquis.
His crucibus Christus nos liberat, incorruptæ
Matris, et innocui gestator corporis, unus
Naturam pœne expositam, sed non vitiorum
Naturam expositam contactibus induit Jesus.
Atque ideo pœnæ nil debuit : intemeratus,

Fraude carens, omni culparum aspergine liber.
Quid peccatorum prosapia corpore in illo,
Quid Christi in membris peccati sæva satelles
Pœna ageret? quid mors hominis sine crimine posset?
Nimirum cassis conatibus, et sine nervis
Consideret sterilis peccati fomite nullo.
Mors alitur culpa : culpam qui non habet, ipso
Pastus defectu mortem consumit inanem.
Sic mors in Domini consumpta est corpore Christi :
Sic periit, solitum dum non habet arida pastum.
Suspice quapropter solum inculpabile Numen,
Virtutem Patris et Christi : et jam desine nostræ
Invidiam conflare animæ, quod sit Deus, aut quod
Portio parva Dei, cum Christo abscidere quidquam,
Et resecare Deo partem, vel carpere tantum
Numen non liceat, plenum sibi semper, et in se.

POEMA VI.

ADVERSUS PHANTASMATICOS,

QUI CHRISTUM NEGANT VERUM CORPUS HABUISSE.

Est operæ pretium nebulosi dogmatis umbram
Prodere, quam tenues atomi compage minuta
Instituunt, sed cassa cadit, ventoque liquescit
Assimilis, fluxu nec se sustentat inani.
Aërium, Manichæus ait, sine corpore vero
Pervolitasse Deum, mendax phantasma, cavamque
Corporis effigiem; nil contrectabile habentem.
Ac primum specta, an deceat quidquam simulatum
Assignare Deo, cujus mera gloria falsi
Nil recipit, membris hic se fallacibus aptans
Fingeret esse hominem ventosa subdolus arte?

Mentitus toties, cum diceret : Inveteratis
Do veniam morbis, simul et peccata remitto.
Filius est hominis, pestem qui pellere carnis,
Et scelerum nexus laxare ac solvere possit.
Surge valens, surge innocuus, jam tolle grabatum :
Filius hoc hominis jubeo. Dignus-ne videtur
Qui testis sibi sit, seque ac sua carnea norit?
Quid? cum Discipulos, hominis quod Filius esset
Passurus, fido jam præscius ore monebat?
Nonne fatebatur, se cum virtute paterna
Esse hominem verum? quod si non credo, fefellit.
Si natura Dei quæ sit, Manichæe, requiris,
Omne quod est, verum est : nam si mendosus agit quid,
Nec Deus est : mendum divinus non capit usus.
Objicis æterno Domino, quod lubricus ad nos
Venerit, assimulans aliud, quam verus habebat.
Obmutesce, furor : linguam, canis improbe, morde
Ipse tuam, lacero consumens verba palato.
Latranti obsistit Mattheus, rabiemque refellit :
Qui notat omne genus carnalis stirpis, ad usque
Corporeum Christum, per sex septena virorum
Nomina descendens, et venam sanguinis alti
Ex atavis longo texens per stemmata filo
Septimus hebdomadi venit superaddere sextæ
Hunc numerum Christus, placidum qui conficit annum,
Cuncta remittentem contractibus illaqueata
Multimodis, hominemque hominis de morte levantem :
Imperfectus enim limus mortalis erat tunc :
Vir solus perfectus adest, atque integer Jesus :
Cui nihil ex septem septenis defuit, ex quo
Perficeret mortale genus virtute perenni.
Hic ille est, nobis qui septima sabbata complet,
Ut caro nostra Deo tandem sociata quiescat,

Quam bis terna malis vexabant sabbata noxis.
Curramus notis gradibus, regumque sequamur
Progeniem: Christum invenies de carne parentum
Effluxisse hominum, qui sit de semine David,
Stirpe recensita numerandus sanguinis hæres.
Quid, cum sanctiloquus revoluto germine Lucas
Sursum versus agit seriem, scandente nepotis
Corpore, perque atavos cursum relegente vetustos,
Septenos decies conscendit Christus in ortus
Et duo: nam totidem doctores misit in orbem:
Descensos nascendo gradus, redeundo retexit
Actus ad usque apicem terreni corporis Adam.
Inde parens deitas recipit sua, nostraque mixtim,
Fitque Dei summi per Christum filius Adam.
Restat, ut aëriam fingas ab origine gentem,
Aërios proceres, Levin, Judam, Simeonem,
Aërium David, magnorum corpora regum
Aëria, atque ipsam fœcundæ Virginis alvum
Aëre fallaci, nebulisque et nube tumentem.
Vanescat sanguis perflabilis, ossa liquescant
Mollia, nervorum pereat textura volantum.
Omne quod est gestum, Notus auferat irritus, auræ
Dispergant tenues, sit fabula quod sumus omnes.
Et quid agit Christus, si me non suscipit? aut quem
Liberat infirmum, si dedignatur adire
Carnis onus, manuumque horret monumenta suarum?
Indignum-ne putat luteum consciscere corpus?
Qui non indignum quondam sibi credidit, ipsum
Pertrectare lutum, cum vas componeret arvo
Nondum viscereo; sed inertis glutine limi,
Impressoque putres sub pollice duceret artus?
Tantus amor terræ [1], tanta est dilectio nostri.

[1] Apud Virgilium Georg. II, vers. 299 hæc leguntur verba:

Dignatur præpinguis humi comprendere mollem
Divinis glebam digitis, nec sordida censet
Hærentis massæ contagia ; jusserat ut lux
Confieret ; facta est ut jusserat : omnia jussu
Imperitante novas traxerunt edita formas.
Solus homo emeruit Domini formabile dextra
Os capere, et fabro deitatis figmine nasci.
Quorsum igitur limo tanta indulgentia nostro
Contigit, ut Domini manibus tractatus, honora
Arte sacer fieret, tactu jam nobilis ipso ?
Decrerat quoniam Christum Deus incorrupto
Admiscere solo, sanctis quod fingere vellet,
Dignum habuit, digitis, et charum condere pignus.
Destituit natura quidem destructa coactæ
Telluris formam, mortique obnoxia cessit :
Sed natura Dei nunquam solvenda, caducam
Tellurem nostro vitiatam primitus usu
Esse suam voluit, ne jam vitiabilis esset.
Christus nostra caro est : mihi solvitur, et mihi surgit :
Solvor morte mea, Christi virtute resurgo.
Cum moritur Christus, cum flebiliter tumulatur,
Me video : e tumulo cum jam remeabilis astat,
Cerno Deum : si membrorum phantasma meorum est,
Et phantasma Dei est : mendax in utroque necesse est
Sit Christus species, si Christus fallere novit :
Si non verus homo est, quem mors hominem probat ipsa,
Nec verus Deus est, operis quem gloria prodit
Esse Deum ; vel crede mori, vel adesse refelle ;
Et gemina verum Christum ratione negato.

. . . . Neve flagella
Summa pete, aut summas defringe ex arbore plantas ;
Tantus amor terræ, neu ferro læde retuso
Semina.

Nam quid magnificum, si non est mortuus Jesus,
Et redit? Illa Dei virtus memorabilis est, ut
Occisus redeat superis, surgatque sepultus.
Quisque Deum Christum vult dicere, dicat eumdem
Esse hominem, ne majestas sua fortia perdat.

POEMA VII.

DE RESURRECTIONE CARNIS HUMANÆ.

Nosco meum in Christo corpus consurgere; quid me
Desperare jubes? veniam, quibus ille revenit
Calcata de morte viis, quod credimus, hoc est:
Et totus veniam; nec enim minor, aut alius quam
Nunc sum restituar; vultus, vigor et color idem,
Qui modo vivit, erit: nec me vel dente vel ungue
Fraudatum revomet patefacti fossa sepulcri.
Qui jubet ut redeam, non reddet debile quidqum:
Nam si debilitas redit, instauratio non est.
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit,
Quod truncavit edax senium populante veterno,
Omne revertenti reparata in membra redibit.
Debet enim mors victa fidem, ne fraude sepulcri,
Reddat curtum aliquid, quamvis jam curta voravit
Corpora: debilitas tamen et violentia morbi
Virtus mortis erat: reddet quod particulatim
Sorbuerat, quocumque modo: ne mortuus omnis
Non redeat, si quid pleno de corpore desit.
Pellite corde metum mea membra, et credite vosmet
Cum Christo reditura Deo; nam vos gerit ille,
Et secum revocat, morbos ridete minaces:
Inflictos casus contemnite: et atra sepulcra
Despuite: exurgens quo Christus provocat, ite.

APOTHEOSIS LIBRI FINIS.

AURELII PRUDENTII
CLEMENTIS V. C.
IN HAMARTIGENIAM
id est
LIBER DE ORIGINE PECCATORUM.
PRÆFATIO.

Fratres ephebi, fossor et pastor, duo,
Quos fœminarum prima primos procreat,
Sistunt ad aram de laborum fructibus
Deo sacranda munerum primordia :
Hic terrulentis, ille vivis fungitur.
Certante voto discrepantes immolant,
Fœtum bidentis alter, ast alter scrobis.
Deus minoris comprobavit hostiam,
Rejecit illam, quam paravit grandior.
Vox ecce summo missa persultat throno :
Caïn, quiesce [1] ; namque si recte offeras,
Oblata nec tu lege recta dividas,
Perversa nigram vota culpam traxerint.
Armat deinde parricidalem manum
Frater, probatæ sanctitatis æmulus :
Germana curvo colla frangit sarculo,
Mundum recentem cæde tingit impia,
Sero expiandum, jam senescentem, sacro
Cruore Christi, quo peremptor concidit.
Mors prima cœpit innocentis vulnere,

[1] Sequitur Prudentius versionem LXX, *Genes.* IV, 17. *Nonne si recte offeras, non autem recte dividas, peccasti? Quiesce.*

Cessit deinde vulnerato innoxio.
Per crimen orta, dissoluta est crimine :
Abel quod ante perculit, Christum dehinc,
Finita et ipsa est, finis exsortem petens.
Ergo ex futuris prisca cœpit fabula,
Factoque primo res notata est ultima,
Ut ille mortis inchoator rusticus
Insulsa terræ deferens libamina,
Deumque rerum mortuarum deputans
Rastris redacta digna sacris crederet,
Viventis atrox æmulator hostiæ.
Agnosco nempe quem figura hæc denotet,
Quis fratricida, quis peremptor invidus
Prave sacrorum disciplinam dividat,
Mactare dum se vota censet rectius.
Marcion, arvi forma corruptissimi,
Docet duitas discrepare a Spiritu,
Contaminatæ dona carnis offerens,
Et segregatim Numen æternum colens.
Qui si quiescat, nec monentem negligat,
Pacem quieta diligat germanitas,
Unum atque vivum fassa vivorum Deum.
Hic se caduco dedicans mysterio,
Summam profanus dividit substantiam,
Malum bonumque ceu duorum separans
Regnum Deorum, sceptra committit duo:
Deum esse credens, quem fatetur pessimum,
Caïn cruentus, unitatis invidus,
Mundi colonus, immolator squalidus :
Cujus litamen sordet, et terram sapit,
Terram caduci corporis, venam putrem,
Humore denso conglobatam et pulvere :
Natura cujus fraude floret fertili,

Fœcunda fundens noxiorum crimina,
Animæque vitam labe carnis enecat.
Caro in sororem tela mentem dirigit,
Mens in cerebro ventilatur ebrio,
Ex quo furores succulentos colligit
Madens veneno corporis lymphatico.
Deum perennem findit in duos Deos:
Audet secare Numen insecabile.
Cadit perempta denegans unum Deum:
Caïn triumphat, morte fratris oblitus.

ADVERSUS MARCIONITAS,

QUI DUOS DEOS ESSE AFFIRMANT.

Quo te præcipitat rabies tua, perfide Caïn,
Divisor blaspheme Dei? tibi conditor unus
Non liquet, et bifidæ caligant nubila lucis.
Insincera acies duo per divortia semper
Spargitur, in geminis visum frustrata figuris.
Terrarum tibi forma duplex obludit, ut excors
Dividuum regnare Deum super æthera credas.
Bina boni atque mali glomerat discrimina sordens
Hic mundus: Domino sed cœlum obtemperat uni.
Non idcirco duos retinent cœlestia Reges,
Quod duo sunt opera humanas agitantia curas.
Exterior terrenus homo est, qui talia cernens
Conjicit esse duo variarum numina rerum,
Dum putat esse Deum, qui prava effinxerit olim,
Et qui recta itidem condens induxerit, ambos
Autumat esse Deos natura dispare summos.
Quæ tandem natura potest consistere duplex,
Aut regnare diu: quam fons divisus ab arce

Separat, alternaque apicum ditione recidit?
Aut unus Deus est, rerum cui summa potestas :
Aut quæ jam duo sunt, minuuntur dispare summa.
Porro nihil summum, nisi plenis viribus unum :
Distantes quoniam, proprium dum quisque revulso
Vindicat imperio, nec summa, nec omnia possunt.
Jus varium non est plenum, quia non habet alter
Quidquid dispar habet; cumulum discretio carpit.
Nos plenum sine parte Deum testamur et unum;
In quo Christus inest, idem quoque plenus et unus :
Qui viget, ac viguit super omnia, quique vigebit,
Participem nullum collato fœdere passus ;
Summa potestatum, simplex dominatio rerum ,
Virtutum sublime caput, fons unicus orbis,
Naturalis apex, generisque et originis auctor;
Ex quo cuncta fluunt, et lux, et tempora, et anni,
Et numerus, qui post aliquid dedit esse secundum :
Unus enim princeps numeri est, nec dinumerari
Tantum unus potis est; sic, cum Pater ac Deus alter
Non sit, item Christus non sit genitore secundus,
Anterior numero est, cui Filius unicus uni est.
Ille Deus, meritoque Deus; quia primus et unus :
In virtute sua primus; tum primus in illo,
Quem genuit; quid enim differt generatio simplex ?
Unum semper erit gignens, atque unus ab uno
Ante Chaos genitus, numeroque et tempore liber.
Quis dixisse duos rem majestate sub una
Regnantem, propriamque sibi, retroque perennem
Ausit, et unius naturæ scindere vires?
Numquid adoptivum genitor sibi sumpsit, ut alter
Externi generis numerum præstare duorum
Debeat, et geminum distans inducere Numen?
Forma Patris veri verus stat Filius, ac se

Unum rite probat, dum formam servat eamdem :
Non amor ascitus sociat, nec jungit utrumque
Conjurata fides ; pietas sed certa, genusque
Unum, quod Deus est, summam revocatur ad unam.
  Hæc tibi, Marcion, via displicet ; hanc tua damnat
Secta fidem, dominis cœlum partita duobus.
Quæ te confundunt nebulæ ? quis summus inerti
Incubat ingenio ? cui per phantasmata duplex
Occurrit species, bivio dispersa superno.
Si vim mentis hebes stupor obsidet, aspice saltem
Obvia terrenis oculis elementa, quibus se
Res occulta Dei dignata est prodere signis.
Hanc hæresim præsaga Patris præviderat olim
Majestas fore : quæ rectorem lucis et orbis
Scinderet in partes geminatum segrege regno.
Idcirco specimen posuit spectabile nostris
Exemplumque oculis, ne quis duo Numina credat
Imperitare vagis mundi per inania formis.
Una per immensam cœli caveam revolutos
Præbet flamma dies : texit sol unicus annum.
Triplex ille tamen nullo discrimine trina
Subnixus ratione viget, splendet, volat, ardet,
Motu agitur, fervore cremat, tum lumine fulget.
Sunt tria nempe simul, lux et calor et vegetamen ;
Una eademque tamen rota sideris indiscretis
Fungitur his, uno servat tot munera ductu :
Et tribus una subest mixtim substantia rebus.
Non conferre Deo, velut æquiparabile, quidquam
Ausim, nec Domino famulum componere signum :
Ex minimis sed grande suum voluit Pater ipse
Conjectare homines, quibus ardua visere non est.
Parvorum speculo non intellecta notamus,
Et datur occultum per proxima quærere verum.

Nemo duos soles, nisi sub glaucomate, vidit :
Aut si fusca polum suffudit palla serenum,
Oppositus quoties radiorum spicula nimbus
Igne repercusso mentitos spargit in orbes.
Sunt animis etiam sua nubila, crassus et aër :
Est glaucoma, aciem quod tegmine velet aquoso,
Libera ne tenerum penetret meditatio cœlum,
Neve Deum rapidis comprendat sensibus unum.
Spargitur in bifidas malesana intentio luces,
Et duplices geminis auctoribus extruit aras.
Si duo sunt igitur, cur non sint multa Deorum
Millia? cur numero deitas contenta gemello est?
An non in populos dispersa examina Divum
Fundere erat melius, mundumque implere capacem
Semideis passim nullo discrimine monstris?
Quîs fera barbaries perituros mactat honores,
Dissona discretum retinent si Numina cœlum;
Convenit et nebulis, et fontibus, et reboanti
Oceano, et sylvis, et collibus, et speluncis,
Fluminibus, ventis, fornacibus, atque metallis
Assignare Deos proprios : sua cuique jura :
Vel, si gentiles sordet venerarier umbras,
Et placet esse duos sceptris socialibus æquos,
Dic age, quis terras ditionis sorte retentet?
Quis regat æquoreas æterna lege procellas?
Ede cohæredum distinctum jus dominorum,
Unus, ais, tristi residet sublimis in arce,
Auctor nequitiæ, scelerum Deus, asper, iniquus:
Qui, quodcumque malum vitioso fervet in orbe,
Sevit, et anguino medicans nova semina succo,
Rerum principium mortis de fomite traxit.
Ipse opifex mundi, terram, mare, sidera fecit;
Condidit ipse hominem, lutulenta et membra coëgit,

Effigians quod morbus edat, quod crimine multo
Sordeat, informi tumulus quod tabe resolvat.
Ast alii pietatis amor, placidumque medendi
Ingenium, recreans homines, mortalia servans.
Testamenta duo fluxerunt principe utroque:
Tradidit iste novum melior, vetus illud acerbus.
Hæc tua, Marcion, gravis et dialectica vox est:
Imo hæc attoniti phrenesis manifesta cerebri.
Novimus esse patrem scelerum: sed novimus ipsum
Haudquaquam tamen esse Deum; quin imo gehennæ
Mancipium, Stygio qui sit damnandus Averno.
Marcionita Deus, tristis, ferus, insidiator:
Vertice sublimi cinctum cui nubibus atris
Anguiferum caput et fumo stipatur et igni:
Liventes oculos suffundit felle perusto
Invidia, impatiens justorum gaudia ferre:
Hirsutos juba densa humeros errantibus hydris
Obtegit, et virides allambunt ora cerastæ.
Ipse manu laqueos per lubrica fila reflexos
In nodum revocat, facilique ligamine tortas
Innectit pedicas, nervosque in vincula tendit.
Ars olli captare feras, animalia bruta
Irretire plagis; retinacula denique cæcis
Indeprensa locis erranti opponere prædæ.
Hic ille est venator atrox, qui cæde frequenti
Incautas animas non cessat pectere Nembroth:
Qui mundum curvis anfractibus et sylvosis
Horrentem scopulis, versuto circuit astu,
Fraude alios tectisque dolis innectere adortus;
Porro giganteis alios luctando lacertis
Frangere, funereos late exercere triumphos.
Improba mors, quid non mortalia pectora cogis[1]?

[1] Illud habes Virgilianum, Æneid. III, vers. 56.

Ipse suam, pudet heu ! contempto principe vitæ,
Perniciem veneratur homo : colit ipse cruentum
Carnificem, gladiique aciem jugulandus adorat.
In tantum miseris peccati nectare captis
Dulce mori est : tanta in tenebris de peste voluptas
Qui mala principio genuit, Deus esse putatur,
Quique bona infecit vitiis, et candida nigris.
Par furor illorum, quos tradit fama dicatis
Consecrasse Deas Febrem Scabiemque sacellis.
Inventor vitii non est Deus : angelus illud
Degener infami conceptum mente creavit :
Qui prius augustum radiabat sidus, et ingens
Ex nihilo splendor nutrito ardebat honore.
Ex nihilo nam cuncta retro, factumque quod usquam est.
At non ex nihilo Deus, et sapientia vera,
Spiritus et sanctus : res semper viva, nec unquam
Cœpta, sed aërios etiam molita ministros.
Horum de numero quidam pulcherrimus ore,
Majestate ferox, nimiis dum viribus auctus
Inflatur, dum grande tumens sese altius effert,
Ostentatque suos licito jactantius ignes;
Persuasit, propriis genitum se viribus, ex se
Materiam sumpsisse sibi, qua primitus esse
Inciperet, nascique suum sine principe cœptum.
Hinc schola subtacitam meditatur gignere sectam,
Quæ docet e tenebris subitum micuisse tyrannum;
Qui, velut æterna latitans sub nocte, retrorsum
Vixerit, et tecto semper regnaverit ævo.
Æmulus, ut memorant, opera ad divina repente
Corrumpenda, caput caligine protulit atra.
Hoc ratio sed nostra negat, cui non licet unam

. . . . . Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames ?

Infirmare fidem, sacro quæ tradita libro est.
Nil, ait, absque Deo factum, sed cuncta per ipsum,
Cuncta : nec est alius quisquam nisi factus ab ipso.
Sed factus de stirpe bonus, bonitatis in usum
Proditus, et primo generis de fonte serenus :
Deterior mox sponte sua, dum decolor illum
Inficit invidia, stimulisque instigat amaris :
Arsit enim scintilla odii de fomite zeli,
Et dolor ingenium subitus conflavit iniquum.
Viderat argillam, simulacrum et structile, flatu
Concaluisse Dei : dominum quoque conditioni
Impositum : natura soli, pelagique, polique,
Ut famulans homini locupletem fundere partum
Nosset, et effusum terreno addicere regi,
Qui cunctum regeret proprio moderamine mundum.
Inflavit fermento animi stomachante tumorem
Bestia, deque acidis vim traxit acerba medullis :
Bestia sorde carens, cui tunc sapientia longi
Corporis enodem servabat recta juventam,
Complicat ecce novos sinuoso pectore nexus,
Involvens nitidam spiris torquentibus alvum.
Simplex lingua prius, varia micat arte loquendi,
Et discissa dolis resonat sermone trisulco.
Hinc natale caput vitiorum : principe ab illo
Fluxit origo mali, qui se corrumpere primum
Mox hominem didicit, nullo informante magistro.
Ultimus exitium subverso præside mundus
Sortitur, mundique omnis labefacta supellex.
Non aliter quam cum incautum spoliare viantem
Forte latro aggressus, prædæ prius immemor, ipsum
Ense ferit dominum, pugnæ nodumque, moramque,
Quo pereunte trahat captivos victor amictus,
Jam non obstanti locuples de corpore prædo.

Sic homini subjecta domus, ditissimus orbis
Scilicet in facilem domino peccante ruinam
Lapsus, herile malum jam tunc vitiabilis hausit,
Tunc lolium lappasque leves per adultera culta
Ferre malignus ager glebis male pinguibus ausus,
Triticeam vacuis segetem violavit avenis.
Tunc etiam innocuo vitulorum sanguine pasci,
Jamque jugo edomitos rictu laniare juvencos
Occiso pastore truces didicere leones.
Necnon et querulis balatibus irritatus
Plenas nocte lupus studuit perrumpere caulas.
Omne animal diri callens solertia furti
Imbuit, et tortos acuit fallacia sensus.
Quamvis maceries florentes ambiat hortos,
Sepibus et densis vallentur vitea rura;
Aut populator edet gemmantia germina bruchus,
Aut avibus discerpta feris lacerabitur uva.
Quid loquar herbarum fibras, medicante veneno
Tinctas, lethiferi fudisse pericula succi?
Noxius in teneris sapor æstuat ecce frutetis,
Cum prius innocuas tulerit natura cicutas,
Roscidus et viridem qui vestit flos rhododaphnen
Pabula lascivis dederit sincera capellis.
Ipsa quoque oppositum destructo fœdere certo
Transcendunt elementa modum, rapiuntque, ruuntque
Omnia, legirupis quassantia viribus orbem.
Frangunt umbriferos Aquilonum prælia lucos,
Et cadit immodicis sylva extirpata procellis.
Parte alia violentus aquis torrentibus amnis
Transilit objectas præscripta repagula ripas,
Et vagus eversis late dominatur in agris.
Nec tamen his tantam rabiem nascentibus ipse
Conditor instituit: sed laxa licentia rerum

Turbavit placidas rupto moderamine leges.
Nec mirum, si membra orbis concussa rotantur,
Si vitiis agitata suis mundana laborat
Machina, si terras luis incentiva fatigat.
Exemplum dat vita hominum, quo cætera peccent:
Vita hominum, cui quidquid agit, vesania et error
Suppeditant, ut bella fremant, ut fluxa voluptas
Diffluat, impuro fervescat ut igne libido,
Sorbeat ut cumulos nummorum faucibus amplis
Gurges avaritiæ, finis quam nullus habendi
Temperat, aggestis addentem vota talentis.
Auri namque fames parto fit major ab auro.
Inde seges scelerum, radix et sola malorum:
Dum scatebras fluviorum omnes et operta matalla
Eliquat ornatus solvendi leno pudoris:
Dum venas squalentis humi scrutatur inepta
Ambitio, scalpens naturæ occulta latentis,
Si quibus in foveis radiantes forte lapillos
Rimata inveniet: nec enim contenta decore
Ingenito, externam mentitur fœmina formam.
Ac velut artificis domini manus imperfectum
Os dederit, quod adhuc res exigat, aut hyacinthis
Pingere sutilibus redimitæ frontis in arce,
Colla vel ignitis sincera incingere sertis,
Auribus aut gravidis virides suspendere baccas:
Nectitur et nitidis concharum calculus albens
Crinibus, aureolisque riget coma texta catenis.
Tædet sacrilegas matrum percurrere curas,
Muneribus dotata Dei quæ plasmata fuco
Inficiunt, ut pigmentis cutis illita perdat
Quod fuerat, falso non agnoscenda colore.
Hæc sexus male fortis agit, cur pectore in arcto
Mens fragilis, facili vitiorum fluctuat æstu.

Quid, quod et ipse caput muliebris corporis et rex,
Qui regit invalidam propria de carne resectam
Particulam, qui vas tenerum ditione gubernat,
Solvitur in luxum? cernas mollescere cultu
Heroas vetulos, opifex quibus aspera membra
Finxerat, et rigidos duraverat ossibus artus.
Sed pudet esse viros : quærunt vanissima quæque,
Queis niteant : genuina leves, ut robora solvant,
Vellere non ovium, sed Eoo ex orbe petitis
Ramorum spoliis fluitantes sumere amictus
Gaudent, et durum scutulis perfundere corpus.
Additur ars, ut fila herbis saturata recoctis
Illudant varias distincto stamine formas.
Ut quæque est lanugo feræ mollissima tactu,
Pectitur; hunc videas lascivas præpete cursu
Venantem tunicas, avium quoque versicolorum
Indumenta novis texentem plumea telis:
Illum pigmentis redolentibus, et peregrino
Pulvere fœmineas spargentem turpiter auras.
Omnia luxus habet nostræ vegetamina vitæ,
Sensibus in quinque statuens quæ condidit auctor.
Auribus atque oculis, tum naribus, atque palato
Quæritur infectus vitiosis artibus usus.
Ipse etiam, toto pollet qui corpore, tactus
Palpamen tenerum blandis e fotibus ambit.
Proh dolor, ingenuas naturæ occumbere leges,
Captivasque trahi regnante libidine dotes!
Perversum jus omne viget, dum quidquid habendum
Omnipotens dederat, studia in contraria vertunt.
Idcirco-ne, rogo, speculatrix pupula molli
Subdita palpebræ est, ut turpia semivirorum
Membra theatrali spectet vertigine ferri,
Incestans miseros fœdo oblectamine visus?

Aut ideo spirant, mediaque ex arce cerebri
Demittunt geminas sociata foramina nares,
Ut bibat illecebras male conciliata voluptas,
Quas pigmentato meretrix jacit improba crine?
Num propter lyricæ modulamina vana puellæ,
Nervorumque sonos, et convivale calentis
Carmen nequitiæ, patulas Deus addidit aures?
Perque cavernosos jussit penetrare meatus
Vocis iter? numquid madido sapor inditus ori
Vivit ob hanc causam, medicata ut fercula pigram
Ingluviem, vegetamque gulam ganeonis inescent?
Per varios gustus instructa ut prandia ducat
In noctem, lassetque gravem sua crapula ventrem?
Quid durum, quid molle foret, quid lene, quid horrens,
Quid calidum gelidumve, Deus cognoscere nosmet
Attactu voluit, palpandi interprete sensu.
At nos delicias plumarum, et linea texta
Sternimus, atque cutem fulcro attenuante polimus.
Felix, qui indultis potuit mediocriter uti
Muneribus, parcumque modum servare fruendi.
Quem locuples mundi species, et amœna venustas,
Et nitidis fallens circumflua copia rebus
Non capit, ut puerum, nec inepto addicit amori:
Qui sub adumbrata dulcedine triste venenum
Deprendit latitare boni mendacis operto.
Sed fuit id quondam nobis sanctumque bonumque
Principio rerum, Christus cum conderet orbem.
Vidit enim Deus esse bonum: velut ipse Moyses
Historicus mundi nascentis testificatur.
Vidit, ait, Deus esse bonum quodcumque creavit.
Hoc sequar, hoc stabili conceptum mente tenebo;
Inspirante Deo quod sanctus vaticinator
Prodidit, antiquæ recolens primordia lucis,

Esse bonum quidquid Deus et Sapientia fecit.
Conditor ergo boni Pater est, et cum Patre Christus.
Nam Deus, atque Deus Pater, est et Filius unum:
Quippe unum natura facit, quæ constat utrique
Una voluntatis, juris, virtutis, amoris.
Non tamen idcirco duo Numina, nec duo rerum
Artifices: quoniam generis dissensio nulla est.
Atque ideo nulla est operis distantia, nulla
Ingenii; peperit bona omnia conditor unus.
Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus humor
Nascitur, aut primæ violatur origine venæ:
Sed dum liventes liquor incorruptus arenas
Prælambit, putrefacta inter contagia sordet.
Numquid equus, ferrum, taurus, leo, funis, olivum,
In se vim sceleris, cum formarentur, habebant?
Quod jugulatur homo, non ferrum causa furoris,
Sed manus est: nec equum vesania fervida Circi
Auctorem levitatis habet, rabidive fragoris.
Mens vulgi rationis inops, non cursus equorum,
Perfurit: infami studio perit utile donum.
Sic Lacedæmonias oleo maduisse palæstras
Novimus, et placidum servire ad crimina succum.
Inde per aërium pendens audacia funem,
Ardua securis scandit proscenia plantis.
Inde feras volucri temeraria corpora saltu
Transiliunt, mortisque inter discrimina ludunt.
Sanguinis humani spectacula publicus edit
Consensus, legesque jubent venale parari
Supplicium, quo membra hominum discerpta cruentis
Morsibus oblectent hilaram de funere plebem.
Mille alia stolidi bacchantia gaudia mundi
Percensere piget, quæ veri oblita Tonantis
Humanum miseris volvunt erroribus ævum.

Nemo animum summi memorem genitoris in altum
Excitat: ad cœlum mittit suspiria nemo:
Nec, recolens apicem solii natalis, ad ipsum
Respicit auctorem; nec spem super aëra librat:
Sed mentem gravidis contentam stertere curis,
Indigno subdit domino, perituraque pronus
Diligit, et curvo quærit terrestria sensu.
Hoc pulchrum, quod terra parit, quod gloria confert
Lubrica; commendat quod perniciosa voluptas;
Quod, velut excitus difflato pulvere ventus,
Præterit, exemplo tenuis quod transvolat umbræ.
His ægras animas morborum pestibus urget
Prædo potens, tacitis quem viribus interfusum
Corda bibunt hominum; serit ille medullitus omnes
Nequitias, spargitque suos per membra ministros.
Namque illic numerosa cohors sub principe tali
Militat, horrendisque animas circumsidet armis,
Ira, superstitio, mœror, discordia, luxus,
Sanguinis atra sitis, vini sitis, et sitis auri,
Livor, adulterium, dolus, obtrectatio, furtum.
Informes horrent facies habituque minaces:
Ambitio ventosa tumet: doctrina superbit:
Personat eloquium: nodos fraus abdita nectit.
Inde canina foro latrat facundia toto,
Hinc gerit Herculeam vilis sapientia clavam,
Ostentatque suos vicatim Gymnosophistas.
Incerat lapides fumosos idololatrix
Relligio, et surdis pallens advolvitur aris,
Heu quantis mortale premit genus improbus hostis
Armigeris! quanto ferrata satellite ductor
Bella gerit: quanta victos ditione triumphat!
Surgit in auxilium Chananeus, atque agmina denset
Casside terribilis; setarum pondera mento

Concutiens, dextramque gravi cum cuspide quassans.
Ast alia de parte furens exercitus ardet
Regis Amorrhæi : tum millia Gergeseorum
Effundunt aciem toto volitantia campo :
Eminus hi feriunt, confligunt comminus illi.
Ecce Jebusaïcæ fervent ad prælia turmæ :
Aurea tela quibus de sanguine tincta draconis
Mortifero splendore micant, radiantque, necantque :
Necnon terrificas pilis armare catervas
Te, Chettæe, juvat ; sed gens Pherezæa sagittis
Insultat virtute pari, sed dispare ferro.
Postremum cuneum rex promovet Evæorum,
Squamosum thoraca gerens de pelle colubri.
His subnixa viris scelerum perversa potestas
Edomat invalidas mentes, quæ simplicitate
Indociles, bellique rudes sub fœdere falso
Tristis amicitiæ primum socia agmina credunt,
Mammoneamque fidem pacis sub amore sequuntur.
Mox faciles ad vincla rapi, juga dura volentes
Addictis subeunt cervicibus, et nebulonum
Spirituum jussis servire ferocibus optant.
Ille, supervacuis augens patrimonia fundis,
Finitimisque inhians contempto limine agellis,
Ducitur innexus manicis, et mille catenis
Ante triumphales currus post terga revinctus,
Nec se barbaricis addictum sentit habenis :
Hic, qui ventosæ scandit fastigia famæ,
Inflaturque cavo pompæ popularis honore,
Qui summum solidumque bonum putat, ambitionis
Crescere successu, præconum voce trementes
Exanimare reos, miserorum in corpora fasces
Frangere, terribiles legum exercere secures ;
In laqueum jam colla dedit, jam compede dura

Nectitur, et pedibus servilia vincula limat.
Credite captivi mortales, hostica quos jam
Damnatos cohibent ergastula, quos famulatu
Pœnarum virtus non intellecta coërcet.
Hæc illa est Babylon, hæc transmigratio nostræ
Gentis, et horribilis victoria principis Assur :
Carmine luctifico quam deflens Hieremias,
Orbatam propriis ululavit civibus urbem.
Num latet, aut dubium est, animas de semine Jacob
Exilium gentile pati : quas Persica regna
Captivas retinent, atque in sua fœdera cogunt ?
Illic natali desuescunt vivere ritu,
Moribus et patriis exutæ in barbara jura
Degenerant, linguamque novam vestemque sequuntur,
Deque profanato discunt sordescere cultu,
Nutricemque abolent petulanti e pectore Sion.
Jam patriæ meminisse piget; jam mystica frangunt
Organa, et externi laudant anathemata regni.
Nonne fuit melius sævum Memphitidis aulæ
Imperium tolerasse patres, penitusque sinistris
Assedisse focis ? positos Pharaonis iniqui
Sub pedibus, limo et paleis servire paratos,
Carnis et immodicæ spurco ructamine crudos ?
Quo tantum auxilii per prodigialia signa
Effudit Dominus, populum dum forte rebellem
Servat ope immerita, vinclis dum subdita colla
Solvit, et Ægyptum virga serpente coërcet ?
Quid juvat æquoreum pelago cedente profundum
Pulverea calcasse via : cum conscia ponti
Saxa sub ignoto patuerunt prodita cœlo ?
Aruit et medio sitiens in gurgite limus ?
Si victor virtute Dei, mediasque tenebras
Luce columnari scindens exercitus olim,

Perdidit inventi vallem botryonis opimam?
Si nescit versare solum, cui melle perenni
Gleba fluens niveos permiscet lactea rivos?
Si domitam Jerichon lituis atque ære canoro
Rursus in antiquos patitur consurgere muros?
Si ripis reflui Jordanis pellitur, et jam
Deserit ascriptam dimensa in jugera sortem?
Denique si structam tantis sudoribus urbem,
Et quæ nubigenas transcendunt culmina nimbos,
Defensare nequit? si nescit, quis lapis ille est
Hostibus obsistens, ut inexpugnabile turris
Præsidium, quem non ærato machina rostro
Arietat insiliens, nec ferrea verbera quassant?
Angulus hic portæ in capite est; hic continet omnem
Saxorum seriem, constructaque limina firmat:
Quem qui rite suis per propugnacula muris
Noverit insertum, seque ac sua mœnia vallo
Præcingat triplici, celsa stans eminus arce
Fretus amore petræ, castis et pervigil armis;
Non illum regina Tyri, non accola magni
Euphratis Parthus rapiet, non decolor Indus
Tempora pennatis redimitus nigra sagittis.
Quin, si fulmineos cogens ad bella Gigantas
Allophylus tua castra velit delere tyrannus,
Tutus eris, nec te firma statione movebit
Ipse Charon mundi, Numen Marcionis: ipse,
Qui regit aërio vanas sub sole tenebras.
Nam vanum, quidquid sol aspicit: ex elementis
Cuncta solubilibus fluxoque creamine constant.
Fallo, creaturam nisi doctor Apostolus omnem
Subjectam vanis non sponte laboribus orsus,
Perjuro ingemuit miserans servire latroni:
Errat, ait, qui luctamen cum sanguine nobis,

Et carne, et venis ferventibus, et vitioso
Felle putat; calidisque animam peccare medullis.
Non mentem sua membra premunt, nec terrea virtus,
Oppugnat sensus liquidos, bellove lacessit:
Sed cum spiritibus tenebrosis nocte dieque
Congredimur: quorum dominatibus humidus iste
Et pigris densus nebulis obtemperat aër.
Scilicet hoc medium, cœlum inter et infima terræ
Quod patet, et vacuo nubes suspendit hiatu,
Frena potestatum variarum sustinet, ac sub
Principe Belia rectoribus horret iniquis.
His colluctamur prædonibus, ut sacra nobis
Oris Apostolici testis sententia prodit.
Nemo habitum naturæ, aut irritamina peccans
Corporis accuset: facile est frenare rebelles
Affectus carnis, nimiosque retundere pulsus
Materiæ fragilis, et viscera victa domare.
Quippe animus longe præstantior, utpote summo
Æthere demissus, subjectos si velit artus
Imperio quassare gravi, jussisque severis
Dedere, regnanti domino vis nulla resistet.
Major inest vis illa homini, quæ flatile virus
Ingerit, et tenuem tenui ferit aëre mentem.
Parthica non æque ventos transcurrit arundo,
Cujus iter nullus potis est comprendere visus:
Præpes enim volucres dum pennis transvolat auras,
Improvisa venit; nec stridor nuntiat ante
Adventum lethi, quam pectoris abdita rumpat,
Securam penetrans medicato vulnere vitam.
Sed magis aligera est, magis et medicata sagitta,
Quam jacit umbrosi dominatio lubrica mundi,
Eludens excussa oculos, calamique volantis
Præpete transcursu cordis penetralia figens.

Nec segnis natura animæ est, aut tarda cavendi
Vulneris: ignitum quoniam Deus indidit olli
Ingenium purum, sapiens, subtile, serenum,
Mobile, sollicitum, velox, agitabile, acutum:
Factorem modo casta suum veneretur, et ipsi
Militet, ac victum proculcet sobria mundum:
Nil de pestiferis opibus, aut falsificatis
Terrarum spoliis stulto oblectamine libans,
Nec sub fasce jacens, alieno et dedita regno,
Non queat argutas hostis vitare sagittas.
Sed quid ego omne malum mundique hominumque ma- [ligni]
Hostis ad invidiam detorqueo? cum mala nostra
Ex nostris concreta animis, genus et caput et vim,
Quid sint, quid valeant, sumant de corde parenti?
Ille quidem fomes nostrorum et causa malorum est.
Sed tantum turbare potest aut fallere, quantum
Nos volumus, qui decrepito suggesta leoni
Armamenta damus, friget fera futile frendens,
Humani generis ni per suffragia gliscat.
Gignimus omne malum proprio de corpore nostrum:
Ut genuit David, alias pater optimus, unum
Crimen Abessalon: tetrum pater ille, sed unum
Innocuas inter soboles genuit patricidam:
Ausus in auctorem generis qui stringere ferrum.
Ah pietas! signis contraria signa paternis
Egit, et unius commisit sanguinis arma.
Nostra itidem diros urente propagine natos
Pectora parturiunt: versis qui protinus in nos
Morsibus insuescunt gignentum vivere pœnis:
Depopulantur enim nimium fœcunda parentum
Viscera, et interitu genitalis stirpis aluntur.
Progeniem verum ille suam, rex utpote summus,
Atque Dei Vates, pariture et virginis auctor,

Tristibus atque piis variaverat, ut Salomonis
Frater Abessalon sereret sua crimina justis
Pignoribus, dulcemque domum turbaret amaris.
Nos dignum Salomone nihil : nos degener implet
Solus Abessalon, lacerans pia viscera ferro.
Si licet ex ethicis quidquam præsumere, vel si
De physicis exempli aliquid : sic vipera, ut aiunt,
Dentibus emoritur fusæ per viscera prolis
Mater morte sua, non sexu fertilis, aut de
Concubitu distenta uterum : sed cum calet igni
Percita fœmineo, moriturum obscena maritum
Ore sitit patulo : caput inserit ille trilingue
Conjugis in fauces, atque oscula fervidus intrat,
Insinuans oris coitu genitale venenum.
Nupta, voluptatis vi saucia, mordicus haustum
Frangit amatoris blanda inter fœdera guttur;
Infusasque bibit, caro pereunte, salivas.
His pater illecebris consumitur, at genitricem
Clausa necat soboles : nam postquam semine adulto
Incipiunt calidis corpuscula parva latebris
Serpere, motatumque uterum vibrata ferire;
Æstuat interno pietatis crimine mater,
Carnificemque gemit damnati conscia sexus,
Progeniem, septi rumpentem obstacula partus.
Nam, quia nascendi nullus patet exitus, alvus
Fœtibus in lucem nitentibus excruciata
Carpitur, atque viam lacerata per ilia pandit.
Tandem obitu altricis prodit grex ille dolorum,
Ingressum vitæ vix eluctatus, et ortum
Per scelus exculpens; lambunt natale cadaver
Reptantes catuli, proles dum nascitur, orba,
Haud experta diem, miseræ nisi posthuma matris.
Non dispar nostræ conceptus mentis : ab ore

Vipereo infusum sic cumbibit illa venenum
Conjuge Beliade: sic oscula devorat haustu,
Interiusque rapit: sic felle libidinis ardens
Impletur vitiis, perituro mixta marito.
Tunc prægnans lethale genus, concepta maligni
Fert opera ingenii, de semine complicis hydri;
Quem pœnis pensare prius sua facta necesse est
Corruptæ pro stupro animæ, proque orbe perempto.
Ipsam porro animam crudelia vulnera carpunt
Mille puerperiis, soboles dum parturit ex se
Contra naturam genitas, peccamina crebra
Scilicet, et pastos materno funere natos,
Hinc illa est domini justa objurgatio Christi:
Nonne pater Dæmon, vos increpo peccatores,
Concubitu carnis, semen sitientis iniquum,
Vos genuit? sanctum, lector, percense volumen:
Quod loquor, invenies Dominum dixisse profanis
Vera objectantem mortalibus: ex patre nam vos
Esse meo genitos, pietas, ait, ipsa probaret,
Ac pietatis opus; proh cæca libido! quid hoc est?
Quod, cum se thalamis desponsam mens bona justis
Noverit, inque thorum regis nuptura vocetur,
Et regis semper juvenis, senioque repulso
Divinum decus æterno servantis in ore,
Malit adulterium; fulvo et se munere vilem
Vendat nocticolæ spurcis complexibus Indi,
Aspernata Dei fusam per virginis artus
Progeniem, dulcesque vocans in fornice natos?
Sentio quam contra moveat pellacia litem:
Quo dente obnitens spinosa calumnia pugnet,
Nosque lacessito vocet ad luctamina vero.
Si non vult Deus esse malum, cur non vetat? inquit.
Nil refert auctor fuerit factorque malorum:

Anne opera in vitium sceleris pulcherrima verti,
Cum possit prohibere, sinat? quod si velit omnes
Innocuos agere Omnipotens, nec sancta voluntas
Degeneret, facto nec se manus inquinet ullo.
Condidit ergo malum Dominus, quod spectat ab alto,
Et patitur, fierique probat, tanquam ipse crearit.
Ipse creavit enim, quod, cum discludere possit,
Non abolet, longoque sinit grassarier usu.
Damna aures, Pater alme, meas, et claude meatus
Obbrutescentis capitis [1], ne pervia tales
Concipiat flexura sonos; est perdere tanti
Extinctum vitæ officium de parte cerebri.
Immunem modo sese anima, expertemque nefandi
Auditus, felix? stolida conservet ab aure.
Quis ferat hæc injecta Deo convicia, qui se
Divinis meminit præcellere nobilitatum
Muneribus? multa ut taceam, vel sola benignum
Res probat esse Deum, vetiti quod amore peremptos
Excitat e tumulis homines, regnique per ævum
Participes jubet esse sui: qui si foret auctor,
Servatorque mali, nunquam post damna salutis,
Peccantumque obitus, redivivam ferre medelam
Vellet, et amissos ope restaurare secunda.
Labi hominis, servare Dei est: meritis perit iste:
Ille abolet pereuntis opus, meritumque resolvit.
Argumentum ingens, Dominum, qui talia præstet,
Nolle malum, nec, quod post abluit, ante probare.
Invito ne aliquis potis est peccare Tonante:
Cui facile est in corde hominis componere sensus,
Quos libeat, fibrasque omnes animare pudicis

[1] Hoc vocabulo usus est Lucretius, lib. III, vers. 543.

Nec refert utrum pereat dispersa per auras,
An contractis in se partibus obbrutescat.

Pulsibus, et totum venis infundere honestum?
Nescis, stulte, tuæ vim libertatis ab ipso
Formatore datam? nescis, ab origine quanta
Sit concessa tibi famulo super orbe potestas,
Et super ingenio proprio, laxæque soluto
Jure voluntatis: liceat cui velle, sequique
Quod placitum, nullique animum subjungere vinclo?
An cum te dominum cunctis, quæcumque crearat,
Præficeret; mundumque tuis servire juberet
Imperiis; cumque arva, polum, mare, flumina, ventos
Dederet, arbitrium de te tibi credere avarus
Nollet, ut indigno, libertatemque negaret?
Quale erat, electus magni rex orbis ut esset,
Non rex ipse sui, curto fœdatus honore?
Nam quis honos domini est, cujus mens libera non est,
Una sed impositæ servit sententia legi?
Quæ laus porro hominis, vel quod meritum, sine certo
Inter utramque viam discrimine vivere juste?
Non fit sponte bonus: cui non est prompta potestas
Velle aliud, flexosque animi convertere sensus.
Atqui nec bonus est, nec collaudabilis ille,
Qui non sponte bonus: quoniam probitate coacta
Gloria nulla venit, sordetque ingloria virtus.
Nec tamen est virtus, ni deteriora refutans
Emicet, et meliore viam petat indole rectam.
Vade, ait ipse parens, opifexque et conditor Adæ;
Vade, homo, et afflatu nostri prænobilis oris,
Insubjecte, potens, rerum arbiter, arbiter idem
Et judex mentis propriæ: mihi subdere soli
Sponte tua, quo sit subjectio et ipsa soluto
Libera judicio; non cogo, nec exigo per vim,
Sed moneo injustum fugias, justumque sequaris.
Lux comes est justi: comes est mors horrida iniqui,

Elige rem vitæ, tua virtus temet in ævum
Provehat, æternum tua damnet culpa vicissim,
Præstet et alterutram permissa licentia sortem.
Hac pietate vagus, et tanto munere abundans,
Transit propositum fas, et lethalia prudens
Eligit: atque volens illud magis utile retur,
Quod, prohibente Deo, persuasit callidus anguis.
Persuasit certe hortatu, non impulit acri
Imperio; hoc mulier rea criminis exprobranti
Respondit Domino: suadelis se malefabris
Illectam, suasisse viro: vir et ipse libenter
Consensit; licuit-ne hortantem spernere recti
Libertate animi? licuit: namque et Deus ante
Suaserat, ut meliora volens sequeretur: at ille
Spernens consilium, sævo plus credidit hosti.
Nunc inter vitæ dominum, mortisque magistrum
Consistit medius: vocat hinc Deus, inde tyrannus
Ambiguum, atque suis se motibus alternantem.
Accipe gestarum monumenta insignia rerum:
Prælusit quibus historia spectabile signum.
Loth fugiens Sodomis ardentibus, omnia secum
Pignora chara domus properabat, sede relicta,
Nubibus urbicremis subducere, sulphure cum jam
Nimboso ignitus cœlum subtexeret aër,
Flagrantemque diem crepitans incenderet imber.
Angelus hanc hospes legem præscripserat ollis,
Emissus virtute Dei, sub imagine dupla:
Omnis ut e portis iret domus, atque in apertum
Dirigeret constans oculos, nec pone reflexo
Lumine regnantes per mœnia cerneret ignes.
Nemo memor Sodomæ, quæ mundi forma cremandi est,
Ut semel e muris gressum promoverit, ore
Post tergum verso, respectet funera rerum.

Loth monitis sapiens obtemperat : at levis uxor
Mobilitate animi torsit muliebre retrorsus
Ingenium, Sodomisque suis revocabilis hæsit.
Traxerat Eva virum diræ ad consortia culpæ ;
Hæc peccans sibi sola perit, solidata metallo
Diriguit fragili ; saxumque liquabile facta :
Stat mulier, sicut steterat prius, omnia servans,
Caute sigillati longum salis effigiata,
Et decus, et cultum, frontemque, oculosque, comamque,
Et flexam in tergum faciem, paulumque relata
Menta retro, antiquæ monumenta rigentia noxæ.
Liquitur illa quidem salsis sudoribus uda,
Sed nulla ex fluido plenæ dispendia formæ
Sentit deliquio : quantumque armenta saporum
Attenuant saxum, tantum lambentibus humor
Sufficit, attritamque cutem per damna reformat.
Hoc meruit titulo peccatrix fœmina sisti,
Infirmum fluidumque animum per lubrica solvens
Consilia, et fragilis jussa ad cœlestia voti.
Propositum contra non commutabile servat
Loth ingressus iter, nec mœnia respicit, alto
In cinerem collapsa rogo, populumque perustum,
Et mores populi, tabularia, jura, forumque,
Balnea, propolas, meritoria, templa, theatra,
Et circum cum plebe sua, madidasque popinas.
Quidquid agunt homines, Sodomorum incendia justis
Ignibus involvunt, et Christo judice damnant.
Hæc fugisse semel satis est ; non respicit ultra
Loth noster : fragilis sed conjux respicit, et, quæ
Fugerat, inverso mutabilis ore revisit,
Atque inter patrias perstat durata favillas.
En tibi signatum libertatis documentum :
Quo voluit nos scire Deus, quodcumque sequendum est,

Sub nostra ditione situm, passimque remissum,
Alterutram calcare viam : duo cedere jussi
De Sodomis, alter se proripit, altera mussat :
Ille gradum celerat fugiens ; contra illa renutat.
Liber utrique animus, sed dispar utrique voluntas ;
Dividit huc illuc rapiens sua quemque libido
Talem multa sacris speciem notat orbita libris.
Aspice Ruth gentis Moabitidis, et simul Orphan :
Illa socrum Noëmin fido comitatur amore,
Deserit hæc ; atquin thalamis et lege jugali
Exutæ, Hebræisque thoris sacrisque vacantes,
Jure fruebantur proprio ; sed pristinus Orphæ
Fanorum ritus præputia barbara suasit
Malle, et semiferi stirpem nutrire Goliæ :
Ruth dum per stipulas agresti amburitur æstu,
Fulcra Booz meruit, castoque ascita cubili
Christigenam fœcunda domum Davidica regna
Edidit, atque Deo mortales miscuit ortus.
Sæpe egomet memini fratres geminos ad hiulcum
Pervenisse simul bivium, nutante juventa ;
Et dubitasse diu, bifido sub tramite, quodnam
Esset iter melius : cum dextrum spinea sylva
Sentibus arctaret, scopulosaque semita longe
Duceret aërium clivoso margine callem :
At lævum, nemus umbriferum per amœna vireta
Ditibus ornaret pomis, et lene jacentem
Planities daret ampla viam : squalentibus unum
Contentum spinis reptasse per ardua saxa ;
Porro alium campo sese indulsisse sinistro :
Illum sideribus caput immiscere propinquis,
Hunc in cœnosas subito cecidisse paludes.
Omnibus una subest natura : sed exitus omnes
Non unus peragit, placitorum segrege forma.

Haud secus, ac si olim per sudum[1] lactea forte
Lapsa columbarum nubes descendat in arvum
Ruris frugiferi, laqueos ubi callidus auceps
Prætendit, lentoque illevit vimina visco,
Sparsit et insidias siliquis vel farre doloso:
Illiciunt alias fallentia grana, gulamque
Innectunt avidam tortæ retinacula setæ,
Molle vel implicitas gluten circumligat alas:
Ast aliæ, quas nullus amor prolectat edendi,
Gressibus innocuis sterili spatiantur in herba,
Suspectamque cavent oculos convertere ad escam.
Mox ubi jam cœlo revolandum, pars petit æthram
Libera sideream, plaudens super aëra pennis:
Pars captiva jacet, laceris et saucia plumis
Pugnat humi, et volucres nequidquam suspicit auras.
Sic animas cœli de fontibus unicoloras
Infundit natura solo: sed suavibus istic
Devinctæ illecebris retinentur, et æthera paucæ
Conscendunt reduces: multas viscosus inescat
Pastus, et ad superas percurrere non sinit auras.
Præscius inde Pater liventia Tartara plumbo
Incendit liquido, piceasque bitumine fossas
Infernalis aquæ furvo suffodit Averno,
Et Phlegethonteo sub gurgite sanxit edaces
Perpetuis scelerum pœnis inolescere vermes.
Norat enim flatu ex proprio vegetamen inesse
Corporibus nostris, animamque ex ore perenni
Formatam non posse mori: non posse vicissim
Pollutam vitiis sursum ad convexa reverti,

[1] Sudum proprie pars est cœli serena inter nubes. Virgilius Æneid. VIII, vers. 528, sic habet:

Arma inter nubem, cœli in regione serena,
Per sudum rutilare vident, et pulsa tonare.

Mersandam penitus puteo ferventis abyssi.
Vermibus et flammis et discruciatibus ævum
Immortale dedit, senio ne pœna periret
Non pereunte anima : carpunt tormenta, foventque
Materiem sine fine datam : mors deserit ipsa
Æternos gemitus, et flentes vivere cogit.
At diversa procul regionibus in paradisi
Præmia constituit majestas gnara futuri
Spiritibus puris, et ab omni labe remotis;
Quique Gomorrhæas non respexere ruinas;
Aversis sed rite oculis post terga tenebras
Liquerunt miseri properanda pericula mundi,
Ac primum facili referuntur ad astra volatu;
Unde fluens anima structum vegetaverat Adam.
Nam, quia naturam tenuem declivia vitæ
Pondera non reprimunt, nec tardat ferrea compes,
Concretum celeri relegens secat aëra lapsu,
Exsuperatque polum fervens scintilla remensum,
Carcereos exosa situs, quibus hæserat exul.
Tunc postliminio redeuntem suscipit alto
Cana fides gremio, tenerisque oblectat alumnam
Deliciis, multos post diversoria carnis
Ore renarrantem querulo, quos passa, labores.
Illic purpureo latus exporrecta cubili
Floribus æternis spirantes libat odores,
Ambrosiumque bibit roseo de stramine rorem.
Ditibus, et longo fumantibus intervallo,
Fluminaque et totos cœli sitientibus imbres,
Implorata negat digitum insertare palato,
Flammarumque apices humenti extinguere tactu.
Nec mirere locis longe distantibus inter
Damnatas justasque animas concurrere visus

34.

Conspicuos, meritasque vices per magna notari
Intervalla, polus medio quæ dividit orbe.

DE INTEGRITATE VISIONIS ANIMÆ.

Errat quisque animas nostrorum fine oculorum
Æstimat; involvit vitreo quos lucida palla
Obice: quis speculum concreta coagula texunt,
Impediuntque vagas obducto humore fenestras.
Num-ne animarum oculis denso vegetamine guttæ
Volvuntur teretes? aut palpebralibus extra
Horrescunt setis, ciliove umbrante teguntur?
Illi viva acies, nec pupula parva, sed ignis
Trajector nebulæ, vasti et penetrator operti est.
Nil ferrugineum solidumve tuentibus obstat,
Nocturnæ cedunt nebulæ: nigrantia cedunt
Nubila: prætenti cedit teres area mundi.
Nec tantum aërios visu transmittit hiatus
Spiritus: oppositos sed transit lumine montes,
Oceani fines, atque ultima littora Thulæ
Transadigit, volucresque oculos in Tartara mittit.
Nostris nempe omnes pereunt sub nocte colores
Visibus, et cæco delentur tempore formæ.
Numquid et exuti membris ac viscere perdunt
Agnitione notas rerum, vel gressibus errant?
Una animas semper facies habet, et color unus
Aëris, ut cuique est meritorum summa, sinistri
Seu dextri: alternas nec commutabile tempus
Convertit variatque vices: longum atque perenne est
Quidquid id est: unus volvit sua sæcula cursus.
Expertus dubitas animas percurrere visu
Abdita corporeis oculis; cum sæpe quietis

Rore soporatis cernat mens viva remotos
Distantesque locos: aciem per rura, per astra,
Per maria intendens : nec enim se segregat ipsa
Ante obitum vivis ex artubus, aut fugit exul
Sanguinis et carnis penetralia, seque medullis
Exuit, abductamve abigit de pectore vitam :
Viscera sed sede manens, speculatur acutis
Omnia luminibus : et qua circumtulit acrem
Naturæ levis intuitum, nullo obice rerum
Disclusa, ante oculos subjectum prospicit orbem,
Atque orbis sub mole situm sordens elementum.
Objacet interea tellus, nec visibus obstat.
Quin si stelligerum vultus convertat ad axem,
Nil intercurrens obtutibus, impedit ignem
Pervigilis animæ : quamvis densata graventur
Nubila, et opposito nigrescat vellere cœlum.
Sic arcana videt tacitis cooperta futuris,
Corporeus Joannis adhuc : nec carne solutus,
Munere sed somni, paulisper carne sequestra
Liber ad intuitum, sensuque oculisque peragrans
Ordine dispositos venturis solibus annos,
Procinctum videt angelicum, jam jamque cremandi
Orbis in excidium, raucos et percipit aure
Mugitus gravium mundi sub fine tubarum.
Hæc ille ante obitum, membrorum carcere septus,
Secedente anima, non discedente videbat.
Nonne magis flatus sine corpore cuncta notabit,
Corporis involucris tumulo frigente repostis ?
Certa fides, rapidos subterna nocte caminos,
Qui pollutam animam per sæcula longa perenni
Igne coquunt, oculis longum per inane remoti
Pauperis expositos : nec secius aurea dona
Justorum dirimente Chao, rutilasque coronas

Eminus ostendi pœnarum carcere mersis.
Hinc Paradisicolæ post ulcera dira beato
Proditur infelix, ululans in peste reatus,
Spiritus : inque vicem meritorum mutua cernunt.

PERORATIO POETÆ.

O Dee cunctiparens, animæ dator, ô Dee Christe,
Cujus ab ore Deus subsistit spiritus unus :
Te moderante regor, te vitam principe duco,
Judice te pallens trepido, te judice eodem
Spem capio, fore, quidquid ago, veniabile apud te,
Quamlibet indignum venia faciamque loquarque;
Confiteor, dimitte libens, et parce fatenti :
Omne malum merui; sed tu bonus arbiter aufer
Quod merui, meliora favens largire precanti.
Dona animæ quandoque meæ, cum corporis hujus
Liquerit hospitium, nervis. cute, sanguine, felle,
Ossibus extructum. corrupta quod incola luxu
Heu nimium complexa fovet : cum flebilis hora
Clauserit hos orbes, et conclamata jacebit
Materies, oculisque suis mens nuda fruetur :
Ne cernat truculentum aliquem de gente latronum,
Immitem, rabidum, vultuque et voce minaci
Terribilem; qui me maculosum aspergine morum
In præceps, ut prædo; trahat, nigrisque ruentem
Immergat specubus, cuncta exacturus, adusque
Quadrantem minimum, damnosæ debita vitæ.
Multa in thesauris patris est habitatio, Christe,
Disparibus discreta locis; non posco beata
In regione domum : sint illic casta virorum
Agmina, pulvereum quæ dedignantia censum

Divitias petiere tuas : sit flore perenni
Candida virginitas, animum castrata recisum.
At mihi Tartarei satis est si nulla ministri
Occurrat facies, avidæ nec flamma Gehennæ
Devoret hanc animam, mersam fornacibus imis.
Esto : cavernoso, quia sic pro labe necesse est
Corporea; tristis me sorbeat ignis Averno :
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, æstuque calor languente tepescat :
Lux immensa alios, et tempora vincta coronis
Glorificent; me pœna levis clementer adurat.

AURELII PRUDENTII
CLEMENTIS V. C.
IN PSYCHOMACHIAM
PRÆFATIO.

Senex fidelis, prima credendi via,
Abram, beati seminis serus pater:
Adjecta cujus nomen auxit syllaba,
Abram parenti dictus, Abraham Deo.
Senile pignus qui dicavit victimæ,
Docens, ad aram cum litare quis velit,
Quod dulce cordi, quod pium, quod unicum,
Deo libenter offerendum credito;
Pugnare nosmet cum profanis gentibus
Suasit, suumque suasor exemplum dedit:
Nec ante prolem conjugalem gignere
Deo placentem, matre virtute editam,
Quam strage multa bellicosus spiritus
Portenta cordis servientis vicerit.
Victum feroces forte reges ceperant
Loth, immorantem criminosis urbibus
Sodomæ et Gomorrhæ: quas fovebat advena
Pollens honore patruelis gloriæ.
Abram, sinistris excitatus nuntiis,
Audit propinquum sorte captum bellica
Servire duris barbarorum vinculis:

Armat trecentos terque senos vernulas,
Pergant ut hostis terga euntis cædere;
Quem gaza dives ac triumphus nobilis
Captis tenebant impeditum copiis.
Quin ipse ferrum stringit, et plenus Deo
Reges superbos mole prædarum graves
Pellit fugatos, sauciatos proterit,
Frangit catenas, et rapinam liberat:
Aurum, puellas, parvulos, monilia,
Greges equarum, vasa, vestem, buculas;
Loth ipse ruptis expeditus nexibus
Attrita baccis colla liber erigit.
  Abram triumphi dissipator hostici
Redit, recepta prole fratris inclitus,
Ne quam fidelis sanguinis prosapiam
Vis pessimorum possideret principum.
  Adhuc recentem cæde de tanta virum
Donat sacerdos ferculis cœlestibus:
Dei sacerdos, rex et idem præpotens,
Origo cujus fonte inenarrabili
Secreta, nullum prodit auctorem sui,
Melchisedech, qua stirpe, quis majoribus,
Ignotus, uni cognitus tantum Deo.
  Mox et triformis Angelorum trinitas
Senis revisit hospitis mapalia.
Et jam vietam Sarra in alvum fertilis
Munus juventæ mater exsanguis stupet,
Hærede gaudens, et cachinni pœnitens.
  Hæc ad figuram prænotata est linea,
Quam nostra recto vita resculpat pede:
Vigilandum in armis pectorum fidelium,
Omnemque nostri portionem corporis,
Quæ capta fœdæ serviat libidini,

Domi coactis liberandam viribus.
Nos esse large vernularum divites,
Si quid trecenti [1], bis novenis additis,
Possint, figura noverimus mystica.
Mox ipse Christus, qui sacerdos verus est,
Parente natus alto et ineffabili,
Cibum beatis offerens victoribus,
Parvam pudici cordis intrabit casam,
Monstrans honorem trinitatis hospitæ.
Animam deinde spiritus complexibus
Pie maritam, prolis expertem diu,
Faciet perenni fertilem de semine.
Tunc sera dotem possidens puerpera,
Hærede digno patris implebit domum.

SECT. I.

Christe, graves hominum semper miserate labores [2],
Qui patria virtute cluis propriaque, sed una:
Unum namque Deum colimus de nomine utroque:
Non tamen et solum, quia tu Deus ex patre, Christe.
Dissere rex noster, quo milite pellere culpas
Mens armata queat nostri de pectoris antro:
Exoritur quoties turbatis sensibus intus
Seditio, atque animam morborum rixa fatigat,
Quod tunc præsidium pro libertate tuenda,
Quæve acies furiis inter præcordia mixtis,

[1] Duo hæc carmina nihil aliud quam concilium Nicænum explicant, in quo auctoritate cccxviii episcoporum fides firmata fuit, omnesque hæreses destructæ.

[2] Æmulatus est Prudentius illud Virgilianum, Æneid. vi, vers. 56.
Phœbe, graves Trojæ semper miserate labores.

Obsistat meliore manu : nec enim, bone ductor,
Magnarum virtutum inopes, nervisque carentes
Christicolas vitiis populantibus exposuisti.
Ipse salutiferas obsesso in corpore turmas
Depugnare jubes : ipse excellentibus armas
Artibus ingenium, quibus ad ludibria cordis
Oppugnanda potens tibi dimicet, et tibi vincat.
Vincendi præsens ratio est, si cominus ipsas
Virtutum facies, et colluctantia contra
Viribus infestis liceat portenta notare.

FIDEI ET IDOLOLATRIÆ PUGNA.

SECT. II.

Prima petit campum dubia sub sorte duelli
Pugnatura Fides, agresti turbida cultu,
Nuda humeros, intonsa comas, exerta lacertos.
Namque repentinus laudis calor ad nova fervens
Prælia, nec telis meminit, nec tegmine cingi :
Pectore sed fidens valido, membrisque retectis
Provocat insani frangenda pericula belli.
  Ecce lacessentem collatis viribus audet
Prima ferire Fidem veterum cultura Deorum.
Illa hostile caput, phalerataque tempora vittis
Altior insurgens labefactat, et ora cruore
De pecudum satiata solo applicat, et pede calcat
Elisos in mortem oculos, animamque malignam
Fracta intercepti commercia gutturis arctant,
Difficilemque obitum suspiria longa fatigant.
Exultat victrix legio, quam mille coactam

Martyribus regina Fides animarat in hostem :
Tunc fortes saucios parta pro laude coronat
Floribus, ardentique jubet vestirier ostro.

PUDICITIÆ ET LIBIDINIS PUGNA.

SECT. III.

Exin gramineo in campo concurrere prompta
Virgo Pudicitia speciosis fulget in armis :
Quam patrias succincta faces Sodomita Libido
Aggreditur, piceamque ardenti sulphure pinum
Ingerit in faciem, pudibundaque lumina flammis
Appetit, et tetro tentat suffundere fumo :
Sed dextram furiæ flagrantis, et ignea diræ
Tela lupæ saxo ferit imperterrita virgo,
Excussasque sacro tædas depellit ab ore.
Tunc exarmatæ jugulum meretricis adacto
Transfigit gladio, calidos vomit illa vapores,
Sanguine concretos cœnoso : spiritus inde
Sordidus exhalans vicinas polluit auras.
Hoc habet [1], exclamat victrix regina : Supremus
Hic tibi finis erit : semper prostrata jacebis :
Nec jam mortiferas audebis spargere flammas
In famulos famulasve Dei : quibus intima casti
Vena animi sola fervet de lampade Christi.
Tene, o vexatrix hominum, potuisse resumptis

[1] Virgilius sic habet, Æneid. XII, vers. 295.

Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur :
Hoc habet, hæc melior magnis data victima divis.

Vox illa est e gladiatoriis ludis repetita, ubi victor vulnerato a se adversario sic insultabat.

Viribus extincti capitis recalescere flatu?
Assyrium postquam thalamum cervix Holophernis
Cæsa, cupidineo madefactum sanguine lavit,
Gemmantemque thorum mœchi ducis aspera Judith
Sprevit, et incestos compescuit ense furores:
Famosum mulier referens ex hoste tropæum,
Non trepidante manu vindex mea cœlitus audax,
  At fortasse parum fortis matrona sub umbra
Legis adhuc pugnans, dum tempora nostra figurat,
Vera quibus virtus terrena in corpora fluxit,
Grande per infirmos caput excisura ministros.
Numquid et intactæ post partum virginis ullum
Fas tibi jam superest? post partum virginis, ex quo
Corporis humani naturam pristina origo
Deseruit, carnemque novam vis ardua sevit,
Atque innupta Deum concepit fœmina Christum,
Mortali de matre hominem, sed cum patre Numen.
Inde omnis jam diva caro est, quæ concipit illum,
Naturamque Dei consorti fœdere sumit:
Verbum quippe caro factum, non destitit esse,
Quod fuerat, Verbum, carnis dum glutinat usum,
Majestate quidem non degenerante per usum
Carnis, sed miseros ad nobiliora trahente.
Ille manet quod semper erat, quod non erat esse
Incipiens; nos, quod fuimus, jam non sumus, aucti
Nascendo in melius: mihi contulit, et sibi mansit.
Nec Deus ex nostris minuit sua: sed sua nostris
Dum tribuit, nosmet dona ad cœlestia vexit.
Dona hæc sunt, quod victa jaces, lutulenta Libido,
Nec mea post Mariam potis es perfringere jura.
Tu princeps ad mortis iter, tu janua lethi
Corpora cummaculans, animas in Tartara mergis.
Abde caput tristi jam frigida pestis abysso:

Occide prostibulum : manes pete, claudere Averno,
Inque tenebrosum noctis detrudere fundum.
Te volvant subter vada flammea, te vada nigra,
Sulphureusque rotet per stagna sonantia vortex.
Nec jam Christicolas, furiarum maxima, tentes :
Ut purgata suo serventur corpora regi.

Dixerat hæc, et læta Libidinis interfectæ
Morte Pudicitia gladium Jordanis in undis
Abluit infectum : sanies cui rore rubenti
Hæserat, et nitidum macularat vulnere ferrum,
Expiat ergo aciem fluviali docta lavacro
Vitricem victrix, abolens baptismate labem
Hostilis juguli : nec jam contenta piatum
Condere vaginæ gladium, ne tecta rubigo
Occupet ablutum scabrosa sorde nitorem,
Catholico in templo divini fontis ad aram
Consecrat, æterna splendens ubi luce coruscet.

PATIENTIÆ ET IRÆ CONGRESSUS.

SECT. IV.

Ecce modesta gravi stabat Patientia vultu,
Per medias immota acies variosque tumultus,
Vulneraque et rigidis vitalia pervia pilis
Spectabat defixa oculos, et lenta manebat.
Hanc procul Ira tumens spumanti fervida rictu,
Sanguinea intorquens suffuso lumina felle,
Ut belli exsortem, teloque et voce lacessit,
Impatiensque moræ conto petit, increpat ore,
Hirsutas quatiens galeato in vertice cristas.
En tibi Martis, ait, spectatrix libera nostri,

Excipe mortiferum securo pectore ferrum :
Nec doleas, quia turpe tibi gemuisse dolorem.
Sic ait, et stridens sequitur convicia pinus
Per teneros crispata Notos, et certa sub ipsum
Defertur stomachum, rectoque illiditur ictu :
Sed resilit duro loricæ excussa repulsu,
Provida nam Virtus conserto adamante trilicem
Induerat thauraca humeris, squamosaque ferri
Texta per intortos commiserat undique nervos
Inde quieta manet Patientia, fortis ad omnes
Telorum nimbos, et non penetrabile durans.
Nec mota est jaculo monstri sine more furentis,
Opperiens propriis perituram viribus Iram.
Scilicet indomitos postquam stomachando lacertos
Barbara bellatrix inpenderat; et jaculorum
Nube supervacuam lassaverat irrita dextram,
Cum ventosa levi cecidissent tela volatu,
Jactibus et vacuis hastilia fracta jacerent :
Vertitur ad capulum manus improba, et ense corusco
Connixa in plagam, dextra sublimis ab aure
Erigitur, mediumque ferit librata cerebrum.
Ærea sed cassis cocto formata metallo
Tinnitum percussa refert, aciemque retundit
Dura resultantem : frangit quoque vena rebellis
Illisum chalybem, dum cedere nescia cassos,
Excipit assultus, ferienti et tuta resistit.
Ira, ubi truncati mucronis fragmina vidit,
Et procul in partes ensem crepuisse minutas,
Jam capulum retinente manu sine pondere ferri,
Mentis inops, ebur infelix, decorisque pudendi
Perfida signa abicit, monumentaque tristia longe
Spernit, et ad proprium succenditur effera lethum.
Missile de multis, quæ frustra sparserat, unum

Pulvere de campi perversos sumit in usus :
Rasile fugit humi lignum, ac se cuspida versa
Perfodit, et calido pulmonem vulnere transit.
Quam super assistens Patientia : Vicimus, inquit
Exultans, vitium, solita virtute, sine ullo
Sanguinis ac vitæ discrimine : lex habet istud
Nostra genus belli, Furias omnemque malorum
Militiam, et rabidas tolerando extinguere vires.
Ipsa sibi est hostis vesania, seque furendo
Interimit, moriturque suis Ira ignea telis.
Hæc effata secat medias impune cohortes
Egregio comitata viro : nam proximus Job
Hæserat invictæ dura inter bella magistræ,
Fronte severus adhuc, et multo vulnere anhelus :
Sed jam clausa truci subridens ulcera vultu,
Perque cicatricum numerum sudata recensens
Millia pugnarum, sua præmia, dedecus hostis.
Illum Diva jubet tandem requiescere ab omni
Armorum strepitu, captis et perdita quæque
Multiplicare opibus, nec jam peritura referre.
Ipsa globos legionum et concurrentia rumpit
Agmina, vulniferos gradiens intacta per imbres,
Omnibus una comes virtutibus associatur,
Auxiliumque suum fortis Patientia miscet.
Nulla anceps luctamen init virtute sine ista
Virtus : et vidua est, quam non Patientia firmat.

SUPERBIÆ ET HUMILITATIS PUGNA.

SECT. V.

Forte per effusas inflata Superbia turmas,
Effreni volitabat equo, quem pelle leonis

Texerat, et validos villis oneraverat armos:
Quo se fulta jubis jactantius illa ferinis
Inferret, tumido despectans agmina fastu.
Turritum tortis caput accumularat in altum
Crinibus, extructos augeret ut addita cirros
Congeries, celsumque apicem frons ardua ferret.
Carbasea ex humeris summo collecta coibat
Palla sinu, teretem nectens a pectore nodum.
A cervice fluens tenui velamine limbus
Concipit ingestas texis turgentibus auras.
Nec minus instabili sonipes feritate superbit,
Impatiens madidis frenarier ora lupatis.
Huc illuc frendens obvertit terga, negata
Libertate fugæ, pressisque tumescit habenis.
Hoc sese ostentans habitu ventosa virago,
Inter utramque aciem supereminet, et phaleratum
Circumflectit equum, vultuque et voce minatur,
Adversum spectans cuneum: quem milite raro,
Et paupertinis ad bella coëgerat armis
Mens humilis: regina quidem, sed egens alieni
Auxilii, proprio nec sat confisa paratu.
Spem sibi collegam conjunxerat, edita cujus
Et suspensa ab humo est Opulentia divite regno.
Ergo humilem postquam malesana Superbia mentem
Vilibus instructam nullo ostentamine telis
Aspicit, in vocem dictis se effundit amaris:
Non pudet, o miseri, plebeio milite claros
Attentare duces, ferroque lacessere gentem
Insignem titulis: veteres cui bellica virtus
Divitias peperit, lætos et gramine colles
Imperio calcare dedit? nunc advena nudus
Nititur antiquos, si fas est, pellere reges.
En, qui nostra suis in prædam cedere dextris

Sceptra volunt! en, qui nostras sulcare novales,
Arvaque capta manu popularier hospite aratro
Contendunt; duros et pellere Marte colonos!
Nempe, o ridiculum vulgus, natalibus horis
Totum hominem et calidos a matre amplectimur artus,
Vimque potestatum per membra recentis alumni
Spargimus, et rudibus dominatur in ossibus omnes.
Quis locus in nostra tunc vobis sede dabatur,
Congenitis cum regna simul ditionibus æquo
Robore crescebant? nati nam luce sub una
Et domus et domini paribus adolevimus annis.
Ex quo plasma novum, de consepto paradisi
Limite progrediens amplum transfugit in orbem,
Pellitosque habitus sumpsit venerabilis Adam;
Nudus adhuc, ni nostra foret præcepta secutus.
Quisnam iste ignotis nunc hostis surgit ab oris
Importunus, iners, infelix, degener, amens:
Qui sibi tam serum jus vindicat, hactenus exul?
Nimirum vacuæ credentur frivola famæ,
Quæ miseros optare jubet quandoque futuri
Spem fortasse boni, lenta ut solatia mollem
Desidiam pigro rerum meditamine palpent.
Quid ni illos spes palpet iners, quos pulvere in isto
Tirones Bellona truci non excitat ære,
Imbellesque animos virtus tepefacta resolvit?
Anne Pudicitiæ gelidum jecur utile bello est?
An tenerum Pietatis opus sudatur in armis?
Quam pudet, o Mavors, et virtus conscia, talem
Contra stare aciem, ferroque lacessere nugas,
Et cum virgineis dextram conferre choreis:
Justitia est ubi semper egens, et pauper Honestas:
Arida Sobrietas, albo Jejunia vultu,
Sanguine vix tenui Pudor interfusus, aperta

Simplicitas, et ad omne patens sine tegmine vulnus,
Et prostrata in humum, nec libera judice sese
Mens humilis, quam degenerem trepidatio prodit.
Faxo ego, sub pedibus stipularum more teratur
Invalida ista manus : neque enim perfringere duris
Dignamur gladiis, algenti et sanguine ferrum
Imbuere, fragilique viros fœdare triumpho.
Talia vociferans rapidum calcaribus urget
Cornipedem, laxisque volat temeraria frenis,
Hostem humilem cupiens impulsu umbonis equini
Sternere, dejectamque supercalcare ruinam.
Sed cadit in foveam præceps, quam callida forte
Fraus interciso suffoderat æquore furtim :
Fraus detestandis vitiorum e pestibus una,
Fallendi versuta opifex, quæ præscia belli
Planitiem scrobibus vitiaverat insidiosis,
Hostili de parte latens, ut fossa ruentes
Exciperet cuneos, atque agmina mersa voraret.
Ac ne fallacem puteum deprendere posset
Cauta acies, virgis adopertas texerat oras,
Et superimposito simularat cespite campum.
At regina humilis, quamvis ignara manebat
Ulteriore loco, nec adhuc ad fraudis opertum
Venerat, aut foveæ calcarat furta malignæ
Hunc eques illa dolum, dum fertur præpete cursu,
Incidit, et cæcum subito patefecit hiatum :
Prona ruentis equi cervice involvitur, ac sub
Pectoris impressu fracta inter crura rotatur.
At virtus placidi moderaminis, ut levitatem
Prospicit obtritam monstri sub morte jacentis,
Intendit gressum mediocriter, os quoque parce
Erigit, et comi moderatur gaudia vultu.
Cunctanti spes fida comes succurrit, et offert

Ultorem gladium, laudisque inspirat amorem.
Illa cruentatam correptis crinibus hostem
Protrahit, et faciem læva revocante supinat.
Tunc caput orantis flexa cervice resectum
Eripit, ac madido suspendit colla capillo.
Extinctum vitium sancto spes increpat ore :
Desine grande loqui : frangit Deus omne superbum,
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Disce supercilium deponere, disce cavere
Ante pedes foveam, quisquis sublime minaris.
Pervulgata viget nostri sententia Christi :
Scandere celsa humiles, et ad ima redire feroces.
Vidimus horrendum membris animisque Golian
Invalida cecidisse manu : puerilis in illum
Dextera fundali torsit stridore lapillum,
Trajectamque cavo penetravit vulnere frontem.
Ille minax, rigidus, jactans, truculentus, amarus,
Dum tumet indomitum, dum formidabile fervet,
Dum sese ostentat clypeo, dum territat auras,
Expertus pueri quid possint ludicra parvi,
Succubuit teneris bellator turbidus annis.
Me tunc ille puer virtutis pube secutus,
Florentes animos sursum in mea regna tetendit,
Servatur qua certa mihi domus omnipotentis
Sub pedibus Domini, meque ad sublime vocantem
Victores cæsa culparum labe capessunt.
Dixit, et auratis præstringens aëra pennis,
In cœlum se virgo rapit : mirantur euntem
Virtutes, tolluntque animos in vota, volentes
Ire simul, ni bella duces terrena retardent.
Confligunt vitiis, seque ad sua præmia servant.

LUXURIÆ ET SOBRIETATIS PUGNA.

SECT. VI.

Venerat occiduis mundi de finibus hostis
Luxuria, extinctæ jam dudum prodiga famæ,
Delibuta comas, oculos vaga, languida vocem,
Perdita deliciis: vitæ cui causa voluptas,
Elumbem mollire animum, petulanter amœnas
Haurire illecebras, et fractos solvere sensus.
Ac tunc pervigilem ructabat marcida cœnam.
Sub lucem quia forte jacens ad fercula raucos
Audierat lituos, atque inde tepentia linquens.
Pocula, lapsanti per vina et balsama gressu,
Ebria calcatis ad bellum floribus ibat.
Non tamen illa pedes, sed curru invecta venusto
Saucia mirantum capiebat corda virorum.
O nova pugnandi species! non ales arundo
Nervo pulsa fugit, nec stridula lancea torto
Emicat amento, frameam nec dextra minatur:
Sed violas lasciva jacit, foliisque rosarum
Dimicat, et calathos inimica per agmina fundit.
Inde, eblanditis virtutibus, halitus illex
Inspirat tenerum labefacta per ossa venenum,
Et male dulcis odor domat ora, et pectora, et arma,
Ferratosque toros obliso robore mulcet.
Dejiciunt animos, ceu victi, et spicula ponunt
Turpiter: heu, dextris languentibus obstupefacti;
Dum currum varia gemmarum luce micantem
Mirantur, dum bracteolis crepitantia lora,
Et solido ex auro pretiosi ponderis axem
Defixis inhiant obtutibus, et radiorum
Argento albentem seriem; quam summa rotarum

Flexura electri pallentis continet orbe.
Et jam cuncta acies in deditionis amorem
Sponte sua versis transibat perfida signis,
Luxuriæ servire volens, dominæque fluentis
Jura pati, et laxa ganearum lege teneri.
 Ingemuit tam triste nefas fortissima virtus,
Sobrietas, dextro socios decedere cornu,
Invictamque manum quondam sine cæde perire.
Vexillum sublime Crucis, quod in agmine primo
Dux bona prætulerat, defixa cuspide sistit,
Instauratque levem dictis mordacibus alam,
Extimulans animos, nunc probris, nunc prece mixta:
Quis furor insanas agitat caligine mentes?
Quo ruitis? cui colla datis? quæ vincula tandem,
Proh pudor! armigeris amor est perferre lacertis;
Lilia luteolis interlucentia sertis,
Et ferrugineo vernantes flore coronas?
His placet assuetas bello jam tradere palmas
Nexibus? his rigidas nodis innectier ulnas?
Ut mitra cæsariem cohibens aurata virilem
Combibat infusum croceo religamine nardum.
Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
Unguentum regale datum est, et chrisma perenne:
Ut tener incessus vestigia syrmate verrat,
Sericaque in fractis fluitent ut pallia membris,
Post immortalem tunicam, quam pollice docto
Texuit alma Fides, dans impenetrabile tegmen
Pectoribus lotis, dederat quibus ipsa renasci.
Inde ad nocturnas epulas, ubi cantharus ingens
Despuit effusi spumantia damna Falerni,
In mensam cyathis stillantibus; uda ubi multo
Fulcra mero, veterique toreumata rore rigantur.
Excidit ergo animis eremi sitis, excidit ille

Fons patribus de rupe datus, quem mystica virga
Elicuit, scissi salientem vertice saxi?
Angelicusve cibus prima in tentoria vestris
Fluxit avis, quem nunc sero felicior ævo
Vespertinus edit populus de corpore Christi?
His vos imbutos dapibus jam crapula turpis
Luxuriæ ad madidum rapit importuna lupanar?
Quosque viros non ira fremens, non idola bello
Cedere compulerant, saltatrix ebria flexit?
State, precor, vestri memores, memores quoque Christi,
Quæ sit vestra tribus, quæ gloria, quis Deus et rex,
Quis Dominus, meminisse decet. Vos nobile Judæ
Germen ad usque Dei genitricem, qua Deus ipse
Esset homo, procerum venistis sanguine longo.
Excitet egregias mentes celeberrima David
Gloria, continuis bellorum exercita curis.
Excitet et Samuel, spolium qui divite ab hoste
Attrectare vetat: nec victum vivere regem
Incircumcisum patitur; ne præda superstes
Victorem placidum recidiva in prælia poscat,
Parcere jam capto crimen putat ille tyranno:
At vobis contra vinci et succumbere votum est.
Pœniteat, per si qua movet reverentia summi
Numinis[1], hoc tam dulce malum voluisse nefanda
Proditione sequi, si pœnitet, haud nocet error.
Pœnituit Jonathan jejunia sobria dulci
Conviolasse favo sceptri, mellisque sapore
Heu male gustato, regni dum blanda voluptas
Oblectat juvenem, jurataque sacra resolvit.

[1] Sic habet Virgilius Æneid. lib. II, vers. 141 et seqq.

Quod te, per superos et conscia numina veri;
Per si qua est quæ restat adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro.

Sed quia pœnituit; nec sors lacrymabilis illa est,
Nec tinxit patrias sententia sæva secures.
En ego Sobrietas, si conspirare paratis,
Pando viam cunctis virtutibus, ut malesuada
Luxuries, multo stipata satellite, pœnas
Cum legione sua Christo sub judice pendat.
Sic effata, crucem Domini ferventibus offert
Obvia quadrijugis, lignum venerabile in ipsos
Intentans frenos: quod ut expavere feroces
Cornibus oppansis et summa fronte coruscum,
Vertunt præcipitem cæca formidine fusi
Per prærupta fugam: fertur resupina reductis
Nequidquam loris auriga, comamque madentem
Pulvere fœdat, humi; tunc et vertigo rotarum
Implicat excussam dominam: nam prona sub axem
Labitur, et lacero tardat sufflamine currum.
Addit Sobrietas vulnus lethale jacenti,
Conjiciens silicem rupis de parte molarem.
Hunc vexilliferæ, quoniam fors obtulit, ictum
Spicula nulla manu, sed belli insigne gerenti,
Casus agit saxum, medii spiramen ut oris
Frangeret, et recavo misceret labra palato.
Dentibus introrsum resolutis, lingua resectam
Dilaniata gulam frustis cum sanguinis implet.
Insolutis dapibus crudescit guttur, et ossa
Colliquefacta vorans revomit, quas hauserat, offas.
Ebibe jam proprium post pocula multa cruorem,
Virgo ait increpitans: sint hæc tibi fercula tandem
Tristia præteriti nimiis pro dulcibus ævi.
Lascivas vitæ illecebras gustatus amaræ
Mortis, et horrifico sapor ultimus asperat haustu.
Cæde ducis dispersa fugit trepidante pavore
Nugatrix acies; Jocus et Petulantia primi

Cymbala projiciunt : bellum nam talibus armis
Ludebant, resono meditantes vulnera sistro.
Dat tergum fugitivus Amor : lita tela veneno,
Et lapsum ex humeris arcum, pharetramque cadentem
Pallidus ipse metu sua post vestigia linquit.
Pompa ostentatrix vani splendoris inani
Exuitur nudata peplo : discissa trahuntur
Serta venustatis, collique ac verticis aurum
Solvitur, et gemmas Discordia dissona turbat.
Non piget attritis pedibus per acuta fruteta
Ire voluptatem : quoniam vis major acerbam
Compellit tolerare fugam : formido pericli
Prædurat teneras iter ad cruciabile plantas.
Qua se cumque fugax trepidis fert cursibus agmen,
Damna jacent, crinalis acus, redimicula, vittæ,
Fibula, flammeolum, strophium, diadema, monile.
His se Sobrietas, et totus Sobrietatis
Abstinet exuviis miles, damnataque castis
Scandala proculcat pedibus, nec fronte severos
Connivente oculos prædarum ad gaudia flectit.

AVARITIÆ ET LARGITATIS PUGNA.

SECT. VII.

Fertur Avaritia gremio præcincta capaci,
Quidquid luxus edax pretiosum liquerat, unca
Corripuisse manu, pulchra in ludibria vasto
Ore inhians, aurique legens fragmenta caduci
Inter arenarum cumulos : nec sufficit amplos
Implevisse sinus, juvat infarcire crumenis
Turpe lucrum, et gravidos furtis distendere fiscos;

Quos læva celante tegit, laterisque sinistri
Velat opermento : velox nam dextra rapinas
Abradit, spoliisque ungues exercet ahenos.
Cura, fames, metus, anxietas, perjuria, pallor,
Corruptela, dolus, commenta, insomnia, sordes,
Eumenides variæ monstri comitatus aguntur.
Nec minus interea rabidorum more luporum
Crimina persultant toto grassantia campo,
Matris Avaritiæ nigro de lacte creata.
Si fratris galeam fulvis radiare ceraunis
Germanus vidit commilito; non timet ensem
exerere, atque caput socio mucrone ferire,
De consanguineo rapturus vertice gemmas.
Filius extinctum belli sub sorte cadaver
Aspexit si forte patris, fulgentia bullis
Cingula, et exuvias gaudet rapuisse cruentas :
Cognatam civilis agit discordia prædam,
Nec parcit propriis amor insatiatus habendi
pignoribus, spoliatque suos fames impia natos.
Talia per populos edebat funera victrix
Orbis Avaritia, sternens centena virorum
Millia vulneribus variis : hunc lumine adempto,
Effossisque oculis velut in caligine noctis
Cæcum errare sinit, perque offensacula multa
Ire, nec oppositum baculo tentare periclum.
Porro alium capit intuitu, fallitque videntem,
Insigne ostentans aliquid, quod dum petit ille,
Excipitur telo incautus, cordisque sub ipso
Saucius occulto ferrum suspirat adactum.
Multos præcipitans in aperta incendia cogit,
Nec patitur vitare focos, quibus æstuat aurum,
Quod petit arsurus pariter speculator avarus.
Omne hominum rapit illa genus, mortalia cuncta

Occupat interitu : neque est violentius ullum
Terrarum vitium, quod tantis cladibus ævum
Mundani involvat populi, damnetque Gehennæ.
Quin ipsos tentare manu, si credere dignum est,
Ausa sacerdotes Domini, qui prælia forte
Ductores primam ante aciem pro laude gerebant
Virtutum, magnoque implebant classica flatu.
Et fors innocuo tinxisset sanguine ferrum,
Ni Ratio armipotens, gentis Levitidis una
Semper fida comes, clypeum objectasset, et atræ
Hostis ab incursu claros texisset alumnos.
Stant tuti Rationis ope, stant turbine ab omni
Immunes, fortesque animi : vix in cute summa
Præstringens paucos tenui de vulnere lædit
Cuspis Avaritiæ; stupuit lues improba castis
Heroum jugulis longe sua tela repelli :
Ingemit, et dictis ardens furialibus infit :
Vincimur, heu ! segnes, nec nostr potentia perfert
Vim solitam; languet violentia sæva nocendi,
Sueverat invictis quæ viribus omnia ubique
Rumpere corda hominum : nec enim tam ferrea quemquam
Formavit natura virum, cujus rigor æra
Sperneret, aut nostro foret impenetrabilis auro.
Ingenium omne neci dedimus : tenera, aspera, dura,
docta, indocta simul, bruta et sapientia, necnon
Casta, incesta meæ patuerunt pectora dextræ.
Sola igitur rapui quidquid Styx abdit avaris
Gurgitibus; nobis ditissima Tartara debent,
Quos retinent, populos; quod volvunt sæcula, nostrum est :
Quod miscet mundus vesana negotia, nostrum.
Quî fit, prævalidas quod pollens gloria vires
Deserit, et cassos ludit fortuna lacertos ?
Sordet Christicolis rutilantis fulva monetæ

Effigies; sordent argenti emblemata : et omnis
Thesaurus nigrante oculis vilescit honore.
Quid sibi docta volunt fastidia? nonne triumphum
Egimus e Scarioth? magnus qui discipulorum,
Et conviva Dei, dum fallit fœdere mensæ
Haudquaquam ignarum, dextramque paropside jungit,
Incidit in nostrum flammante cupidine telum,
Infamem mercatus agrum de sanguine amici
Numinis, obliso luiturus jugera collo.
Viderat et Jericho propria inter funera, quantum
Posset nostra manus, cum victor concidit Achar,
Cædibus insignis, murali et strage superbus,
Succubuit capto victis ex hostibus auro :
Dum vetitis insigne legens anathema favillis,
Mœsta ruinarum spolia insatiabilis haurit.
Non illum generosa tribus, non plebis avitæ
Juvit Juda parens, Christo quandoque propinquo
Nobilis, et tali felix patriarcha nepote.
Quis placet exemplum generis, placeat quoque forma
Exitii : sit pœna eadem, quibus et genus unum est.
Quid moror aut Judæ populares, aut populares
Sacricolæ summi (summus nam fertur Aaron)
Fallere fraude aliqua, Martis congressibus impar?
Nil refert, armis contingat palma dolisve.
Dixerat, et torvam faciem furialiaque arma
Exuit, inque habitum sese transformat honestum.
Fit Virtus specie vultuque et veste severa :
Quam memorant frugi, parce cui vivere cordi est,
Et servare suum; tanquam nil raptet avare,
Artis adumbratæ meruit, ceu sedula, laudem,
Hujus se specie mendax Bellona coaptat;
Non ut avara lues, sed virtus parca putetur :
Necnon et tenero pietatis tegmine crines

Obtegit anguinos, ut candida palla latentem
Dissimulet rabiem, diroque obtenta furori,
Quod rapere et clepere est, avideque abscondere parta,
Natorum curam dulci sub nomine jactet.
  Talibus illudens, male credula corda virorum
Fallit imaginibus, monstrumque ferale sequuntur;
Dum credunt virtutis opus, capit impia Erinnys
Consensu faciles, manicisque tenacibus arctat.
Attonitis ducibus, perturbatisque maniplis,
Nutabat virtutum acies errore biformis
Portenti, ignorans, quid amicum credat in illo,
Quidve hostile notet, lethum versatile et anceps
Lubricat incertos dubia sub imagine visus.
Cum subito in medium frendens Operatio campum
Prosilit auxilio sociis, pugnamque capessit
Militiæ postrema gradu, sed sola duello
Impositura manum, ne quid jam triste supersit.
Omne onus ex humeris rejecerat; omnibus ibat
Nudata induviis; multo et se fasce levarat:
Olim divitiis gravibusque oppressa talentis,
Libera nunc miserando inopum, quos larga benigne
Foverat, effundens patrium bene prodiga censum.
Jam loculos ditata Fide spectabat inanes.
Æternam numerans redituro fenore summam.
  Horruit invictæ Virtutis fulmen, et impos
Mentis Avaritia stupefactis sensibus hæsit,
Certa mori: nam quæ fraudis via restet, ut ipsa
Calcatrix mundi mundanis victa fatiscat
Illecebris, spretoque iterum sese implicet auro?
Invadit trepidam Virtus fortissima duris
Ulnarum nodis: obliso et gutture frangit
Exsanguem siccamque gulam: compressa ligantur
Vincla lacertorum sub mentum, et faucibus arctis

Extorquent animam, nullo quæ vulnere rapta
Palpitat, atque aditu spiraminis intercepto
Inclusam patitur venarum carcere mortem.
Illa reluctanti genibusque et calcibus instans
Perfodit et costas, atque ilia rumpit anhela :
Mox spolia extincto de corpore diripit, auri
Sordida frustra rudis, nec adhuc fornace recoctam
Materiem : tineis etiam marsupia crebris
Excsa, et virides obducta ærugine nummos
Dispergit servata diu, victrix et egenis
Dissipat, ac tenues captivo munere donat.
Tunc circumfusam vultu exultante coronam
Respiciens, alacris media inter millia clamat.
Solvite procinctum, justi, et discedite ab armis;
Causa mali tanti jacet interfecta : lucrandi
Ingluvie pereunte licet requiescere sanctis.
Summa quies, nil velle super, quam postulet usus
Debitus, ut simplex alimonia, vestis et una
Infirmos tegat ac recreet mediocriter artus;
Expletumque modum naturæ non trahat extra.
Ingressurus iter peram ne tollito, neve
De tunicæ alterius gestamine providus ito :
Nec te sollicitet res crastina; ne cibus alvo
Defuerit : redeunt escæ cum sole diurnæ.
Nonne vides ut nulla avium cras cogitet? ac se
Pascendam, præstante Deo, non anxia credat?
Confidunt volucres victum non defore viles,
Passeribusque subest modico venalibus asse
Indubitata fides, Dominum curare potentem,
Ne pereant : tu cura Dei, facies quoque Christi,
Addubitas, ne te tuus unquam deserat auctor?
Ne trepidate homines : vitæ dator, et dator escæ est.
Quærite luciferum cœlesti dogmate pastum,

Qui spem multiplicans alat inviolabilis ævi,
Corporis immemores : memor est, qui condidit illud,
Suppeditare cibos, atque indiga membra fovere.
His dictis curæ emotæ, metus, et labor, et vis,
Et scelus, et placitæ Fidei fraus inficiatrix
Depulsæ vertere solum. Pax inde fugatis
Hostibus alma abigit bellum, discingitur omnis
Terror, et avulsis exfibulat ilia zonis.
Vestis ad usque pedes descendens defluit imos,
Temperat et rapidum privata modestia gressum;
Cornicinum curva æra silent; placabilis implet
Vaginam gladius; sedato et pulvere campi
Suda redit facies liquidæ sine nube diei :
Purpuream videas cœli clarescere lucem.
Agmina casta super vultum sensere Tonantis
Arridere hilares pulso certamine turmæ,
Et Christum gaudere suis victoribus, arcem
Ætheris, ac patrium famulis aperire profundum.
Dat signum felix Concordia, reddere castris
Victrices aquilas, atque in tentoria cogi.
Nunquam tanta fuit species, nec par decus ulli
Militiæ, cum dispositis bifida agmina longe
Duceret ordinibus, peditum psallente caterva;
Ast alia de parte equitum resonantibus hymnis.
Non aliter cecinit respectans victor hiantem
Israël rabiem ponti post terga minacis,
Cum jam progrediens calcaret littora sicco
Ulteriora pede, stridensque per extima calcis
Mons rueret pendentis aquæ, nigrosque relapso
Gurgite Niilicolas fundo deprenderet imo,
Ac refluente sinu jam redderet unda natatum
Piscibus, et nudas præceps operiret arenas.
Pulsavit resono modulantia tympana plectro

Turba Dei, celebrans mirum ac memorabile sæclis
Omnipotentis opus, liquidas inter freta ripas
Fluctibus incisis et subsistente procella
Crescere, suspensosque globos potuisse teneri.
Sic expugnata vitiorum gente; resultant
Mystica dulcimodis virtutum carmina psalmis.
Ventum erat ad fauces portæ castrensis, ubi arctum
Liminis introitum bifori dant cardine claustra.
Nascitur hic inopina mali lacymabilis astu
Tempestas, placidæ turbatrix invida Pacis,
Quæ tantum subita vexaret clade triumphum.

CONCORDIÆ ET DISCORDIÆ PUGNA.

SECT. VIII.

Inter confertos cuneos Concordia forte,
Dum stipata pedem jam tutis mœnibus infert,
Excipit occultum vitii latitantis ab ictu
Mucronem lævo in latere, squalentia quamvis
Sexta catenato ferri subtemine corpus
Ambirent, sutis et acumen vulneris hamis
Respuerent, rigidis nec fila tenacia nodis
Impactum sinerent penetrare in viscera telum.
Rara tamen chalybem tenui transmittere puncto
Commissura dedit, qua sese extrema politæ
Squama ligat tunicæ, sinus et sibi conserit oras.
Intulit hoc vulnus pugnatrix subdola victæ
Partis, et incautis victoribus insidiata est.
Nam, pulsa culparum acie, Discordia nostros
Intrarat cuneos, sociam mentita figuram.
Scissa procul palla, structum et serpente flagellum

Multiplici, media camporum in strage jacebant.
Ipsa redimitos olea frondente capillos
Ostentans, festis respondet læta choreis.
Sed sicam sub veste legit, te, maxima virtus,
Te solam tanto e numero, Concordia, tristi
Fraude petens; sed non vitalia rumpere sacri
Corporis est licitum : summo tenus extima tactu
Læsa cutis tenuem signavit sanguine rivum.
Exclamat Virtus subito turbata : Quid hoc est?
Quæ manus hic inimica latet? quæ prospera nostra
Vulnerat, et ferrum tanta inter gaudia vibrat?
Quid juvat indomitos bello sedasse furores,
Et sanctum vitiis pereuntibus omne receptum,
Si Virtus sub pace cadit? Trepida agmina mœstos
Convertere oculos : stillabat vulneris index
Ferrata de veste cruor, mox et pavor hostem
Cominus astantem prodit : nam pallor in ore,
Conscius audacis facti, dat signa reatus :
Et deprensa tremunt languens manus et color albens.
Circumstat propere strictis mucronibus omnis
Virtutum legio, exquirens fervente tumultu
Et genus et nomen, patriam, sectamque, Deumque
Quem colat, et missu cujatis venerit; illa
Exsanguis, turbante metu : Discordia dicor,
Cognomento Hæresis; Deus est mihi discolor, inquit,
Nunc minor, aut major : modo duplex, et modo simplex :
Cum placet, aërius, et de phantasmate visus,
Aut innata anima est : quoties volo ludere Numen,
Præceptor Belia mihi; domus et plaga mundus.
Non tulit ulterius capti blasphemia monstri
Virtutum regina Fides : sed verba loquentis
Impedit, et vocis claudit spiramina pilo,
Pollutam rigida transfigens cuspide linguam.

Carpitur innumeris feralis bestia dextris :
Frustatim sibi quisque rapit quod spargat in auras,
Quod canibus donet, corvis quod edacibus ultro
Offerat, immundis cœno exhalante cloacis
Quod tradat, monstris quod mandet habere marinis.
Discissum fœdis animalibus omne cadaver
Dividitur : ruptis Hæresis perit horrida membris.
Compositis igitur rerum morumque secundis
In commune bonis, postquam intra tuta morari
Contigit, ac statione frui, valloque foveri
Pacificos sensus, et in otia solvere curas ;
Extruitur media castrorum sede tribunal
Editiore loco, tumulus quem vertice acuto
Excitat in speculam : subjecta unde omnia late
Liber inoffenso circuminspicit aëre visus.
Hunc sincera Fides, simul et Concordia, sacro
Fœdere juratæ Christi sub amore sorores,
Conscendunt apicem : mox et sublime tribunal
Par sanctum charumque sibi supereminet æquo
Jure potestatis : consistunt aggere summo
Conspicuæ, populosque jubent astare frequentes.
Concurrunt alacres castris ex omnibus omnes,
Nulla latet pars mentis iners, quæ corporis ullo
Intercepta sinu per conceptacula sese
Degeneri languore tegat : tentoria apertis
Cuncta patent velis : reserantur carbasa, ne quis
Marceat obscuro stertens habitator operto.
Auribus intentis expectat concio, quidnam
Victores post bella vocet Concordia princeps,
Quam velit atque Fides virtutibus addere legem.
Erumpit prima in vocem Concordia, tali
Alloquio : Cumulata quidem jam gloria vobis,
O patris, o Domini fidissima pignora Christi,

Contigit : extincta est multo certamine sæva
Barbaries, sanctæ quæ circumsepserat urbis
Indigenas, ferroque viros flammaque premebat.
Publica sed requies privatis rure foroque
Constat amicitiis : scissura domestica turbat
Rem populi, titubatque foris, quod dissidet intus.
Ergo cavete, viri, ne sit sententia discors
Sensibus in nostris, ne secta exotica tectis
Nascatur conflata odiis ; quia fissa voluntas
Confundit variis arcana biformia fibris,
Quod sapimus, conjungat amor : quod vivimus, uno
Conspiret studio : nil dissociabile firmum est.
Utque homini atque Deo medius intervenit Jesus,
Qui sociat mortale Patri, ne carnea distent
Spiritui æterno, sitque ut Deus unus utrumque :
Sic, quidquid gerimus mentisque et corporis actu,
Spiritus unimodis texat compagibus unus.
Pax plenum virtutis opus : pax summa laborum :
Pax belli exacti pretium est, pretiumque pericli :
Sidera pace vigent : consistunt terrea pace :
Nil placitum sine pace Deo : non munus, ad aram
Cum cupias offerre, probet, si turbida fratrem
Mens impacati sub pectoris oderit antro :
Nec, si flammicolis Christi pro nomine martyr
Ignibus insilias, servans inamabile votum
Bile sub obliqua, pretiosam proderit Jesu
Impendisse animam ; meriti quia clausula pax est.
Non inflata tumet, non invidet æmula fratri :
Omnia perpetitur patiens, atque omnia credit.
Nunquam læsa dolet, cuncta offensacula donat.
Occasum lucis venia præcurrere gestit ;
Anxia, se stabilem linquat sol conscius iram.
Quisque litare Deo mactatis vult holocaustis,

Offerat imprimis pacem : nulla hostia Christo
Dulcior : hoc solo sancta ad donaria vultum
Munere convertens, liquido oblectatur odore.
Sed tamen et niveis tradit Deus ipse columbis
Pinnatum tenera plumarum veste colubrum
Rimante ingenio docte internoscere, mixtum
Innocuis avibus : latet et lupus ore cruento
Lacteolam mentitus ovem sub vellere molli,
Cruda per agninos exercens funera rictus.
Hac sese occultant Photinus et Arrius arte,
Immanes feritate lupi; discrimina produnt
Nostra, recensque cruor, quamvis de corpore summo,
Quid possit furtiva manus : gemitum dedit omnis
Virtutum populus, casu concussus acerbo.
Tum generosa Fides hæc subdidit : Imo secundis
In rebus cesset gemitus; Concordia læsa est,
Sed defensa Fide : quin et Concordia sospes
Germanam comitata Fidem, sua vulnera ridet.
Hæc mea sola salus, nihil hac mihi triste recepta.
Unum opus egregio restat post bella labori,
O proceres, regni quod tandem pacifer hæres
Belligeri, armatæ successor inermus et aulæ
Instituit Salomon : quoniam genitoris anheli
Fumarat calido regum de sanguine dextra.
Sanguine nam terso templum fundatur, et ara
Ponitur auratis Christi domus ardua tectis.
Tunc Hierusalem templo illustrata, quietum
Suscepit jam Diva Deum; circumvaga postquam
Sedit marmoreis fundata altaribus Arca.
Surgat et in nostris templum venerabile castris :
Omnipotens cujus sanctorum sancta revisat.
Nam quid terrigenas ferro pepulisse phalangas
Culparum prodest : hominis si Filius arce

Ætheris illapsus, purgati corporis urbem
Intret inornatam, templi splendentis egenus?
Hactenus alternis sudatum est cominus armis :
Munia nunc agitet tacitæ toga candida Pacis ;
Atque sacris sedem properet discincta juventus.
Hæc ubi dicta dedit, gradibus regina superbis
Desiliit, tantique operis Concordia consors
Metatura novum jacto fundamine templum :
Aurea planitiem spatiis percurrit arundo
Dimensis, quadrent ut quatuor undique frontes,
Ne commissuris distantibus angulus impar
Argutam mutilet per dissona semetra normam.
Auroræ de parte, tribus plaga lucida portis
Illustrata patet : triplex aperitur ad Austrum
Portarum numerus : tres Occidualibus offert
Janua trina fores, toties Aquilonis ad axem
Panditur alta domus : nullum illic structile saxum.
Sed cava per solidum, multoque forata dolatu
Gemma relucenti limen complecitur arcu,
Vestibulumque lapis penetrabile concipit unus.
Portarum summis inscripta in frontibus auro
Nomina apostolici fulgent bis sena senatus.
Spiritus his titulis arcana recondita mentis
Ambit, et electos vocat in præcordia sensus;
Quaque hominis natura viget, quam corpore toto
Quadrua vis animat, trinis ingressibus aram
Cordis adit, castique colit sacraria votis.
Seu pueros sol primus agat, seu fervor ephebos
Incendat nimius, seu consummabilis ævi
Perficiat lux plena viros, sive algida Borræ
Ætas decrepitam vocet ad pia sacra senectam :
Occurrit trinum quadrina ad compita Numen,
Quod bene Discipulis disponit rex duodenis.

Quinetiam totidem gemmarum insignia textis
Parietibus distincta micant, animasque colorum
Viventes liquido lux evomit alta profundo.
Ingens chrysolithus nativo interlitus auro,
Hinc sibi sapphirum sociaverat, inde beryllum,
Distantesque nitor medius variarat honores.
Hic chalcedon hebes perfunditur ex hyacinthi
Lumine vicino : nam forte cyanea propter
Stagna lapis cohibens ostro fulgebat aquoso.
Sardonychen pingunt amethystina : pingit iaspis
Sardoum juxta appositum, pulcherque topazon :
Has inter species smaragdina gramine verno
Prata virent, volvitque vagos lux herbida fluctus.
Te quoque conspicuum structura interserit ardens
Chrysoprase, et sidus saxis stellantibus addit.
Stridebat gravidis funalis machina vinclis,
Immensas rapiens alta ad fastigia gemmas.
At domus interior septem subnixa columnis
Crystalli algentis vitrea de rupe recisis
Construitur : quadrum tegit edita calculus albens
In conum cæsus capita, et sinuamine subter
Subductus conchæ in speciem, quod mille talentis
Margaritum ingens, opibusque et censibus hastæ
Addictis animosa Fides mercata pararat.
Hoc residet solio pollens Sapientia, et omne
Consilium regni celsa disponit ab aula,
Tutandique hominis leges sub corde retractat.
In manibus dominæ sceptrum, non arte politum,
Sed ligno vivum viridi est : quod stirpe recisum,
Quamvis nullus alat terreni cespitis humor,
Fronde tamen viret incolumi : tum sanguine tinctis
Intertexta rosis candentia lilia miscet,
Nescia marcenti florem submittere collo.

Hujus forma fuit sceptri gestamen Aaron
Floriferum : sicco quod germina cortice trudens,
Explicuit tenerum spe pubescente decorem,
Inque novos subito tumuit virga arida fœtus.
  Reddimus æternas, indulgentissime doctor,
Grates, Christe, tibi; meritosque sacramus honores
Ore pio : nam cor vitiorum stercore sordet.
Tu nos corporei latebrosa pericula operti,
Luctantisque animæ voluisti agnoscere casus.
Novimus ancipites nebuloso in pectore sensus
Sudare alternis conflictibus, et variato
Pugnarum eventu, nunc indole crescere dextra,
Nunc inclinatis cervicibus ad juga vitæ
Deteriora trahi, seseque addicere noxis
Turpibus, et propriæ jacturam ferre salutis.
O quoties animam, vitiorum peste repulsa
Sensimus incaluisse Deo! quoties tepefactum
Cœleste ingenium post gaudia candida tetro
Cessisse stomacho! fervent bella horrida, fervent
Ossibus inclusa : fremit et discordibus armis
Non simplex natura hominis : nam viscera limo
Effigiata premunt animam; contra ille, sereno
Editus afflatu, nigrantis carcere cordis
Æstuat, et sordes arcta inter vincla recusat.
Spiritibus pugnant variis lux atque tenebræ,
Distantesque animat duplex substantia vires,
Donec præsidio Christus Deus adsit, et omnes
Virtutum gemmas componat sede piata :
Atque, ubi peccatum regnaverat, aurea templi
Atria constituens, texat spectamine morum
Ornamenta animæ : quibus oblectata decoro
Æternum solio dives Sapienta regnet.

AURELII PRUDENTII
CLEMENTIS V. C.
CONTRA SYMMACHI ORATIONEM
LIBRI DUO.

PRÆFATIO IN LIBRUM I.

Paulus, præco Dei, qui fera gentium
Primus corda sacro perdomuit stylo,
Christum per populos, ritibus asperis
Immanes, placido dogmate seminans,
Immansueta suas ut cæremonias
Gens pagana Deo sperneret agnito,
Actus turbinibus forte nigerrimis
Hibernum pelagus, jam rate debili,
Et vim navifragi pertulerat Noti.
Sed cum cærulei prælia gurgitis
Jussisset Domini dextra quiescere :
Ad portum fluitans cymba relabitur,
Exponitque solo littoris uvidi
Contractos pluvio frigore remiges.
Tunc de littoreis sepibus algidi
Arentum propere brachia palmitum
Convectant; rapidos unde focos struant :
Fascem quisque suum congerit ignibus,

Expectans calidi luxuriam rogi.
Paulus, dum fragiles cogere surculos,
Et densare foci congeriem studet,
Incautam cumulis inseruit manum;
Torpebat glacie pigra ubi vipera,
Sarmentis laqueos corporis implicans:
Quæ postquam intepuit fomite fumeo,
Laxavitque ferox colla rigentia,
Jam flecti facilis, retulit ad manum
Vibrato capite spicula dentium.
Hærentem digiti vulnere mordicus,
Pendentemque gerens Paulus inhorruit.
Exclamant alii, quod cute livida
Virus mortiferum serpere crederent.
At non intrepidum terret Apostolum
Tristis tam subiti forma periculi:
Attollens oculos sidera suspicit,
Christum sub tacito pectore murmurans,
Excussumque procul decutit aspidem.
Abjectus coluber verberat aëra,
Atque oris patuli solvit acumina.
Mox omnis sanies deserit et dolor,
Ceu nullo laceram vulnere, dexteram:
Siccatusque perit vipereus liquor.
Hydrum præcipitem dum rotat impetus,
Arsurum mediis intulit ignibus.
Sic nunc post hyemem vimque trucis freti,
Quo jactata ratis tunc sapientiæ est,
Cum sub sacricolis territa regibus,
Vix panso poterat currere carbaso,
Afflictosque suos turbine sæculi
Vectarat, rabidis fluctibus innatans,
Morsum vulnificum lex pia pertulit:

Occultabat enim se prius abditum
Virus, nec gravidum protulerat caput,
Contentum involucris atque cubilibus
Subter comprimere clausa silentia.
Sed, dum forte latens impietas riget,
Dextram justitiæ pigra momorderat
Succensi stomacho fellis inæstuans.
Heu! quam Catholicam nil prope profuit
Puppim nasse sacri remigio styli,
Quem Paulus variis gentibus edidit!
Vix portu placido tuta quieverat
Victrix edomitis mille furoribus:
Vix astricta suis jam retinaculis
Vectores stabili condiderat solo;
Erumpit subito triste periculum.
Nam, dum præcalidos igniculos sibi
Solvendis adolent et senio et gelu,
Dum virgas steriles atque superfluas
Flammis de fidei palmite concremant;
Ut concreta vagis vinea crinibus
Sylvosi illuviem poneret idoli,
Palpavit nimius perniciem tepor:
Spes insueta subit serpere flexibus,
Et vibrare sagax eloquii caput:
Sed dextra impatiens vulneris irritos
Oris rhetorici depulit halitus:
Effusum ingenii virus inaniter
Summa Christicolis in cute substitit.
Salvator generis Romulei, precor,
Qui cunctis veniam das pereuntibus,
Qui nullum statuis non operis tui
Mortalem, facili quem releves manu:
Hujus, si potis est, jam miserescito,

Præruptam in foveam præcipitis viri.
Spirat sacrilegis flatibus inscius,
Erroresque suos indocilis fovet.
Obtestor, jubeas, ne citus impetus
Arsurum mediis inferat ignibus.

LIBER I.

I. Credebam vitiis ægram gentilibus Urbem
Jam satis antiqui pepulisse pericula morbi,
Nec quidquam restare mali, postquam medicina
Principis immodicos sedarat in arce dolores.
Sed, quoniam renovata lues turbare salutem
Tentat Romulidum, patris imploranda medela est,
Ne sinat antiquo Romam squalere veterno,
Neve togas procerum fumoque et sanguine tingui.
Inclytus ergo parens patriæ, moderator et orbis,
Nil egit prohibendo, vagas ne pristinus error
Crederet esse deum nigrante sub aëre formas?
Aut elementorum naturam, quæ patris ars est
Omnigeni, summa pro majestate sacraret?
Vir solus, cui cura fuit, ne publica morum
Plaga cicatricem summa leviter cute clausam
Duceret, et latebram tabentis vulneris alte
Impressam, penitusque putri de pure peresam,
Juncta superficies medico fallente foveret.
Sed studuit, quo pars hominis generosior intus
Viveret, atque animam lethali peste piatam
Nosset ab interno tutam servare veneno.
Illa tyrannorum fuerat medicina, videre
Qui status ante oculos præsentibus ac perituris
Competeret rebus, nec curam adhibere futuris.

Heu ! male de populo meriti, male patribus ipsis
Blanditi ! quos præcipites in Tartara mergi
Cum Jove siverunt, multa et cum plebe deorum.
Ast hic imperium protendit latius ævo
Posteriore, suis cupiens sancire salutem :
Nimirum pulchre quidam doctissimus : Esset
Publica res, inquit, tunc fortunata satis, si
Vel reges saperent, vel regnarent sapientes.
Est-ne ille e numero paucorum, qui diadema
Sortiti, ætheriæ coluerunt dogma sophiæ?
Contigit ecce hominum generi, gentique togatæ
Dux sapiens, felix nostræ Respublica Romæ
Justitia regnante viget : parete magistro
Sceptra gubernanti : monet, ut deterrimus error,
Utque superstitio veterum procul absit avorum,
Nec putet esse Deum, nisi qui super omnia summus
Emineat, magnique immensa creaverit orbis.

DE SATURNO.

II. Num melius Saturnus avos rexisse Latinos
Creditur? edictis qui talibus informavit
Agrestes animos, et barbara corda virorum?
Sum Deus; advenio fugiens : præbete latebras,
Occultate senem, nati feritate tyranni
Dejectum solio; placet, hic fugitivus et exul
Ut lateam, genti atque loco Latium dabo nomen.
Vitibus incurvum, si qua est ea cura, putandis
Procudam chalybem, necnon et mœnia vestri
Fluminis in ripa statuam Saturnia vobis.
Vos nemus, appositasque meo sub honore sacrantes

Sum quianam[1] cœlo genitus celebrabitis aras.
Inde Deos, quorum patria spectata sepulcra
Scimus, in ære hebetes informavere minores :
Advena quos profugus gignens, et equina libido
Intulit Italiæ : Tuscis namque ille puellis
Primus adhinnivit simulato numine mœchus.

DE JOVE.

III. Mox patre deterior sylvosi habitator Olympi
Juppiter, incesta spurcavit labe Lacænas :
Nunc bove subvectam rapiens ad crimen amatam,
Nunc tener ac pluma levior, blandosque susurros
In morem recinens suave immorientis oloris ;
Capta quibus volucrem virguncula ferret amorem.
Nunc foribus surdis, sera quas vel pessulus artis
Firmarant cuneis, per tectum dives amator
Imbricibus ruptis, undantis desuper auri
Infundens pluviam gremio excipientis amicæ :
Armigero modo sordidulam curante rapinam,
Compressu immundo miserum afficiens catamitum,
Pellice jam puero magis indignante sorore.
Hæc causa est et origo mali, quod sæcla vetusto
Hospite regnante crudus stupor aurea finxit :
Quodque novo ingenio versutus Juppiter, astus
Multiplices variosque dolos texebat, ut illum,
Vertere cum vellet pellem faciemque, putarent
Esse bovem, prædari aquilam, concumbere cycnum,

[1] Interrogative usurpatur apud veteres pro *quare*. Virgilius Æneid. x, vers. 6. sic habet :

> Cœlicolæ magni, quianam sententia vobis
> Versa retro?

Et nummos fieri, et gremium penetrare puellæ.
Nam quid rusticitas non crederet indomitorum
Stulta virum, pecudes inter ritusque ferinos
Dedere sueta animum Diæ[1] rationis egenum?
In quamcumque fidem nebulonis callida traxit
Nequitia infelix facilem gens præbuit aurem.

DE MERCURIO.

IV. SUCCESSIT Jovis imperio corruptior ætas:
Quæ docuit rigidos vitiis servire colonos
Expertes furandi homines; hac imbuit arte
Mercurius Maïa genitus: nunc magnus habetur
Ille Deus, cujus dedit experientia fures:
Necnon Thessalicæ doctissimus ille magiæ
Traditur extinctas sumptæ moderamine virgæ
In lucem revocasse animas, Cocytia lethi
Jura resignasse, sursum revolantibus umbris:
Ast alias damnasse neci, penitusque latenti
Immersisse Chao: facit hoc ad utrumque peritus
Ut fuerit, geminoque armarit crimine vitam:
Murmure nam magico tenues excire figuras,
Atque sepulcrales scite incantare favillas,
Vita itidem spoliare alios, ars noxia novit.
Artificem scelerum simplex mirata vetustas
Supra hominem coluit, simulans per nubila ferri,
Aligerisque leves pedibus transcurrere ventos.

[1] Eo adjectivo usus est Virgilius Æneid. XI, vers. 657.

.... Quos ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit.

DE PRIAPO.

V. Ecce Deum in numero formatus[1] et æneus astat
Graïus homo, augustaque Numæ præfulget in arce.
Strenuus exculti dominus quidam fuit agri,
Hortorumque opibus memorabilis; hic tamen idem
Scortator nimius, multaque libidine suetus
Rusticolas vexare lupas, interque salicta
Et densas sepes obscena cubilia inire:
Indomitum intendens animum, semperque paratum
Ad facinus, nunquam calidis dabat otia venis.
Hic deus e patrio prænobilis Hellesponto
Venit ad usque Italos sacris cum turpibus hortos:
Sinum lactis[2], et hæc votorum liba quotannis
Accipit, ac ruris servat vincta Sabini,
Turpiter affixo pudeat quem visere ramo.

DE HERCULE.

VI. Herculeus mollis pueri famosus amore
Ardor, et in transtris jactata efferbuit Argo.

[1] Heinsius opinatur scribendum esse *tornatus*, ut æneus, et ligneus sive saxeus conjungantur. Tornari enim non ligna tantum, sed saxa quoque, teste Plinio, lib. xxxvi, cap. 22. neque aliter Lucretius, lib. iv. vers 362. Quod elegantissimum utique est et verissimum. Nam Priapus in templis stabat Æneus; in hortis ligneus aut saxeus. Unde Martialis, lib. vi. epigr. 72. sic habet:

> Fur notæ nimium rapacitatis
> Compilare Cilix volebat hortum,
> Ingenti sed erat, Fabulle, in horto
> Præter marmoreum nihil Priapum.

[2] Tale illud Virgilii, Eglog. vii, vers. 33.

> Sinum lactis et hæc te liba, Priape, quotannis
> Expectare sat est: custos es pauperis horti.

Nec maris erubuit Nemea sub pelle fovere
Concubitus, et Hylan pereuntem quærere cælebs.
Nunc Saliis, cantuque domus Pinaria templum
Collis Aventini convexa in sede frequentat.

DE LIBERO, QUI ET BACCHUS.

VII. Thebanus juvenis superatis fit Deus Indis,
Successu dum victor ovans lascivit, et aurum
Captivæ gentis revehit, spoliisque superbus
Diffluit in luxum cum semiviro comitatu;
Atque avidus vini multo se proluit haustu,
Gemmantis pateræ spumis mustoque Falerno
Perfundens bijugum rorantia terga ferarum.
His nunc pro meritis Baccho caper omnibus aris
Cæditur, et virides discindunt ore chelydros,
Qui Bromium placare volunt: quod et ebria jam tunc
Ante oculos regis Satyrorum insania fecit:
Et fecisse reor stimulis furialibus ipsas
Mænadas, inflammante mero in scelus omne rotatas.
Hoc circum saltante choro, temulentus adulter
Invenit expositum secreti in littoris acta
Corporis egregii scortum, quod perfidus illic
Liquerat, incesto juvenis satiatus amore.
Hanc jubet assumptam, fervens post vina, Neæram
Secum in deliciis fluitantis stare triumphi,
Regalemque decus capitis gestare coronam.
Mox Ariadnæus stellis cœlestibus ignis
Additur: hoc pretium noctis persolvit honore
Liber, ut ætherium meretrix illuminet axem.
Tantum posse omnes illo sub tempore reges,
Indocilis fatui ducebat ineptia vulgi,

Ut transire suis cum sordibus induperator[1]
Posset in æternum cœli super ardua regnum.
Regia tunc omnis vim majestatis, et omnis,
Parva licet, cœli imperium retinere potestas
Credita : thure etiam ducibus, parvoque sacello
Impertitus honos : quem dum metus, aut amor, aut spes
Accumulant, longum miseris processit in ævum
Mos patrius ; cœpit falsæ pietatis imago
Ire per ignaros nebuloso errore nepotes :
Tum quia, quæ vivis veneratio regibus ante
Contigerat, functis eadem jam munere lucis
Cessit, et ad nigras altaria transtulit urnas.
Inde puellarum ludibria, pignora, partus,
Et furtivus amor juvenum, et deprensa jugalis
Corruptela thori : quoniam regalibus aula
Fervere tunc vitiis solita est, nec perdita luxu
Divorum soboles sancti meminisse pudoris.

DE MARTE, VENERE, JUNONE, ET CYBELE.

VIII. Atque ut, Roma, tuos cœlesti ex sede parentes,
Quis te semideam jactant auctoribus ortam,
Præstringam breviter, Gradivum vel Cytherean.
Ille sacerdotem violat : contra illa marito
Succumbit Phrygio; coïtus fuit impar utrique.
Nec terrestre Deam decuit mortalis obire
Conjugium, nec cœlicolam descendere ephebum

[1] Imperator, per epenthesim. Cicero lib. 1. *de Div.* ex Ennio : *Uter esset induperator*, et Juvenalis, *Sat.* x, v. 137 :

. . . . ad hæc se
Romanus, Grajusque ac Barbaros induperator
Erexit.

Virginis ad vitium, furtivoque igne calere.
Sed Venus augusto de sanguine fœmina, vili
Privatoque viro vetitum per dedecus hæsit.
Et, si Rhea sacram lascivi Martis amore
Lusa pudicitiam fluviali amisit in ulva;
Crediderim generosæ aliquem stirpis, sed eumdem
Moribus infamem, compressa virgine per vim,
Se dixisse Deum, ne stuprum numinis ullus
Objicere auderet turpi miseræque puellæ.
Hæc Italos induxit avos vel fama vel error,
Martia Romuleo celebrarent ut sacra Campo:
Utque Palatinis Capitolia condita saxis
Signarent titulo proavi Jovis, atque Pelasgæ
Palladis, et Libyca Junonem ex arce vocarent.
Cognatos de Marte Deos, Veneris quoque nudum
Accirent proceres Erycino e vertice signum:
Utque Deum mater Phrygia veheretur ab Ida,
Bacchica de viridi peterentur ut orgia Naxo:
Facta est terrigenæ domus unica majestatis,
Et tot templa Deum Romæ, quot in urbe sepulcra
Heroum numerare licet: quos fabula Manes
Nobilitat, noster populus veneratus adorat.
Hos habuere Deos Ancus, Numitor, Numa, Tullus:
Talia Pergameas fugerunt numina flammas.
Sic Vesta est, sic Palladium, sic umbra Penatum,
Talis et antiquum servavit terror asylum.

UNDE ERROR INVALUERIT.

IX. Ut semel obsedit gentilia pectora patrum
Vana superstitio, non interrupta cucurrit
Ætatum per mille gradus, tener horruit hæres,

Et coluit, quid sibimet venerabile cani
Monstrarant atavi; puerorum infantia primo
Errorem cum lacte bibit: gustaverat inter
Vagitus de farre molæ: saxa illita ceris
Viderat, unguentoque Lares humescere nigros.
Formatum Fortunæ habitum cum divite cornu,
Sacratumque domi lapidem consistere parvus
Spectarat, matremque illic pallere precantem.
Mox, humeris positus nutricis, trivit et ipse
Impressis silicem labris, puerilia vota
Fudit, opesque sibi cæca de rupe poposcit:
Persuasumque habuit, quod quis velit, inde petendum.
Nunquam oculos animumque levans rationis ad arcem
Rettulit: insulsum tenuit sed credulus usum,
Privatos celebrans agnorum sanguine Divos.

DE SIMULACRO ROMÆ.

X. Jamque domo egrediens, ut publica festa diesque
Et ludos stupuit, celsa et Capitolia vidit,
Laurigerosque Deum templis astare ministros,
Ac Sacram resonare viam mugitibus, ante
Delubrum Romæ; colitur nam sanguine et ipsa
More Deæ, nomenque loci, ceu numen, habetur:
Atque Urbis Venerisque pari se culmine tollunt
Templa: simul geminis adolentur thura deabus;
Vera ratus, quæcumque fiant auctore Senatu,
Contulit ad simulacra fidem, dominosque putavit
Ætheris, horrifico qui stant ex ordine vultu.
Illic Alcides, spoliatis Gadibus, hospes
Arcadiæ fulvo ære riget: gemini quoque fratres
Corrupta de matre nothi, Ledeia proles,

Nocturnique equites, celsæ duo numina Romæ
Impendent retinente veru, magnique triumphi
Nuntia suffuso figunt vestigia plumbo.
Assistunt etiam priscorum insignia regum,
Tros, Italus, Janusque bifrons, genitorque Sabinus,
Saturnusque senex, maculoso et corpore Picus,
Conjugis epotum sparsus per membra venenum.
Omnibus ante pedes posita est sua cuique sordens
Arula: Jano etiam celebri de mense litatur
Auspiciis epulisque sacris, quas inveterato,
Heu miseri, sub honore agitant, et gaudia ducunt
Festa Kalendarum: sic observatio crevit,
Ex atavis quondam male cœpta: deinde secutis
Tradita temporibus, serisque nepotibus aucta,
Traxerunt longam corda inconsulta catenam,
Mosque tenebrosus vitiosa in sæcula fluxit.

DE SIMULACHRO AUGUSTI.

XI. Hunc morem veterum docili jam ætate secuta
Posteritas, mense atque adytis, et flamine, et aris
Augustum coluit; vitulo placavit et agno.
Strata ad pulvinar jacuit; responsa poposcit.
Testantur tituli, produnt consulta Senatus,
Cæsareum Jovis ad speciem statuentia templum.

DE SIMULACRO LIVIÆ AUGUSTÆ.

XII. Adjecere sacrum, fieret quo Livia Juno,
Non minus infamis thalami sortita cubile,
Quam cum fraterno caluit Saturnia lecto.

Nondum maternam partu vacuaverat alvum,
Conceptamque viri sobolem paritura gerebat
Pronuba; jam gravidæ fulcrum geniale paratur :
Jam sponsus, saliente utero nubentis, amicos
Advocat, haud sterilem certus fore jam sibi pactam.
Vitricus antevenit tardum præfervidus ortum
Privigni nondum geniti : mox editur inter
Fescennina novo proles aliena marito.
Idque Deum sortes, id Apollinis antra dederunt
Consilium : nunquam melius nam cedere tædas
Responsum est, quam cum prægnans nova nupta jugatur.
Hanc tibi, Roma, Deam, titulis et honore sacratam
Perpetuo, Floras inter Veneresque creasti.
Nec mirum, quis enim sapiens dubitaverit illas
Mortali de stirpe satas vixisse, et easdem
Laude venustatis claras, in amoribus, usque
Ad famæ excidium, formæ nituisse decore ?

DE CULTU ADRIANI ET CARAMITI EJUS.

XIII. Quid loquar Antinoum cœlesti in sede locatum ?
Illum delicias nunc Divi principis : illum
Purpureo in gremio spoliatum sorte virili,
Hadrianique Dei Ganymedem, non cyathos Dis
Porgere, sed medio recubantem cum Jove fulcro,
Nectaris ambrosii sacrum notare Lyæum,
Cumque suo in templis vota exaudire marito ?
Ergo his auspicibus, Trajanus, Nerva, Severus,
Et Titus, et fortes gesserunt bella Nerones ?
Quos terrena viros illustres gloria fecit,
Et virtus fragilis provexit in ardua famæ
Ascitæ terris, sub relligione jacentis.

Quam pudet hoc illis persuasum, talibus ut se,
Romanasque acies censerent Martis amore
Posse regi, dum se Paphiæ male blandus adulter
Venditat, Æneadasque suos successibus auget?
Felices, si cuncta Deo sua prospera Christo
Principe disposita scissent! qui currere regna
Certis ducta modis, Romanorumque triumphos
Crescere, et impletis voluit se infundere sæclis.
Sed caligantes animas et luce carentes,
In Jovis Augustique adytis, templisque duarum
Junonum, Martisque etiam Venerisque sacellis
Mactatas tetro lethi immersere barathro,
Supremum regimen crassis in partibus orbis
Esse rati, mersoque poli consistere fundo.

DE CULTU ELEMENTORUM

SUB SPECIE QUORUMDAM NON DEORUM, SED DÆMONUM.

XIV. Quidquid humus, quidquid pelagus mirabile gi-[gnunt,]
Id duxere Deos: colles, freta, flumina, flammas.
Hæc sibi per varias formata elementa figuras
Constituere patres, hominumque vocabula mutis
Scripserunt statuis, vel Neptunum vocitantes
Oceanum, vel cyaneas cava flumina Nymphas,
Vel sylvas Dryadas, vel devia rura Napæas.
Ipse ignis, nostrum factus qui servit ad usum,
Vulcanus perhibetur, et in virtute superna
Fingitur, ac delubra Deus et nomine et ore
Assimulatus, habet: necnon regnare caminis
Fertur, et Æoliæ summus faber esse, vel Ætnæ.

DE CULTU SOLIS, QUEM CREDUNT APOLLINEM.

XV. Est, qui conspicuis superos quæsivit in astris,
Ausus habere Deum solem; cui tramite certo
Conditio imposita est, vigilem tolerare laborem,
Visibus objectum mortalibus, orbe rotundo
Præcipitem, teretique globo per inane volantem;
Et, quod nemo negat, mundo cœloque minorem.
Area major enim, quam qui percurrit in illa:
Et longe campi spatium diffusius, in quo
Emicat, ac volucri fervens rota volvitur axe.
Quamvis nonnullis placeat, terram breviorem
Dicere circuitu, quam sit pulcherrimus ille
Circulus, et flammas immensi sideris, ultra
Telluris normam, porrecto extendere gyro.
Num-ne etiam cœli minor et contractior orbis,
Cujus planitiem longo transmittere tractu
Circinus excurrens meta interiore laborat?
Ille Deus verus, quo non est grandior ulla
Materies, qui fine caret, qui præsidet omni
Naturæ, qui cuncta simul concludit et implet.
Solem certa tenet regio, plaga certa coërcet,
Temporibus variis distinguitur: aut subit ortu,
Aut ruit occasu, latet aut sub nocte recurrens:
Nec torquere facem potis est ad signa Trionum,
Orbe nec obliquo portas Aquilonis adire,
Nec solitum conversus iter revocare retrorsum.
Hic erit ergo Deus, præscriptis lege sub una
Deditus officiis? libertas laxior ipsi
Concessa est homini: formam cui flectere vitæ
Atque voluntatis licitum est, seu tramite dextro
Scandere, seu lævo malit decurrere campo.

Sumere seu requiem, seu continuare laborem,
Seu parere Deo, sive in contraria verti.
Ista ministranti regimen solemne dierum
Haudquaquam soli datur a factore potestas:
Sed famulus subjectus agit quodcumque necesse est.
Hoc sidus currum, rapidasque agitare quadrigas
Commenti, et radios capitis, et verbera dextræ,
Et frenos, phalerasque, et equorum pectora anhela
Æris inaurati, vel marmoris, aut orichalci,
Jusserunt nitido fulgere polita metallo.
Post trabeas, et eburnam aquilam, sellamque curulem,
Cernuat ora senex barbatus, et oscula figit
Cruribus æripedum, si fas est credere, equorum;
Immotasque rotas, et flecti nescia lora
Aut ornat redimita rosis, aut thure vaporat.

DE CULTU LUNÆ, QUAM ET DIANAM CREDUNT.

XVI. Hoc tamen utcumque et tolerabile. Quid, quod [et ipsæ]
Dant tibi, Roma, Deos inferni gurgitis umbræ?
Eumenidum domina Stygio caput exerit antro,
Rapta ad Tartarei thalamum Proserpina regis;
Et, si quando suos dignatur adire Quirites,
Placatur vaccæ sterilis cervice resecta[1],
Et regnare simul cœloque Ereboque putatur:
Nunc bigas frenare boves, nunc sæva sororum
Agmina vipereo Superis immittere flagro,

[1] Virgilius Æneid. lib. VI, vers. 249.

. . . . ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum magnæque furori
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.

Nunc etiam volucres caprearum in terga sagittas
Spargere, terque suas eadem variare figuras.
Denique cum luna est, sublustri splendet amictu :
Cum succincta jacit calamos, Latonia virgo est :
Cum subnixa sedet solio, Plutonia conjux
Imperitat Furiis, et dictat jura Megeræ.
Si verum quæris : Triviæ sub nomine Dæmon
Tartareus colitur : qui te modo raptat ad æthram,
Sidereoque Deum venerandum suadet in astro :
Per sylvas modo mortiferi discurrere mundi,
Erroresque sequi subigit, nemorumque putare
Esse Deam, quæ corda hominum pavitantia figat,
Quæque feras perimat lethali vulnere mentes :
Depressos modo subter humum formidine sensus
Obruit, implorent ut numina lucis egena,
Seque potestati committant noctis opertæ.

IN SPECTACULIS QUOS SINT VENERATI.

XVII. Respice terrifici scelerata sacraria Ditis :
Cui cadit infausta fusus gladiator arena,
Heu male lustratæ Phlegethontia victima Romæ.
Nam quid vesani sibi vult ars impia ludi ?
Quid mortes juvenum ? quid sanguine pasta voluptas ?
Quid pulvis caveæ semper funebris, et illa
Amphitheatralis spectacula tristia pompæ ?
Nempe Charon, jugulis miserorum se duce dignas
Accipit inferias, placatus crimine sacro.
Hæ sunt deliciæ Jovis infernalis : in istis
Arbiter obscuri placidus requiescit Averni.

Nonne pudet regem populum [1] sceptrisque potentem
Talia pro patriæ censere litanda salutæ?
Relligionis opem subternis poscere ab antris?
Evocat, heu, pœnis tenebrosa ex sede ministrum
Interitus, speciosa hominum cui funera solvat.
Incassum arguere jam Taurica sacra solemus:
Funditur humanus Latiari in munere sanguis,
Consessusque ille spectantum solvit ad aram
Plutonis fera vota sui: quid sanctius ara,
Quæ bibit egestum per mystica tela cruorem?
Anne fides dubia est tibi, sub caligine cæca
Esse Deum, quem tu tacitis rimeris in umbris?
Ecce, Deos Manes cur inficiaris haberi?
Ipsa patrum monumenta probant: Dis Manibus illic
Marmora secta lego, quacumque Latina vetustos
Custodit cineres, densisque salaria bustis.

ROMAM ALLOQUITUR.

XVIII. Dic, quibus hunc scribis titulum: nisi quod [trucis Orci]
Imperium, veræ ceu majestatis, adoras?
En quibus implicita squalebat regia summi
Imperii, tractis majorum ab origine sacris.
Cum princeps, gemini bis victor cæde tyranni,
Pulchra triumphali respexit mœnia vultu;
Nubibus obsessam nigrantibus aspicit urbem,
Noctis obumbratæ caligine; turbidus aër

[1] Per *populum regem* Romanos innuit, manifesta imitatione Virgilii, lib. 1 vers. 25.

Hinc populum late regem belloque superbum,
Venturum excidio Libyæ.

Arcebat liquidum septena ex arce serenum.
  Ingemuit miserans, et sic ait : Exue tristes,
Fida parens, habitus ; equidem prædivite cultu
Illustrata cluis, spoliisque insigne superbis
Attollis caput, et multo circumfluis auro.
Sed nebulis propter volitantibus obsitus alti
Verticis horret apex : ipsas quoque livida gemmas
Lux hebetat, spissusque dies : et fumus ab ora
Suffusus rutilum frontis diadema retundit.
Obscuras video tibi circumferrier umbras,
Cæruleasque animas, atque idola nigra volare.
Censeo, sublimem tollas super aëra vultum ;
Sub pedibusque tuis nimbosa elementa relinquas.
Omne, quod ex mundo est, tibi subjacet : hoc Deus ipse
Constituit ; cujus nutu dominaris, et orbi
Imperitas, et cuncta potens mortalia calcas.
Non decet, ut submissa oculos regina caducum
Contemplere solum, majestatemque requiras
Circa humiles rerum partes, quibus ipsa superstas.
Non patiar, veteres teneas ut me duce nugas ;
Ut cariosorum venereris monstra Deorum.
Si lapis est, senio dissolvitur, aut crepat ictu
Percussus tenui : mollis si bractea gypsum
Texerat, infido rarescit glutine sensim.
Si formam statuæ lamnis [1] commisit ahenis
Lima terens ; aut in partem cava membra gravato
Pondere curvantur ; scabra aut ærugo peresam
Conficit effigiem, crebroque foramine rumpit :

[1] Pro *laminis*, ut apud Horatium, carm. lib. II, Od. II. vers. I. et seqq.

Nullus argento color est, avaris
Abditæ terris inimicæ lamnæ,
Crispe Sallusti, nisi temperato
  Splendeat usu.

Nec tibi terra Deus, cœli nec sit Deus astrum.
Nec Deus Oceanus, nec vis, quæ subter operta est,
Infernis triste ob meritum damnata tenebris.
Sed nec virtutes hominum Deus, aut animarum,
Spirituumve, vagæ tenui sub imagine formæ.
Absit ut umbra Deus tibi sit, Geniusve, locusve,
Aut Deus aërias volitans phantasma per auras.
Sint hæc barbaricis gentilia numina pagis,
Quos penes omne sacrum est, quidquid formido tremen-
[dum]
Suaserit; horrificos quos prodigialia cogunt
Credere monstra Deos, quos sanguinolentus edendi
Mos juvat, ut pinguis luco lanietur in alto
Victima, visceribus multa inter vina vorandis.
At te, quæ domitis leges ac jura dedisti
Gentibus, instituens, magnus qua tenditur orbis,
Armorum morumque feros mansuescere ritus,
Indignum ac miserum est, in relligione tenenda
Hoc sapere, immanes populi de more ferino
Quod sapiunt, nullaque rudes ratione sequuntur.
Seu nos procinctus maneat, seu pace quietas
Dictemus leges, seu debellata duorum
Colla tyrannorum media calcemus in Urbe:
Agnoscas, regina, libens mea signa necesse est:
In quibus effigies Crucis aut gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.

DE POTENTIA CRUCIS.

XIX. Hoc signo invictus, transmissis Alpibus ultor,
Servitium solvit miserabile Constantinus.
Cum te pestifera premeret Maxentius aula,

Lugebas longo damnatos carcere centum,
Ut scis ipsa, patres; aut sponsus fœdera pactæ
Intercepta gemens, diroque satellite rapta,
Immersus tenebris, dura inter vincula flebat:
Aut si nupta, thorum regis conscendere jussa,
Cœperat impurum domini oblectare furorem,
Morte maritalis dabat indignatio pœnas.
Plena puellarum patribus ergastula sævi
Principis, abducta genitor si virgine mussans
Tristius ingemuit; non ille impune dolorem
Prodidit, aut confessa animis [1] suspiria traxit;
Vim libertatis nimiæ, patriumque dolorem.
Testis Christicolæ ducis adventantis ad Urbem
Mulvius, exceptum Tiberina in stagna tyrannum
Præcipitans, quanam victricia viderit arma
Majestate regi, quod signum dextera vindex
Prætulerit, quali radiarint stemmate pila.
Christus purpureum, gemmanti textus in auro,
Signabat labarum: clypeorum insignia Christus
Scripserat: ardebat summis Crux addita cristis.
Ipse Senatorum meminit clarissimus ordo:
Qui tunc concreto processit crine, catenis
Squalens carcereis, aut nexus compede vasta,
Complexusque pedes victoris, ad inclyta flendo
Procubuit vexilla jacens: tunc ille Senatus
Militiæ ultricis titulum, Christique verendum
Nomen adoravit, quod collucebat in armis.
Ergo cave, egregium caput orbis, inania posthac
Prodigia et larvas stolido tibi fingere cultu,
Atque experta Dei virtutem spernere veri.

[1] Tale illud Lucani, lib. VIII. de Cornelia:
Quod submissa animis, nulli gravis hospita turba,
Stantis adhuc fati vicit, quasi conjuge victo.

Deponas jam festa velim puerilia, ritus
Ridiculos, tantoque indigna sacraria regno.
Marmora tabenti respergine tincta lavate,
O proceres : liceat statuas consistere puras,
Artificum magnorum opera : hæ pulcherrima nostræ
Ornamenta cluant patriæ, nec decolor usus
In vitium versæ monumenta coinquinet artis.
Talibus edictis Urbs informata refugit
Errores veteres, et turbida ab ore vieto
Nubila discussit, jam nobilitate parata
Æternas tentare vias, Christumque vocante
Magnanimo ductore sequi, et spem mittere in ævum.
Tunc primum senio docilis sua sæcula Roma
Erubuit : pudet exacti jam temporis : odit
Præterites fœdis cum relligionibus annos.
Mox, ubi, contiguos fossis muralibus agros
Sanguine justorum innocuo maduisse recordans,
Invidiosa videt tumulorum millia circum,
Tristis judicii mage pœnitet, ac ditionis
Effrenis, nimiæque sacris pro turpibus iræ :
Compensare cupit teterrima vulnera læsæ
Justitiæ sero obsequia veniaque petenda :
Ne tanto imperio maneat, pietate repulsa,
Crimen sævitiæ, monstrata piacula quærit,
Inque fidem Christi pleno transfertur amore.
Laurea victoris Marii minus utilis Urbi,
Cum traheret Numidam populo plaudente Jugurtham :
Nec tantum Arpinas Consul tibi, Roma, medelæ
Contulit, extincto justa inter vincla Cethego,
Quantum præcipuus nostro sub tempore princeps
Prospexit tribuitque boni : multos Catilinas
Ille domo pepulit : non sæva incendia tectis,
Aut sicas patribus, sed Tartara nigra animabus,

Internoque hominum statui tormenta parantes.
Errabant hostes per templa, per atria passim,
Romanumque forum, et Capitolia celsa tenebant,
Qui conjuratas ipsa ad vitalia plebis
Moliti insidias, intus serpente veneno
Consuerant tacitis pestem miscere medullis.
Ergo triumphator latitante ex hoste togatus
Clara tropæa refert sine sanguine, remque Quirini
Assuescit supero pollere in sæcula regno.
Denique nec metas statuit, nec tempora ponit:
Imperium sine fine docet, ne Romula virtus
Jam sit anus, norit ne gloria parta senectam.

ROMANORUM SENATUM

CONVERSUM AD CHRISTUM.

XX. Exultare patres videas, pulcherrima mundi
Lumina, conciliumque senum gestire Catonum,
Candidiore toga niveum pietatis amictum
Sumere, et exuvias deponere pontificales.
Jamque ruit, paucis Tarpeia in rupe relictis,
Ad sincera virum penetralia Nazareorum,
Atque ad apostolicos Evandria curia fontes,
Anniadum soboles, et pignora clara Proborum,
Fertur enim ante alios generosus Anicius Urbis
Illustrasse caput: sic se Roma inclyta jactat.
Quin et Olybriaci generisque et nominis hæres
Adjectus fastis, palmata insignis abolla,
Martyris ante fores, Bruti submittere fasces
Ambit, et Ausoniam Christo inclinare securem.
Non Paulinorum, non Bassorum dubitavit

Prompta fides dare se Christo, stirpemque superbam
Gentis patriciæ venturo attollere sæclo.
Jam quid plebicolas percurram carmine Gracchos,
Jure potestatis fultos, et in arce Senatus
Præcipuos, simulacra Deum jussisse revelli,
Cumque suis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Christo se consecrasse regendos?
Sexcentas numerare domos de sanguine prisco
Nobilium licet, ad Christi signacula versas,
Turpis ab idolii vasto emersisse profundo.
Si persona aliqua est, aut si status Urbis in his est:
Si formam patriæ facit excellentior ordo,
Hi faciunt, juncta est quoties sententia plebis,
Atque unum sapiunt plures simul ac potiores.
Respice ad illustrem, lux est ubi publica, cellam:
Vix pauca invenies gentilibus obstita nugis
Ingenia, obtritos ægre retinentia cultus,
Et quibus exactas placeat servare tenebras;
Splendentemque die medio non cernere solem.

PLEBEM ROMANAM IN CHRISTUM CREDIDISSE.

XXI. Post hinc ad populum converte oculos, quota pars est,
Quæ Jovis infectam sanie non despuat aram?
Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus,
Quique terit silicem variis discursibus atram,
Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis,
Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obses;
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,
Unde sacrum referat regali chrismate signum.

Et dubitamus adhuc, Romam tibi Christe dicatam
In leges transisse tuas? omnique volentem
Cum populo et summis cum civibus, ardua magni
Jam super astra poli terrenum extendere regnum?
Nec moveor, quod pars hominum rarissima clausos
Non aperit sub luce oculos, et gressibus errat.
Quamlibet illustres meritis, et sanguine clari,
Præmia virtutum titulis et honoribus aucti
Ardua rettulerint, fastorumque arce potiti
Annales proprio signarint nomine chartas,
Atque inter veteres cera numerentur et ære:
Attamen in paucis, jam deficiente caterva,
Nec persona sita est patriæ, nec curia constat;
Et quodcumque fovet studii privata voluntas,
Ac jam rara tenet: sed publica vota reclamant,
Dissensu celebri trepidum damnantia murmur.
Sic consulta Patrum subsistere Conscriptorum,
Non aliter licitum prisco sub tempore, quam si
Tercentum sensisse senes legerentur in unum:
Servemus leges patrias: infirma minoris
Vox cedat numeri, parvaque in parte silescat.

APOSTROPHE AD SYMMACHUM.

XXII. Aspice, quam pleno subsellia nostra Senatu
Decernant infame Jovis pulvinar, et omne
Idolium, longe purgata ex Urbe fugandum:
Qua vocat egregii sententia principis, illuc
Libera tum pedibus, tum corde frequentia transit.
Nec locus invidiæ est, nullum vis aspera terret;
Ante oculos sic velle patet, cunctique probatum,
Non jussum, sola capti ratione sequuntur.

Denique pro meritis terrestribus æqua rependens
Munera sacricolis summos impertit honores
Dux bonus, et certare sinit cum laude suorum :
Nec pago implicitos per debita culmina mundi
Ire viros prohibet : quoniam cœlestia nunquam
Terrenis solitum per iter gradientibus obstant.
Ipse magistratum tibi consulis, ipse tribunal
Contulit, auratumque togæ donavit amictum,
Cujus relligio tibi displicet, o pereuntum
Assertor divum : solus qui restituendos
Vulcani, Martisque dolos, Venerisque peroras,
Saturnique senis lapides, Phœbique furores :
Iliacæ matris Megalesia, Bacchica Nysi,
Isidis amissum semper plangentis Osirim
Mimica, ridendaque suis solemnia calvis,
Et, quascumque solent Capitolia claudere, larvas.
O linguam miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquii, cui cedat et ipse
Tullius, has fundit dives facundia gemmas !
Os dignum, æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum, cui sordida monstra
Prætulit, et liquidam temeravit crimine vocem.
Haud aliter, quam si rastris quis tentet eburnis
Cœnosum versare solum, limoque madentes
Excolere aureolis si forte ligonibus ulvas,
Splendorem dentis nitidi scrobis inquinat atra,
Et pretiosa acies squalenti sordet in arvo.
Non vereor, ne me nimium confidere quisquam
Arguat, ingeniique putet luctamen inire.
Sum memor ipse mei, satis et mea frivola novi :
Non ausim conferre pedem, nec spicula tantæ
Indocilis fandi conjecta lacessere linguæ
Illæsus maneat liber, excellensque volumen

Obtineat partam dicendi fulmine famam.
Sed liceat tectum servare a vulnere pectus,
Oppositaque volans jaculum depellere parma.
Nam si nostra fides sæclo jam tuta quieto,
Viribus infestis hostilique arte petita est,
Cur mihi fas non sit, lateris sinuamine flexi
Ludere ventosas jactu pereunte sagittas?
Sed jam tempus, iter longi cohibere libelli,
Ne tractum sine fine ferat fastidia carmen.

AURELII PRUDENTII

CLEMENTIS V. C.

CONTRA SYMMACHI ORATIONEM

PRÆFATIO IN LIBRUM II.

Simon, quem vocitant Petrum,
Summus discipulus Dei,
Lucis forte sub exitu,
Cum vesper croceus rubet,
Curvam vulserat ancoram,
Captans flamina linteis,
Et transnare volens fretum :
Nox ventum movet obvium,
Fundo qui mare misceat,
Jactatam quatiat ratem.
Clamor nauticus æthera
Plangens atque ululans ferit,
Cum stridore rudentium :
Nec quidquam suberat spei,
Mergendis prope naufragis;
Cum Christum procul aspicit
Pallens turba periculis,
Calcantem pedibus mare,
Ac si per solidam viam
Siccum littus obambulet.
Hæc miracula cæteri

Vectores pavidi stupent.
Solus non trepidus Petrus
Agnoscit Dominum poli,
Terræque, et maris invii :
Cujus omnipotentiæ est
Plantis æquora subdere.
Tendit suppliciter manus,
Notum subsidium rogat.
Ast ille placide annuens,
Puppi ut desiliat, jubet.
Jussis obsequitur Petrus :
Sed vestigia fluctibus
Summis tingere cœperat,
Et lapsante gradu pedes
Pessum mergere lubricos.
Mortalem Deus increpat,
Quod sit non stabili fide,
Nec calcare fluentia,
Nec Christum valeat sequi.
Tum dextra famulum levat,
Sistitque, et docet ingredi
Tergum per tumidum freti.
Sic me, tuta silentia
Egressum, dubiis loquax
Infert lingua periculis :
Non ut discipulum Petrum
Fidentem et merito et fide;
Sed quem culpa frequens levem
Volvat per freta naufragum.
Sum plane temerarius,
Qui noctis mihi conscius,
Quam vitæ in tenebris ago,
Puppem credere fluctibus

Tanti non timeam viri ;
Quo nunc nemo disertior
Exultat, fremit, intonat,
Ventisque eloquii tumet :
Cui mersare facillimum est
    Tractandæ indocilem ratis :
Ni tu, Christe potens, manum
Dextro numine porrigas,
Facundi oris ut impetus
Non me fluctibus obruat :
Sed, sensim gradiens, vadis
Insistam fluitantibus.

LIBER II.

PRUDENTIUS.

SECT. I.

Hactenus et veterum cunabula prima Deorum,
Et causas, quibus error hebes conflatus in orbe est,
Diximus, et nostro Romam jam credere Christo :
Nunc objecta legam, nunc dictis dicta refellam.
Unde igitur cœpisse ferunt, aut ex quibus orsum,
Quo mage sancta ducum corda illice flecteret arte?

SYMMACHUS.

Quis ita familiaris est barbaris, ut aram Victoriæ non requirat? Cauti in posterum sumus, et talium rerum ostenta vitamus. Reddatur saltem nomini honor, qui Numini denegatus est. Multa Victoriæ debet æternitas vestra, et adhuc plura debebit. Adversentur hanc potestatem, quibus nihil profuit : vos amicum triumphis patrocinium nolite deserere. Cunctis potentia ista votiva est : nemo colendam neget, quam profitetur optandam.

PRUDENTIUS.

SECT. II.

Armorum dominos, vernantes flore juventæ,
Inter castra patris genitos, sub imagine avita
Eductos, exempla domi congesta calentes,
Orator catus istigat, ceu classica belli
Clangeret; exacuitque animos, et talia jactat:
Si vobis vel parta, viri, victoria cordi est,
Vel parienda dehinc: templum Dea virgo sacratum
Obtineat, vobis regnantibus: ecquis amicus
Hostibus, hanc vestro sancte negat esse colendam
Imperio, cui semper adest, quod laudibus implet?
Hæc ubi legatus: reddunt placidissima fratrum
Ora ducum: Scimus, quam sit Victoria dulcis
Fortibus Ausoniæ vir facundissime linguæ:
Sed quibus illa modis, qua sit ratione vocanda
Novimus: hac primum pueros pater imbuit arte:
Hanc genitore suo didicit puer ipse mgistro.
Non aris, non farre molæ Victoria felix
Exorata venit: labor impiger, aspera virtus,
Vis animi, excellens ardor, violentia, cura,
Hanc tribuunt, durum tractandis robur in armis.
Quæ si defuerint bellantibus, aurea quamvis
Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas
Explicet, et multis surgat formata talentis;
Non aderit, versisque offensa videbitur hastis.
Quid, miles, propriis diffisus viribus, aptas
Irrita fœmineæ tibimet solatia formæ?
Nunquam pennigeram legio ferrata puellam
Vidit, anhelantum regeret quæ tela virorum.
Vincendi quæris dominam? sua cuique dextra est,

Et Deus omnipotens : non pexo crine virago,
Nec nudo suspensa pede, strophioque recincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.
Aut vos pictorum docuit manus, assimulatis
Jure poëtarum numen componere monstris :
Aut lepida ex vestro sumpsit pictura sacello,
Quod variis imitata notis ceraque liquenti
Duceret in faciem, sociique poëmatis arte
Aucta, coloratis auderet ludere fucis.
Sic unum sectantur iter, sic cassa figuris
Somnia concipiunt et Homerus et acer Apelles,
Et Numa; cognatumque malum pigmenta, Camenas,
Idola conflavit fallendi trina potestas.
Hæc si non ita sunt, edatur, cur sacra vobis
Ex tabulis cerisque poëtica fabula præstat?
Cur Berecynthiacus perdit truncata sacerdos
Inguina, cum pulchrum poësis castraverit Atyn?
Cur etiam templo Triviæ lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, cum Musa pudicum
Raptarit juvenem volucri per littora curru,
Idque etiam paries tibi vesicolorus adumbret?
Desine, si pudor est, gentilis ineptia, tandem
Res incorporeas simulatis fingere membris;
Desine, terga hominis plumis obducere : frustra
Fertur avis mulier, magnusque eadem Dea vultur.
Vis decorare tuum, ditissima Roma, Senatum?
Suspende exuvias armis et sanguine captas :
Congere cæsorum victrix diademata regum,
Frange repulsorum fœda ornamenta deorum :
Tunc tibi non terris tantum victoria parta,
Sed super astra etiam media servabitur æde.
Talia principibus dicta interfantibus, ille
Persequitur, magnisque tubam concentibus inflat :

Allegat morem veterem : nil dulcius esse
Affirmat solitis ; populosque hominesque teneri
Lege sua : sicut variæ nascentibus, inquit,
Contingunt pueris animæ : sic urbibus affert
Hora diesque suum, cum primum mœnia surgunt,
Aut fatum, aut Genium, cujus moderamine regnent.
Addit et Arcanum rerum, verique latebras
Prosperitate aliqua deprendi posse, secundi
Per documenta boni, si sint felicia, quæ quis
Experiendo probet, cessisse parentibus omne
Idolium semper feliciter, et pede dextro.
Enumerat longi vim temporis : excitat ipsam
Crinibus albentem niveis et fronte vietam,
Ore reposcentem querulo sua numina, Romam.
Libera sum ; liceat proprio mihi vivere more.
Ecquis erit, qui mille meos reprehenderit annos ?
Uno omnes sub sole siti, vegetamur eodem
Aëre, communis cunctis viventibus aura.
Sed, qui sit, qualisque Deus, diversa secuti ;
Quærimus, atque viis longe distantibus unum
Imus ad occultum ; suus est mos cuique genti ;
Per quod iter properans eat ad tam grande profundum.
His tam magnificis, tantaque fluentibus arte,
Respondet vel sola Fides, doctissima primum
Pandere vestibulum veræ ad penetralia sectæ.
Nam cum divinis agimus de rebus, et illum,
Qui vel principio caruit, vel fine carebit,
Quique Chao anterior fuerit, mundumque crearit,
Conjectare animo contendimus, exigua est vis
Humani ingenii, tantoque angusta labori :
Quique minor natura, aciem si intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei secreta supremi.
Quis dubitet, victo fragilem lacessere visu,

Vimque fatigatæ mentis sub pectore parvo
Turbari, invalidisque hebetem succumbere curis?
Sed facilis fidei via provocat, Omnipotentem
Credere, qui bona non tantum præsentia donat,
Sed ventura etiam, longisque intermina sæclis
Promittit; ne totus eam resolutus inane
In nihilum, pereamque brevem post luminis usum.
Muneris auctores ipso de munere pendas.
Æterna æternus tribuit, mortalia confert
Mortalis: divina Deus, peritura caducus.
Omnia quæ tempus peragit, quæque exitus aufert,
Vilia sunt brevitate sui, nec digna perenni
Largitore, cui propria est opulentia, nunquam
Desinere, idque homini dare, quod non desinat unquam.
Nam si corruptum, corrumpendumve Deus quid
Præstat, habetque nihil, quod sit pretiosius istis:
Pauper et infirmus, et summo indignus honore,
Et non omnipotens, sed inanis numinis umbra est.
Hac ratione Fides sapienter conjicit, imo
Non dubitat, verum esse Deum, qui, quod sumus et quod
Vivimus, illæsum semper fore, si mereamur,
Nos sperare jubet: Cœlestia si placet, inquit,
Scandere, terrenas animo depellite curas.
Nam quantum subjecta situ tellus jacet infra,
Dividiturque ab humo convexi regia cœli,
Tantum vestra meis distant mundana futuris,
Dira bonis, scelerata piis, tenebrosa serenis.
Quidquid obire potest, fugiatis censeo: quidquid
Naturæ ratione capit vitium, atque senescit,
Pro nihilo, in nihilum quia sunt reditura, putetis.
Cuncta equidem, quæ gignit humus, quæ continet, ipsa
Principio institui, nitidoque insignia mundo
Ornamenta dedi, speciosaque semina finxi.

Sed tamen esse modum volui, parcisque fruenda
Moribus indulsi, quantum moribundus et æger
Corporis ac vitæ volucris sibi posceret usus :
Non ut captus homo studiis, et inaniter ardens,
Duceret omne bonum positum in dulcedine rerum,
Et specie tenuî, quas currere tempore jussi;
Atque ævum statui, sub quo generosa probarem
Pectora : ne torpens et non exercita virtus
Robur enervatum gereret sine laude palæstræ.
Illecebrosus enim sapor est et pestifer horum;
Quæ, dum prætereunt, miro oblectamine mentes
Implicitas vinctasque tenent : vincenda voluptas,
Elaqueanda animi constantia, ne retinaclis
Mollibus ac lentis nexa et captiva prematur.
Luctandum summis conatibus : inter acerba
Sectandum virtutis iter, ne suavia fluxæ
Conditionis amet; nimium ne congerat aurum;
Nec varios lapidum cupide spectare colores
Ambitiosa velit, nec se popularibus auris
Ostentet, pulchroque inflata tumescat honore :
Ne natale solum, patrii ne jugera ruris
Tendat, et externos animum diffundat in agros :
Et ne corporeis addicat sensibus omne
Quod vult, aut quod agit : ne præferat utile justo,
Spemque in me omnem statuat; nunquam peritura
Quæ dedero sunt, æternum mea dona manebunt.
  Hæc igitur spondente Deo, quis fortis et acer,
Virtutisque capax, breve quidque perennibus in se
Prætulerit? vel quis sapiens potiora putarit
Gaudia membrorum, quam vivæ præmia mentis?
Nonne hominem ac pecudem distantia separat una;
Quod bona quadrupedum ante oculos sita sunt? ego contra
Spero, quod extra aciem longum servatur in ævum.

Nam, si tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit superesse meum post funera quidquam,
Quis mihi regnator cœli? quis conditor orbis?
Quis Deus? aut quæ jam merito metuenda potestas?
Ibo per impuros fervente libidine luxus:
Incestabo thoros; sacrum calcabo pudorem:
Inficiabor, habens aliquod sine teste propinqui
Depositum: tenues avidus spoliabo clientes:
Longævam perimam magico cantamine matrem.
Tardat anus dominum dilata morte secundum:
Nec formido malum; falluntur publica jura.
Lex armata sedet; sed nescit crimen opertum:
Aut, si res pateat, judex corrumpitur auro.
Rara reos justa percellit pœna securi.
Sed quid ego hæc meditor? revocat Deus ecce severa
Majestate minax, negat interitura meorum
Per mortem momenta operum: Non occidet, inquit,
Interior qui spirat homo: luet ille perenne
Supplicium, quod subjectos male rexerit artus:
Nec mihi difficile est, liquidam circumdare flammis
Naturam, quamvis perflabilis illa feratur
More Noti: capiam tamen, et tormenta adhibebo
Ipse incorporeus, ac spiritum sator unus.
Quin et corporibus parilis consortia pœnæ
Decernam: possum quoniam renovare favillas
Antiquam in faciem, nec desperanda potestas:
Qui potui formare novum, reparabo peremptum.
Non desunt exempla meæ virtutis in ipsis
Seminibus; natura docet revirescere cuncta
Post obitum; siccantur enim pereunte vigore
Quo vixere prius; tunc sicca et mortua sulcis
Aut foveis mandata latent; et more sepulcri
Obruta, de tumulis redivivo germine surgunt.

Numquid nosse potes, vel conjectare, quis istud
Tam solers opifex struat? aut quæ vis agat intus?
Nil vos, o miseri, Physicorum dogmata fallant.
En, ego gignendi Dominus, ac restituendi,
Quod periit fluxitque, potens : arentia quæque
In veteres formas aut flore aut fronde reduco.
Idque ipsum quandoque homini facturus, inani
Surgat ut ex cinere, structuraque pristina constet,
Quæ mihi pro meritis, vel per tormenta rependat
Crimina, vel summæ virtutis in arce coruscet,
Non peritura dehinc quacumque in sorte manebit.
Interea, dum mixta viget substantia in unum,
Sit memor auctoris proprii, veneretur et oret
Artificem submissa suum : non condidit alter
Halantis animæ figmentum, et corporis alter :
Nec bona præsentis vitæ numerosa gubernant
Numina, non alius segetes et spicea farra
Suppeditat Deus : aut alius dat musta racemis,
Purpureumque gravi fundit de palmite succum.
Ipse ego sum, virides oleas pinguescere baccis
Qui facio, Graia quas Pallade fingitis ortas,
Et qui Lucinas tribuo nascentibus horas.
Duplex lege mea per mutua fœdera sexus
Gignere amat sobolem, generisque propagine gaudet;
Quem vos lascivis violatis amoribus ignem,
Et stupra vestra Deæ Veneris prætexitis umbra.
Unus ego elementa rego, nec mole laboris,
Ut miser infirmusve aliquis fragilisve, fatigor.
Lux immensa mihi est, et non resolubilis ætas,
Sensibus et vestris haud intellecta vetustas.
Inde ministeriis ad tot moderamina mundi
Non egeo nec participes sociosve requiro.
Porro autem Angelicas legiones, quas mea fecit

Dextera, nosse meum est, et quæ natura creatis
Subsistat, qualesque mihi serventur ad usus.
Tu, me præterito, meditaris numina mille,
Quæ simules parere meis virtutibus, ut me
Per varias partes minuas: cui nulla recidi
Pars aut forma potest: quia sum substantia simplex,
Nec pars esse queo; solis divisio rebus
Compositis factisque subest: me nemo creavit,
Ut scindi valeam, cunctorum conditor unus.
Crede, quod ex nihilo formavi, pars mea non est.
Quare age, mortalis, soli mihi construe templum,
Meque unum venerare Deum: cæmenta remitto,
Et quæ saxa Paros secat, et quæ Punica rupes,
Quæ viridis Lacedæmon habet, maculosaque Synnas.
Nativum nemo scopuli mihi dedicet ostrum:
Templum mentis amo, non marmoris: aurea in illo
Fundamenta manent fidei: structura nivali
Consurgit pietate nitens: tegit ardua culmen
Justitia: interius spargit sola picta rubenti
Flore pudicitiæ pudor almus, et atria servat.
Hæc domus apta mihi est: hæc me pulcherrima sedes
Accipit, æterno cœlestique hospite digna.
Nec novus hic locus est: fluxit mea gloria in artus,
Et lux vera Dei. Deus illustravit alumnam
Materiem, corpusque parens habitabile fecit
Ipse sibi, placito ut possit requiescere templo.
Condideram perfectum hominem: spectare superna
Mandaram: totis conversum sensibus in me
Cecto habitu, celsoque situ, et sublime tuentem:
Sed despexit humum, seque inclinavit ad orbis
Divitias, pepulitque meum de pectore numen.
Restituendus erat mihimet: submissus in illum
Spiritus ipse meus descendit, et edita limo

Viscera divinis virtutibus informavit ;
Jamque hominem assumptum summus Deus in Deitatem
Transtulit, ac nostro docuit recalescere cultu.
Scire velim, præcepta patris quibus auribus hæc tu
Accipias, Italæ censor doctissime gentis.
An veterem tantum morem ratione relicta
Eligis? et dici patitur sapientis acumen,
Ingeniumque viri? potior mihi pristinus est mos,
Quam via justitiæ, pietas quam prodita cœlo,
Quamque fides veri, rectæ quam regula sectæ.

SYMMACHUS.

Suus cuique mos, suus cuique ritus est. Jam si longa ætas auctoritatem religionibus faciat, servanda est tot sæculis fides, et sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos.

PRUDENTIUS.

SECT. III.

Si quidquid rudibus mundi nascentis in annis
Mos habuit, sancte colere ac servare necesse est:
Omne revolvamus sua per vestigia sæclum
Usque ad principium: placeat damnare gradatim
Quidquid posterius successor repperit usus.
Orbe novo, nulli subigebant arva coloni[1]:
Quid sibi aratra volunt? quid cura superflua rastri?
Ilignis[2] melius saturatur glandibus alvus.

[1] Tale illud Virgilii, lib. I. Georg. vers. 125.

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni,

[2] Hac voce veteres usi, quos inter Horatius, *Satir.* lib. II. Sat. IV, vers. 40.

Umber et iligna nutritus glande rotundas
Curvet aper lances carnem vitantis inertem.

Primi homines cuneis scindebant fissile lignum :
Decoquat in massam fervens strictura secures
Rursus, et ad proprium restillet vena metallum.
Induvias cæsæ pecudes, et frigida parvas
Præbebat spelunca domos : redeamus ad antra,
Pellibus insutis hirtos sumamus amictus.
Immanes quondam populi, feritate subacta
Edomiti, jam triste fremant, iterumque ferinos
In mores redeant, atque ad sua prisca recurrant.
Præcipitet Scythica juvenis pietate victum
Votivo de ponte patrem : sic mos fuit olim.
Cædibus infantum fument Saturnia sacra,
Flebilibusque truces resonent vagitibus aræ.
Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo :
Sic tradunt habitasse Remum; regalia fœno
Fulcra supersternant, aut pelle Libystidis [2] ursæ
Compositam chlamydem villoso corpore gestent :
Talia Trinacrius ductor vel Tuscus habebant.
Roma antiqua sibi non constat, versa per ævum,
Et mutata sacris, ornatu, legibus, armis :
Multa colit, quæ non coluit sub rege Quirino :
Instituit quædam melius, nonnulla refugit.
Et morem variare suum non destitit; et, quæ
Pridem condiderat jura, in contraria vertit.
Quid mihi tu ritus solitos, Romane Senator,
Objectas? cum scita patrum populique frequenter
In tabulis placiti sententia flexa novarit?
Nunc etiam, quoties solitis decedere prodest,
Præteritosque habitus cultu damnare recenti,

[1] Virgilius, lib. VIII, Æneid., vers. 366.

. . . . . Augusti subter vestigia tecti
Ingentem Æneam duxit; stratisque locavit,
Effectum foliis, et pelle Libystidis ursæ.

Gaudemus compertum aliquid, tandemque retectum,
Quod latuit: tardis semper processibus aucta
Crescit vita hominis, et longo proficit usu.
Sic ævi mortalis habet se mobilis ordo;
Sic variat natura vices: infantia repit,
Infirmus titubat pueri gressusque animusque:
Sanguine præcalido fervet nervosa juventa:
Mox stabilita venit maturi roboris ætas:
Ultima consiliis melior, sed viribus ægra,
Corpore succumbit, mentem purgata senectus.
His genus humanum per dissona tempora duxit
Curriculis ævum mutabile: sic hebes inter
Primitias, mersumque solo, ceu quadrupes, egit.
Mox tenerum docili ingenio, jamque artibus aptum
Noscendis, varia rerum novitate politum est.
Inde tumens vitiis calidos adolevit in annos,
Donec decocto solidaret robore vires.
Tempus adest, ut jam sapiat divina, serenæ
Mentis consilio, vivacius abdita solers
Quærere, et æternæ tandem invigilare saluti.
Quanquam, si tantus amor est et cura vetusti
Moris, et a prisco placet haud discedere ritu,
Extat in antiquis exemplum nobile libris,
Jam tunc diluvii sub tempore, vel prius, uni
Inservisse Deo gentem, quæ prima recentes
Incoluit terras vacuoque habitavit in orbe.
Unde genus ducit nostræ porrecta propago
Stirpis, et indigenæ pietatis jura reformat
Sed quia Romanis loquimur de cultibus, ipsum
Sanguinis Hectorei populum probo, tempore longo
Non multos coluisse Deos, rarisque sacellis
Contentum, paucas posuisse in collibus aras.
Innumeros post deinde Deos, virtute subactis

Urbibus, et claris peperit sibi Roma triumphis,
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris simulacra hostilia cepit,
Et captiva domum, venerans ceu numina, vexit.
Hoc signum rapuit bimaris de strage Corinthi,
Illud ab incensis in prædam sumpsit Athenis.
Quasdam victa dedit capitis Cleopatra canini
Effigies: quasdam, domitis Ammonis arenis,
Syrtica cornutas facies habuere tropæa.
Roma triumphantis quoties ducis inclyta currum
Plausibus excepit; toties altaria Divum
Addidit, et spoliis sibimet nova Numina fecit:
Numina, quæ, patriis cum mœnibus eruta, nullum
Præsidium potuere suis afferre sacellis.
Cernis, ut antiqui semper vestigia moris
Gressibus incertis varie titubasse probentur,
Asciscendo Deos majoribus incompertos,
Seque peregrina sub relligione dicasse.
Nec ritus servasse suos? quodcumque sacrorum est,
Exulat, externumque inimicam venit in urbem.
Frustra igitur solitis, prava observatio, inhæres.
Non est mos patrius, quem diligis, improba: non est.
Sed solers orator ait: Fataliter urbem
Sortitam, quonam Genio proprium exigat ævum.
Cunctis nam populis seu mœnibus inditur, inquit,
Aut fatum, aut Genius, nostrarum more animarum,
Quæ sub disparili subeunt nova corpora sorte.

SYMMACHUS.

Varios custodes urbibus mens divina distribuit. Ut anima nascentibus, ita populis fatales Genii dividuntur.

PRUDENTIUS.

SECT. IV.

Jam primum, qui sit Genius, vel qui status illi

Competat, ignoro; quid possit, et unde oriatur
Spiritus informis, sine corpore; formave, et ulla
Sit species, et quid sapiat, quæ munera curet:
Contra, animas hominum venis vitalibus intus
Sic interfusas intelligo, sanguis ut ex his
Accipiat motumque levem, tenerumque vaporem.
Unde pererratis vegetet præcordia membris,
Frigida succendat, riget arida, dura relaxet.
Sic hominis vitam sibi temperat atque gubernat
Vivida mens, quam tu ficto componere tentas
Murorum Genio, qui nusquam est, nec fuit unquam.
Quid et corporibus versat mens viva regendis
Summum consilium, fida ut tutacula nudis
Invalidisque paret, metuenda pericula vitet:
Utile prospiciat, varias agitetur ad artes;
Consultet, cui se domino submittat, et orbis
Quem putet auctorem, quem rerum summa sequatur.
At tuus hic Urbis Genius, dicas volo, quando
Cœpit adhuc parvæ primum se infundere Romæ,
Fluxit ab uberibus nemorosa in valle lupinis,
Infantesque aluit, dum nascitur ipse, gemellos?
An cum vulturibus volitans ignota per auras
Umbra, repentinam traxit de nube figuram?
Culminibus summis sedet, an penetralia servat?
Instituit mores, et jura forensia condit?
An castrorum etiam fossis intervenit? acres
Cogit ad arma viros, lituis ciet, urget in hostem?
Quæ, quis non videat sapientum digna cachinno?
  Fingamus tamen esse aliquam, quæ talia curet,
Umbram sive animam, per quam Respublica fatum
Hauserit, et calidis animetur tota medullis.
Cur non hæc eadem de relligione colenda
Consultat? cur non suspectat libera cœlum?

Cur sibi præscriptum non commutabile fatum,
Ut captiva, putat? genesis cur vincula fingit?
Cur jam nolle licet, quod tunc voluisse licebat,
Erroresque abolere suos, ac flectere sensus?
Sic septingentis erravit circiter annis,
Lubricaque et semper dubitans, quæ forma placeret
Imperii, quæ regnandi foret æqua potestas.
Regius exortam jam tunc habuit status Urbem,
Non sine grandævis curarum in parte locatis.
Mox proceres de stirpe senum tractasse videmus
Clavum consilii: plebeias inde catervas
Collatas patribus, mixtim ditionibus æquis,
Imperitasse diu, belloque et pace regendis.
Consule nobilitas viguit: plebs fisa tribuno est.
Displicet hic subito status, et bis quina creantur
Summorum procerum fastigia, quos duodeni
Circumstant fasces, simul et sua quemque securis.
Rursus se geminis reddit ductoribus omnis
Publica res, et Consulibus dat condere fastos.
Ultima sanguineus turbavit sæcla Triumvir.
Fluctibus his olim fatum, Geniusve, animusve
Publicus erravit: tandem deprendere rectum
Doctus iter, caput Augustum diademate cinxit,
Appellans patrem patriæ, populi, atque Senatus
Rectorem, qui militiæ sit ductor, et idem
Dictator, censorque bonus, morumque magister,
Tutor opum, vindex scelerum, largitor honorum.
Quod si tot rerum gradibus toties variatis
Consiliis, ægre tandem pervenit ad illud
Quod probet, ac sancto reverentia publica servet
Fœdere: quid dubitat divina agnoscere jura,
Ignorata prius sibimet, tandemque retecta?
Gratemur, jam non dubitat: nam subdita Christo

Servit Roma Deo, cultus exosa priores.
Romam dico viros, quos mentem credimus urbis,
Non Genium, cujus frustra simulatur imago.
Quanquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos Genios? perque omnia membra
Urbis, perque locos, Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra?
Restat, ut et fatum similis dementia cunctis,
Ædibus imponat, paries ut quisque sub astro
Fundatus structusque suo, qua sorte maneret,
Quando autem rueret, primis acceperit horis,
Ascribunt saxis, Lachesis male fortia fila,
Tectorumque trabes fusis pendere rotatis
Credunt, atque ipsis tribuunt decreta tigillis:
Ceu distet, cujus stellæ sit fraxinus ortu
Eruta, quæ summum conscenderet ardua culmen.
  Denique nulla hominum res est, nulla actio mundi,
Cui non fatalem memorent incumbere sortem.
Quæ quia constituunt, dicant, cur condita sit lex
Bis sex in tabulis: aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, et inevitabile mergunt.
Quin et velle adigunt, pravum insinuantia votum,
Ne liceat miseris vetitum committere nolle.
Cedite, si pudor est, gladiumque retundite vestrum:
Aspera nil meritos pœnis plectentia jura:
Antrum carcereum dissolvite, corpora sub quo
Agminis innocui fato peccante tenetis.
Nemo nocens, si fata regunt, quod vivitur, ac fit:
Imo nocens, quicumque volens, quod non licet, audet.
Alterutrum quia velle suum est, nec facta reatum
Imponunt homini, sed fit reus ipse suopte

Arbitrio, placitumque nefas et facta rependit
Impia suppliciis, merito, non sorte peremptus.
Quisque putat fato esse locum, sciat, omniparentem
Esse Deum, nulli vetitum fatalibus astris,
Nec mathesis præscripto aliquo pia vota repelli[1].
Spirat enim majora animus, seque altius effert
Sideribus, transitque vias et nubila fati,
Et momenta premit pedibus, quæcumque putantur
Figere propositam natali tempore sortem.
Huc ades, omne hominum genus, huc concurrite et [urbes,]
Lux immensa vocat, factorem noscite vestrum:
Libera secta patet; nil sunt fatalia: vel si
Sunt aliqua, opposito vanescunt irrita Christo.

SYMMACHUS.

Accedit utilitas, quæ maxime homini Deos asserit. Nam cum ratio omnis in operto sit, unde rectius quam de memoria atque documentis rerum secundarum, cognitio venit numinum?

PRUDENTIUS.

SECT. V.

Sed multi duxere Dei per prospera Romam:
Quos colit ob meritum magnis donata triumphis.
Ergo age, bellatrix, quæ vis subjecerit, ede,
Europam Libyamque tibi: dic nomina Divum.
Juppiter, ut Cretæ domineris; Pallas, ut Argis;
Cynthius, ut Delphis, tribuerunt omine dextro.
Isis Nilicolas, Rhodios Cytherea reliquit.
Venatrix Ephesum Virgo, Mars dedidit Hebrum;
Destituit Thebas Bromius, concessit et ipsa

[1] Apud quosdam sic scribitur iste versus

Nec præscripto aliquo pellit pia vota mathesis.

Juno suos Phrygiis servire nepotibus Afros :
Et quam subjectis dominam Dea gentibus esse;
Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque;
Jussit Romuleis addictam vivere frenis.
Perfidia-ne Deum indigenum cecidere tot urbes?
Destructæque jacent ipsis prodentibus aræ?
O pietas, o sancta fides! traduxit alumnos
Majestas infida locos, et creditur istis
Numinibus, quæ transfugio meruere sacrari?
An voluit servare suos, luctataque multum
Relligio infestas tentavit pellere turmas,
Romanis obnixa globis? sed fortior illam
Virtus luctifico camporum in pulvere fregit.
Imo ita est : armis et viribus indiga veri
Victa superstitio est, et inanem gloria fugit.
Sed nec difficilis fuit, aut satis ardua genti
Natæ ad procinctus victoria, frangere inertes,
Molliaque omnigenum colla inclinare Deorum.
Nuc cum Dictæis bellum Corybantibus asper
Samnitis, Marsusque levi sudore gerebat.
Tum mastigophoris, eleoque et gymnadis arte
Unctis pugilibus, miles pugnabat Etruscus :
Nec petaso insignis poterat Lacedæmone capta
Mercurius servare suas de clade palæstras.
Apenninicolam peditem Cybeleius hostis
Congressu excipiens, Asiam defendere et Idam
Quî potuit, cogente acies in prælia Gallo?
Idalias nisi forte rosas, laurum citharœdi
Vatis, sylvicolæ calamos arcumque puellæ
Dedere servitio, calcataque sacra domare
Difficilis operis fuit immensique laboris.
Fluctibus Actiacis signum symphonia belli
Æ pto dederat, clangebat buccina contra.

Institerant tenues cymbæ fragilesque phaseli
Inter turritas Memphitica rostra Liburnas:
Nil potuit Serapis Deus, et latrator Anubis.
Stirpis Juleæ ductore, exercitus ardens
Prævaluit, Boreæ quem miserat algidus axis.
Non armata Venus, non tunc clypeata Minerva
Venere auxilio: non Divum degener ordo,
Et patria extorris, Romanis adfuit armis.
Victus et ipse prius, inimica nec agmina juvit:
Si tamen antiquum norat retinere dolorem.
Sed dicis, legisse Deos, ubi sanctior usus
Templorum, cultu celebri, sine fine maneret;
Æneadumque ultro victricia signa virorum
Regis amore Numæ, nullo cogente, secutos.
Num Diomedis item tentoria, et acris Ulyssis
Castra volens Pallas, cæsis custodibus arcis,
Legit, ubi humenti sudaret mœsta sigillo?
Aut quoties ductor Macetum fortissimus altos
Templorum cineres victis cumulavit Amyclis:
Optarunt prædis domini se numina capta
Misceri, Assyriæque vehi Babylonis ad arcem?
Non fero Romanum nomen, sudataque bella,
Et titulos tanto quæsitos sanguine carpi.
Detrahit invictis legionibus, et sua Romæ
Præmia deminuit; qui, quidquid fortiter actum est,
Ascribit Veneri, palpam victoribus aufert.
Frustra igitur currus summo miratur in arcu
Quadrijugos, stantesque duces in curribus altis
Fabricios, Curios; hinc Drusos, inde Camillos:
Sub pedibusque ducum captivos poplite flexo
Ad juga depressos, manibusque in terga retortis,
Et suspensa gravi telorum fragmina trunco:
Si Brennum, Antiochum, Persen, Pyrrhum, Mithridatem,

Flora, Matuta, Ceres, et Larentina subegit.
His tamen auspicibus successus dextra dederunt
Omnia lætificos, et felix adfuit ales.
Quid sibi vult virtus? quid gloria? si Corvinum
Corvus Apollineus penna vel gutture juvit?
Sed tamen hic corvus cur defuit exitiali
Forte die, infaustas tegerent cum funera Cannas,
Oppeteretque super congesta cadavera Consul?
Cur Cremeræ in campis, cornice vel oscine parrha [1],
Nemo Deum monuit perituros Marte sinistro
Tercentum Fabios, vix stirpe superstite in uno?
Nulla-ne tristificis Tritonia noctua Carris
Advolitans, præsto esse Deam prænuntia Crasso
Prodidit? aut Paphiam niveæ vexere columbæ,
Cujus inauratum tremeret gens Persica limbum [2].
Sed video, quæ te moveant exempla vetustæ
Virtutis: dicis domitum terraque marique
Orbem: res lætas et prospera quæque retexis:
Mille triumphorum memoras ex ordine pompas.
Ductaque per mediam spoliorum fercula Romam.
Vis dicam, quæ causa tuos, Romane, labores
In tantum extulerit? quis gloria fotibus aucta
Sic cluat, impositis ut mundum frenet habenis?
Discordes linguis populos, et dissona cultu
Regna volens sociareDeus, subjungier uni
Imperio, quidquid tractabile moribus esset,
Concordique jugo renitacula mollia ferre

[1] Avis inauspicata. Horatius *Carm.* lib. III. od. XXVII, vers. 1.

Impios parrhæ recinentis omen
Ducat.

[2] Fabricius legit *nimbum*, qui splendor est circa divina corpora. Unde, ut Servius ait, *Nimbus cum numinibus semper est; et hoc modo nostri divi eum nimbo aurato pinguntur.*

Constituit, quo corda hominum conjuncta teneret
Relligionis amor : nec enim fit copula Christo
Digna, nisi implicitas societ mens unica gentes.
Sola Deum novit concordia, sola benignum
Rite colit tranquilla patrem : placidissimus illum
Fœderis humani consensus prosperat orbi,
Seditione fugat, sævis exasperat armis,
Munere pacis alit, retinet pietate quieta.
Omnibus in terris, quas destinet occidualis
Oceanus, roseoque Aurora illuminat ortu,
Miscebat Bellona furens mortalia cuncta,
Armaratque feras in vulnera mutua dextras
Hanc frenaturus rabiem Deus, undique gentes
Inclinare caput docuit, sub legibus îsdem,
Romanosque omnes fieri, quos Rhenus et Ister,
Quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Hiberus,
Corniger Hesperidum [1] quos interlabitur, et quos
Gangis alit, tepidique lavant septem ostia Nili.
Jus fecit commune pares, et nomine eodem
Nexuit, et domitos fraterna in vincla redegit.
Vivitur omnigenis in partibus, haud secus ac si
Cives congenitos concludat mœnibus unis
Urbs patria, atque omnes lare conciliemur avito.
Distantes regione plagæ, divisaque ponto
Littora conveniunt nunc per vadimonia ad unum
Et commune forum, nunc per commercia et artes
Ad cœtum celebrem, nunc per genialia fulcra
Externi ad jus connubii : nam sanguine mixto

[1] Tibris scilicet, qui ob magnitudinem Romæ quam præterfluit, a Virgilio Æneid. III, vers. 77 vocatur

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.

Corniger autem dictus, quia flexuosos dividitur in alveos, qui vocantur cornua.

Texitur alternis ex gentibus una propago.
Hoc actum est tantis successibus atque triumphis
Romani imperii : Christo jam tunc venienti,
Crede, parata via est, quam dudum publica nostræ
Pacis amicitia struxit moderamine Romæ.
Nam locus esse Deo quis posset in orbe feroci,
Pectoribusque hominum discordibus, et sua jura
Dissimili ratione tuentibus, ut fuit olim?
Sic incompositos humano in pectore sensus,
Disjunctasque animi turbato fœdere partes,
Nec liquida invisit sapientia, nec Deus intrat.
At si mentis apex, regnandi jure potitus,
Pugnacis stomachi pulsus fibrasque rebelles
Frenet, et omne jecur ratione coërceat una :
Fit stabilis vitæ status, et sententia certa
Haurit corde Deum, Domino et subjungitur uni.
En ades, Omnipotens, concordibus influe terris :
Jam mundus te, Christe, capit; quem congrege nexu
Pax et Roma tenent : capita hæc et culmina rerum
Esse jubes, nec Roma tibi sine pace probatur.
Et, pax ut placeat, facit excellentia Romæ,
Quæ motus varios simul et ditione coërcet,
Et terrore premit : nec enim spoliata prioris
Robore virtutis senuit, nec sæcula sensit,
Nec tremulis, cum bella vocant, capit arma lacertis :
Nec tam degeneri venerandis supplicat ore
Principibus, quam vult prænobilis ille Senator,
Orandi arte potens, et callida fingere doctus,
Mentitumque gravis personæ inducere pondus :
Ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato,
Grande aliquod cujus per hiatum crimen anhelet.

SYMMACHUS.

Romam nunc putemus assistere, atque his vobiscum agere sermonibus : optimi principes, patres patriæ, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit. Utar cæremoniis avitis; neque enim pœnitet. Vivam more meo; quia libera sum. Hic cultus in leges meas orbem redegit : hæc sacra Hannibalem a mœnibus, a Capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ergo servata sum, ut longæva reprehendar? videam quod instituendum putatur; sera tamen, et contameliosa emendatio senectutis. Ergo Diis patriis, Diis indigetibus pacem rogamus.

PRUDENTIUS.

SECT. VI.

Si vocem simulare licet, nempe aptior ista
Vox Romæ est, quam nunc ejus sub nomine promam.
Quæ, quia turpe putat templorum flere repulsam,
Ægidaque in dubiis pro se pugnasse periclis
Dicere, seque gravem senio inclinante fateri,
Ductores complexa suos, sic læta profatur :
O clari salvete duces, generosa propago
Principis invicti, sub quo senium omne renascens
Deposui, vidique meam flavescere rursus
Canitiem : nam cum mortalia cuncta vetustas
Imminuat, mihi longa dies aliud parit ævum,
Quæ, vivendo diu, didici contemnere finem.
Nunc nunc justa meis reverentia competit annis :
Nunc merito dicor venerabilis, et caput orbis,
Cum galeam sub fronde oleæ cristasque rubentes
Concutio, viridi velans fera cingula serto;

Atque armata Deum sine crimine cædis adoro.
Crimen enim, piget heu! crimen persuaserat atrox
Juppiter, ut sacro justorum sanguine tincta,
Assuetum bellis scelerarem funere ferrum.
Illius instinctu primus Nero, matre perempta,
Sanguinem apostolicum bibit, ac me strage piorum
Polluit, et proprium facinus mihi sævus inussit.
Post hunc et Decius, jugulis bacchatus apertis,
Insanam pavit rabiem: mox et sitis arsit
Multorum similis, per vulnera tristia flagrans,
Extrahere insignes animas, ac ludere pœnis,
Undantesque meum in gremium defundere mortes;
Et sub jure fori non noxia colla secare.
Hac me labe ream modo tempora vestra piarunt.
Vivo pie vobis auctoribus, impia pridem
Arte Jovis, fateor: quid enim non ille cruentum
Tradidit? aut quid mite sibi placidumve poposcit?
Qui, dum præmetuit cultus inolescere Christi,
Sæviit, ac miserum fœdavit sanguine sæclum.
Et sunt, qui nobis bella exprobrare sinistra
Non dubitent, postquam templorum sprevimus aras;
Affirmentque Lybin Collinæ a cardine portæ
Annibalem Jovis imperio Martisque repulsum:
Victores Senonas Capitoli ex arce fugatos,
Cum super e celso pugnarent numina saxo.
Qui mihi præteritam cladem, veteresque dolores
Inculcant iterum; videant me tempore vestro
Jam nil tale pati; nullus mea barbarus hostis
Cuspide claustra quatit: non armis, veste, comisque
Ignotus, capta passim vagus errat in urbe,
Transalpina meam rapiens in vincula pubem.
Tentavit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio veniens juratus ab Istro,

Has arces æquare solo, tecta aurea flammis
Solvere, mastrucis proceres vestire togatos.
Jamque ruens, Venetos turmis protriverat agros,
Et Ligurum vastarat opes, et amœna profundi
Rura Padi, Tuscumque solum victo amne premebat.
Depulit hos nimbos equitum non pervigil anser,
Proditor occulti tenebrosa nocte pericli:
Sed vis cruda virum, perfractaque congredientum
Pectora, nec trepidans animus succumbere letho
Pro patria, et pulchram per vulnera quærere laudem.
Numquid et ille dies Jove contulit auspice tantum
Virtutis pretium? dux agminis imperiique
Christipotens nobis juvenis fuit, et comes ejus
Atque parens Stilico: Deus unus Christus utrique.
Hujus adoratis altaribus, et Cruce fronti
Inscripta, cecinere tubæ: prima hasta dracones
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.
Illic, ter denis gens exitiabilis annis
Pannoniæ, pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famosis olim ditata rapinis
In cumulos congesta jacent: mirabere seris,
Posteritas, sæclis inhumata cadavera late,
Quæ Pollentinos texerunt ossibus agros.
Si potui manibus Gallorum excisa levare
De cinerum squalore caput, redeunte Camillo
Signa renidenti fumans si fronte recepi:
Si potui miseras sertis redimire ruinas,
Et male pendentes lauro præcingere turres:
Quo te suscipiam gremio, fortissime princeps?
Quos spargam flores? quibus insertabo coronis
Atria? quæ festis suspendam pallia portis,
Immunis tanti belli, ac te stante sub armis
Libera, et aure tenus Geticos experta tumultus?

Scande triumphalem currum, spoliisque receptis
Huc Christo comitante veni : date, vincula demam
Captivis gregibus, manicas deponite, longo
Tritas servitio, matrum juvenumque catervæ.
Dediscat servire senex laris exul aviti,
Discat et ad patrium limen genitrice reversa
Ingenuum se nosse puer; timor omnis abesto.
Vicimus : exultare libet; quid tale, repulso
Pœnorum quondam duce, contigit? ille petitæ
Postquam perculerat tremefacta repagula portæ,
Bajanis resolutus aquis durissima luxu
Robora destituit, ferrumque libidine fregit.
At noster Stilico congressus cominus ipsa
Ex acie ferrata virum dare terga coëgit.
Hic Christus nobis Deus affuit, et mera virtus :
Illic lascivum, Campania fertilis, hostem
Deliciæ vicere tuæ : non Juppiter acrem
Protexit Fabium, sed juvit amœna Tarentus,
Quæ dedit illecebris domitum calcare tyrannum.
His ego pro meritis quæ præmia digna rependam,
Non habeo; membra statuis effingere vile est.
Virtutem nil vile decet : nam vile, quod ætas
Eripit; æra cadunt, aut fulvum defluit aurum;
Aut candor perit argenti, si defuit usus;
Et fuscata situ corrumpit vena colorem.
Viva tibi, princeps, debetur gloria, vivum
Virtutis pretium, decus immortale secuto.
Regnator mundi Christo sociabere in ævum,
Quo ductore meum trahis ad cœlestia regnum.
Nil te permoveat magni vox rhetoris, oro,
Qui sub legati specie sacra mortua plorans,
Ingenii telis et fandi viribus audet,
Heu! nostram tentare fidem : nec te videt, ac me

Devotos, Auguste, Deo : cui sordida templa
Clausimus, et madidas sanie dejecimus aras.
Unus nostra regat servetque palatia Christus,
Ne quis Romuleas Dæmon jam noverit arces,
Sed soli pacis Domino mea serviat aula.
Sic affata pios Roma exoravit alumnos,
Spernere legatum non admittenda petentem,
Legatum Jovis ex adytis ab aruspice missum :
At non a patria : patriæ nam gloria Christus.
Persistit tamen affirmans, iter esse viandi
Multifidum variumque Deus cum quæritur unus.
Hinc alios, ast inde alios properare seorsim
Quemque per anfractus proprios; sed compita eodem
Fine coarctari, simul et concurrere in unum.
Quinetiam cœlum atque solum, ventos, mare, nubes
Omnibus in commune dari, vel qui colimus te,
Christe, vel exta litant sculptis qui tabida saxis.

SYMMACHUS.

Æquum est quidquid omnes colunt, unum putari. Eadem spectamus astra; commune cœlum est : idem nos mundus involvit. Quid interest qua quisque prudentia verum requirat? Uno itinere non potest perveniri ad tam grande secretum.

PRUDENTIUS.

SECT. VII.

Non nego communem cunctis viventibus usum
Aëris, astrorum, pelagi, telluris et imbris.
Imo etiam injustus pariter, justusque sub uno
Axe habitant, unas capit impius et pius auras :
Castus et incestus, meretrix et nupta : nec alter

Ore sacerdotis, quam myrmillonis anhelat
Spiritus, aërio vitam qui temperat haustu.
Nubes verna pluit Zephyro impellente, sed æque
Furis et innocui fœcundat rura coloni.
Gurgitis æstivi sic pura fluenta viator,
Ut Latro fessus, adit: sic piratis mare servit,
Ut mercatori: nec fluctus secius hosti
Obsequitur, quam cum licitæ fert transtra carinæ.
  Ergo capax utriusque rei natura creandis
Se præbet populis, nec habet discernere dispar
Viventum meritum, quos tantum pascere jussa est.
Servit enim mundus, non judicat: hoc sibi summus
Naturæ Dominus præscripta in tempora servat.
Nunc adsunt homini data munera legibus îsdem,
Quîs concessa semel; fons labitur, amnis inundat,
Velivolum ratibus mare finditur, influit imber,
Aura volat tenuis; vegetatur mobilis aër,
Et res naturæ fit publica, promptaque cunctis,
Dum servant elementa suum famulantia cursum:
Sic probus atque reus capitalis criminis îsdem
Sideribus, facilisque poli bonitate fruuntur.
Vivere commune est, sed non commune mereri.
  Denique Romanus, Daha[1], Sarmata, Vandalus, Hunnus,
Getulus, Garamas, Alamannus, Saxo, Galaulas,
Una omnes gradiuntur humo, cœlum omnibus unum est,
Unus et Oceanus, nostrum qui continet orbem.
Addo aliud: nostros potant animalia fontes:
Ipso rore mihi seges est, quo gramen onagris,
Sordida sus nostro amne natat, nostra intrat et ipsos
Aura canes, animatque levi fera corpora flatu.
Sed tantum distant Romana et barbara, quantum

[1] Dahæ inter Oxum et Joxartem, non procul a maris Caspii littoribus habitabant.

Quadrupes abjuncta est bipedi, vel muta loquenti:
Quantum etiam qui rite Dei præcepta sequuntur,
Cultibus a stolidis, et eorum erroribus absunt.
Non facit ergo pares in relligione tuenda
Aëris et cœli communio: corpora tantum
Gignit, alit, reparat, recidivaque semina servat.
Nec refert cujus generis, cujusve figuræ,
Aut cujus meriti: modo sint, ut corpora terra
Edita: terrenis quibus est vigor ex elementis:
Artificis quia Patris opus discrimine nullo
Influit in medium, nec avaro munere currit:
Ante datum, quam primus homo sordesceret Adam,
Nec vitio utentum restrictum deficit, aut se
Subtrahit indignis, nec fœda et turpia vitat.
Haud aliter solis radius colluminat omnes
Diffuso splendore locos; ferit aurea tecta:
Sed ferit et nigro sordentia culmina fumo:
Intrat marmoribus Capitolia clara: sed intrat
Carceris et rimas, et tetra foramina clausi
Stercoris, et spurcam redolenti in fornice cellam.
Sed non illud erunt obscura ergastula, quod sunt
Regia gemmato laquearia fulva metallo:
Nempe magis non illud erunt, qui numen in urnis
Quærunt ac tumulis, et larvas sanguine placant:
Quod sunt qui summum cœli Dominum venerantur,
Justitiamque litant, et templum pectoris ornant.
Secretum sed grande nequit rationis opertæ
Quæri aliter, quam si parsis via multiplicetur
Tramitibus, et centenos terat orbita calles,
Quæsitura Deum variata indage latentem.
Longe aliud verum est: nam multa ambago viarum,
Anfractus dubios habet, et perplexius errat:
Sola errore caret simplex via, nescia flecti

In diverticulum, biviis nec pluribus anceps.
Non tamen inficior, duplex occurrere nobis
Semper iter, geminis mortalia partibus ire,
Cum dubitant, quonam ferat ignorantia gressum.
Altera multifida est: at simplex altera, et unum
Una Deum sequitur; Divos colit altera plures,
Et tot sunt ejus divortia, quot templorum
Signa, quot aëriis volitant phantasmata monstris.
Aut hos thyrsigeri rapit ad Dionysia Bacchi,
Illicit aut alios ad Saturnalia festa:
Aut docet occultus quæ sacra Diespiter infans
Inter tinnitus solvi sibi poscat ahenos
Jamque Lupercales ferulæ, nudique petuntur
Discursus juvenum: Megalesius hinc spado, diris
Incensus furiis, cæca ad responsa vocatur.
Sunt qui quadriviis brevioribus ire parati
Vilia Niliacis venerantur oluscula in hortis:
Porrum et cepe Deos imponere nubibus ausi,
Alliaque et Serapin cœli super astra locare.
Isis enim, et Serapis, et grandi simia cauda,
Et crocodilus idem, quod Juno, Laverna, Priapus.
Hos tu, Nile, colis; illos tu, Tibris, adoras:
Una superstitio est, quamvis non concolor error.
Hinc alia exoritur, tenebrosis tecta frutetis,
Semita, quam pecudes et muta animalia carpunt,
Quæque latens sylvis operitur, nescia cœli
Mens hominum, sævo vivens captiva tyranno!
Hæc putat esse Deum nullum: namque omnia verti
Casibus, et nullo sub præside sæcla rotari.
Hoc iter haudquaquam magno discrimine distat
Hisce viis, quas vos teritis, qui numina multa,
Et portenta, Deum summum, numerosa putatis.
Simplicis ergo viæ dux est Deus, ille per unam

Ire jubet mortale genus, quam dirigit ipse
Sublime dextro celsam ad fastigia clivo.
Prima viæ facies inculta, subhorrida, tristis,
Difficilis, sed fine sui pulcherrima, et amplis
Prædita divitiis, et abundans luce perenni,
Et quæ præteritos possit pensare labores.
Multiplici dux Dæmon adest, qui parte sinistra
Centifidum confundit iter, trahit inde sophistas
Barbatos, trahit hinc opibus vel honore potentes:
Illicit et volucrum linguis; et aruspice fallit,
Instigat bacchantis anus ambage Sybillæ,
Involvit mathesi, magicas impellit in artes.
Omine sollicitat, capit augere, territat extis.
Cernis, ut una via est multis anfractibus errans,
Talem passa ducem, qui non sinat ire salutis
Ad Dominum, sed mortis iter per devia monstret?
Devia, picta bonis brevibus, sed fine sub ipso
Tristia, et in subitam præceps immersa Charybdim,
Ite procul, gentes: consortia nulla viarum
Sunt vobis cum plebe Dei: discedite longe,
Et vestrum penetrate Chaos, quo vos vocat ille
Prævius infernæ perplexa per avia noctis.
At nobis vitæ Dominum quærentibus unum
Lux iter est, et clara dies, et gratia simplex.
Spe sequimur, gradimurque fide, fruimurque futuris:
Ad quæ non veniunt præsentis gaudia vitæ,
Nec currunt pariter capta et capienda voluptas.

SYMMACHUS.

Quanto commodo sacri ærarii vestri Vestalium virginum prærogativa detracta est? Sub largissimis Imperatoribus denegatur, quod parcissimi præstiterunt? Honor solus est in illo velut stipendio castitatis. Ut

vittæ earum capiti decus faciunt, ita insigne ducitur, sacerdoti vacare muneribus. Nemo me putet tueri solam causam religionum. Ex hujusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incommoda. Honoraverat lex parentum Vestales virgines, ac ministros Deorum, victu modico, justisque privilegiis. Stetit muneris hujus integritas usque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium bajulorum sacræ castitatis alimenta verterunt. Secuta est hoc fames publica, et spem provinciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum : nihil imputamus astris. Nec rubigo segetibus obfuit, nec avena fruges necavit : sacrilegio annus exaruit. Necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Quid tale provinciæ pertulerunt cum religionum ministros honor publicus pasceret? commendabat enim terrarum proventus, victus Antistitum, et remedium magis, quam largitas erat. An dubium est semper pro copia omnium datum, quod nunc inopia omnium vindicavit?

PRUDENTIUS.

SECT. VIII.

Ultima legati defleta dolore querela est,
Palladiis quod farra focis, vel quod stipis ipsis
Virginibus, castisque choris alimenta negentur :
Vestales solitis fraudentur sumptibus ignes.
Hinc ait et steriles frugescere rarius agros,
Et tristem sævire famem, totumque per orbem
Mortales pallere inopes, ac panis egenos.
Quæ tanta extiterit præsenti tempore, tamque
Invidiosa fames, quam Triptolemi Cererisque

Moverit ira, penu pro virginis ulciscendo,
Non memini: nec tale aliquid vel fama susurrat.
Audio per Pharios Nilum discurrere campos
More suo, viridisque sata stagnare Canopi.
Haud venit a sicco qui flumine nuntius affert
Jejunam squalere siti sub pulvere Memphim,
Nec Pelusiacæ limum sudare paludis.
Num fons arcano naturæ tectus operto
Aruit, et tenuem vix stillat vena liquorem?
Num refugus nostras odit præstringere ripas
Amnis, et exustos cursum deflectit ad Indos?
Num tractu in medio bibulus vorat alveus undam
Fluminis, et subito stagna absorbentur hiatu?
Ne sulcos operire vadis, neve arida possint
Ægypti per plana trahi, glebasque rigentes
Infusis ad pingue lutum mollire fluentis:
Unde seges late crinitis fluctuet agris,
Densius et gravidis se vestiat æquor aristis?
  Respice, num Libyci desistat ruris arator
Frumentis onerare rates, et ad ostia Tibris
Mittere triticeos in pastum plebis acervos?
Numne Leontini sulcator solvere campi
Cesset frugiferas Lilybæo ex littore cymbas?
Nec det vela fretis, Romana nec horrea rumpat
Sardorum congesta vehens granaria classis?
Ergo piris mensas sylvestribus implet arator
Pœnus, et avulsas Siculus depascitur herbas?
Jamque Remi populo quernas Sardinia glandes
Suppeditat, jam corna cibus lapidosa Quiritum?
Quis venit esuriens magni ad spectacula Circi?
Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira
Sustinet? aut quæ Janiculi mola muta quiescit?
Quantos quæque ferat fructus provincia, quamque

Ubere fœcundo large fluat orbis opimus,
Indicio est annona, tua quæ publica plebi,
Roma, datur, tantæque manus longa otia pascit.
Sit fortasse aliquis paulo infœcundior annus:
Nil mirum, nec in orbe novum didicere priores,
Perpessi plerumque famem: si tabidus aër
Siccavit tenues ardenti sidere nubes,
Nec vernas infudit aquas creberrimus imber
Fruge nova et viridi: si messis adulta, priusquam
Conceptas tenero solidaret lacte medullas,
Afflatum calido sucum contraxit ab Euro,
Jejunosque tulit calamos, atque irrita vota
Agricolæ, sterilis stipularum sylva fefellit.
His, ni fallor, ager vitiis corruptus, et ante
Subjacuit, quam Palladium, quam Vesta, Penates
Sub Lare Pergameo servarent igne reposto,
Quam priami genitor conductis mœnia fabris
Extrueret, quam virgo suas fundaret Athenas
Pallas: in his quoniam Vestalis origo favillæ
Urbibus, ut memorant, primo de fomite sumpta est,
Sacraruntque focos, aut Phryx, aut Graius alumnos.
Antiquis elementa labant erroribus, ac de
Legitimo discussa modo plerumque feruntur
In casus alios, quam lex habet, aut iter anni.
Nunc consumit edax segetem rubigo maligni
Aëris ex vitio, nunc culpam vere tepenti
Post Zephyros gelidi glacies Aquilonis inurit,
Ambustumque caput culmi fuligine tingit.
Seminis aut tenari turgens dum germinat herba,
Continuis nimiisque perit constricta pruinis,
Nec potis est tenuem telluri affigere fibram:
Mox ejecta solo glacie sidente superfit,
Nudaque subducto radix avellitur arvo.

Ancipites tribuli subeunt, et carduus horrens.
Hos fert sicca sitis; hunc ebrius educat humor.
Temperies effusa minus, vel plus, agit istos
Terrarum morbos, et mundum vulnerat ægrum.
Non aliter nostri corruptus corporis usus
In vitium plerumque cadit, nec in ordine recto[1]
Perstat, et excessu moderaminis afficit artus :
Unus enim status est mundique et corporis hujus
Quod gerimus : natura eadem sustentat utrumque,
Edita de nihilo crescunt, nihilumque futura.
Aut titubant morbis, aut tempore victa senescunt.
Nec natura caret vitio, cui terminus instat.
Semper, crede, polus variis proventibus annos
Texuit ; hos multa ditavit fruge fluentes :
Quosdam infelices astris damnavit iniquis,
Spe cassa et sterili curam frustratus agrestem.
Sed, si Vestales ulciscitur ista puellas
Pestis, ab infido quæ gignitur improba mundo,
Cur non Christicolum tantum populatur agellos,
Per quos virginibus vestris stata dona negantur ?
Utimur et ruris reditu, et ratione colendi :
Exercere manus non pœnitet : et lapis illic
Si stetit, antiquus quem cingere sueverat error
Fasciolis, et gallinæ pulmone rogare,
Frangitur, et nullis violatur Terminus extis :
Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Servabat, cadit ultrici succisa bipenni.
Nec tamen idcirco minor est aut fructus agelli,
Aut tempestatis clementia læta serenæ,
Temperet aut pluvius qui culta novalia ventus.
Sed nec magno opus est frugi viventibus, et cum
Maxima proveniunt, non amplo in gaudia censu
Solvimur, inque lucrum studio exultamus avaro.

Nam quibus æternum spes informatur in ævum,
Omne bonum tenue est, quod præsens ingerit ætas.
O felix nimium sapiens et rusticus idem,
Qui terras animumque colens, impendit utrisque
Curam pervigilem : quales, quos imbuit auctor
Christus, et assumptis dedit hæc præcepta colonis :
Semina cum sulcis committitis, arva cavete
Dura lapillorum macie, ne decidat illic,
Quod seritur : primo quoniam præfertile germen
Luxuriat; succo mox deficiente, sub æstu
Sideris igniferi sitiens torretur et aret.
Neve in spinosos incurrant semina vepres :
Aspera nam segetem surgentem vincula texunt,
Ac fragiles calamos nodis rubus arctat acutis.
Et ne jacta viæ spargantur in aggere grana,
Hæc avibus quia nuda patent, passimque vorantur,
Immundisque jacent fœda ad ludibria corvis.
His Deus agricolam confirmat legibus; ille
Jus cœleste Patris non summa intelligit aure :
Sed simul et cordis segetem disponit et agri,
Ne minus interno niteant præcordia cultu,
Quam cum læta suas ostentant jugera messes.
Extirpamus enim sentos de pectore vepres,
Ne vitiosa necent germen vitale flagella,
Ne frugem segetemque animæ spinosa malorum
Impediat sentis scelerum peccamine crebro,
Glarea ne tenuis jejunis siccet arenis
Marcentem sub corde fidem : ne pectoris æstus
Flagret, et effectis urat charismata venis.
Denique ne jecoris detrita in parte relinquat
Vilis cura Deum : ne spem, qua vescimur intus,
Deserat, obscenisque avibus permittat edendam,
Et projecta fides hosti sit præda volucri.

Talis nostrorum solertia centuplicatos
Agrorum redigit fructus : quibus acrius instat,
Nec metuit, ne congestum populetur acervum
Curculio, vel nigra cavis formica recondat.
Sunt et virginibus pulcherrima præmia nostris,
Et pudor, et sancto tectus velamine vultus,
Et privatus honos, nec nota et publica forma,
Et raræ tenuesque epulæ, et mens sobria semper,
Lexque pudicitiæ, vitæ cum fine, peracta.
Hinc decies deni rediguntur in horrea fructus,
Horrea nocturno non unquam obnoxia furi.
Nam cœlum fur nullus adit; cœlestia nunquam
Fraude resignantur : fraus terris volvitur imis.
Quæ nunc Vestalis sit virginitatis honestas,
Discutiam; qua lege regat decus omne pudoris.
Ac primum parvæ teneris capiuntur in annis,
Ante voluntatis propriæ quam libera secta,
Laude pudicitiæ fervens et amore Deorum,
Justa maritandi condemnet vincula sexus.
Captivus pudor ingratis addicitur aris :
Nec contempta perit miseris, sed adempta voluptas
Corporis intacti : non mens intacta tenetur :
Nec requies datur ulla thoris, quibus innuba cæcum
Vulnus, et amissas suspirat fœmina tædas.
Tum, quia non totum spes salva interficit ignem :
Nam resides quandoque faces adolere licebit,
Festaque decrepitis obtendere flammea canis,
Tempore præscripto membra intemerata requirens,
Tandem virgineam fastidit Vesta senectam.
Dum thalamis habilis tumuit vigor, irrita nullus
Fœcundavit amor materno viscera partu.
Nubit anus veterana, sacro perfuncta labore,
Desertisque focis, quibus est famulata juventas,

Transfert emeritas ad fulcra jugalia rugas,
Discit et in gelido nova nupta tepescere lecto.
Interea dum torta vagos ligat infula crines,
Fatalesque adolet prunas innupta sacerdos,
Fertur per medias, ut publica pompa, plateas,
Pilento residens molli, seque ore retecto
Imputat attonitæ virgo spectabilis urbi.
Inde ad consessum caveæ, pudor almus, et expers
Sanguinis it pietas, hominum visura cruentos
Congressus, mortesque, et vulnera vendita pastu
Spectatura sacris oculis: sedet illa verendis
Vittarum insignis phaleris, fruiturque lanistis.
O tenerum mitemque animum! consurgit ad ictus:
Et, quoties victor ferrum jugulo inserit, illa
Delicias ait esse suas, pectusque jacentis
Virgo modesta jubet converso pollice rumpi:
Ne lateat pars ulla animæ vitalibus imis,
Altius impresso dum palpitat ense secutor.
Hoc illud meritum est, quod continuare feruntur
Excubias, Latii pro majestate palatî;
Quod redimunt vitam populi, procerumque salutem:
Perfundunt quia colla comis bene, vel bene cingunt
Tempora tæniolis, et licia crinibus addunt.
Et quia subter humum lustrales testibus umbris
In flammam jugulant pecudes, et murmura miscent:
An quoniam podii meliore in parte sedentes
Spectant, æratam faciem quam crebra tridenti
Impacto quatiant hastilia, saucius et quam
Vulneribus patulis partem perfundat arenæ,
Cum fugit, et quanto vestigia sanguine signet?
Quod genus ut sceleris jam nesciat aurea Roma,
Te precor, Ausonii dux augustissime regni;
Et tam triste sacrum, jubeas, ut cætera, tolli.

Perspice, nonne vacat meriti locus iste paterni,
Quem tibi supplendum Deus, et genitoris amica
Servavit pietas? solus ne præmia tantæ
Virtutis caperet, partem tibi, nate, reservo:
Dixit, et integrum decus intactumque reliquit.
Arripe dilatam tua, Dux, in tempora famam,
Quodque patri superest, successor laudis habeto.
Ille urbem vetuit taurorum sanguine tingi:
Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.
Nullus in Urbe cadat, cujus sit pœna voluptas,
Nec sua virginitas oblectet cædibus ora.
Jam solis contenta feris infamis arena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.
Sit devota Deo, sit tanto principe digna,
Et virtute potens, et criminis inscia Roma,
Quemque ducem bellis sequitur, pietate sequatur.

AURELII PRUDENTII

CLEMENTIS V. C.

UTRIUSQUE TESTAMENTI

DIPTYCON.

TESTAMENTUM VETUS.

I. ADAM ET EVA.

Eva columba fuit tunc candida, nigra deinde
Facta, per anguineum malesuada fraude venenum,
Tinxit et innocuum maculis sordentibus Adam:
Dat nudis ficulna draco mox tegmina victor.

II. ABEL ET CAIN.

Fratrum sacra Deus nutu distante duorum
Æstimat, accipiens viva, et terrena refutans.
Rusticus invidia pastorem sternit. In Abel
Forma animæ exprimitur: caro nostra in munere Caïn.

III. ARCA NOE.

Nuntia diluvii jam descrescentis ad arcam
Ore columba refert ramum viridantis olivæ:
Corvus enim ingluvie per fœda cadavera captus
Hæserat: illa datæ revehit nova gaudia pacis.

IV. ILEX MAMBRÆ.

Hospitium hoc Domini est, ilex ubi frondea Mambræ

Armentale senis protexit culmen : in ista
Risit Sarra casa, sobolis sibi gaudia sera
Ferri, et decrepitum sic credere posse maritum.

V. MONUMENTUM SARRÆ.

Abraham mercatus agrum, quo conderet ossa
Conjugis, in terris quoniam peregrina moratur
Justitia atque fides; hoc illud millibus emptum
Spelæum, sanctæ requies ubi parta favillæ est.

VI. SOMNIUM PHARAONIS.

Bis septem spicæ, vaccæ totidem Pharaoni
Per somnum visæ, portendunt, dispare forma,
Uberis atque famis duo per septennia tempus
Instare : hoc solvit Patriarcha, interprete Christo.

VII. JOSEPH A FRATRIBUS AGNITUS.

Venditus insidiis fratrum puer, ipse vicissim
Cratera in fratris sacco clam præcipit abdi.
Utque reos furti Joseph tenet, auctio fallax
Proditur, agnoscunt fratrem, veniaque pudescunt.

VIII. IGNIS IN RUBO.

Sentibus involitans Deus igneus ore corusco
Compellat juvenem, pecoris tunc forte magistrum.
Ille capit jussus virgam ; fit vipera virga.
Solvit vincla pedum : properat Pharaonis ad arcem.

IX. ITER PER MARE.

Tutus agit vir justus iter, vel per mare magnum.
Ecce Dei famulis scissim freta rubra dehiscunt,

Cum peccatores rabidos eadem freta mergant.
Obruitur Pharao : patuit via libera Mosi.

X. MOSES ACCIPIT LEGEM.

Fumat montis apex divinis ignibus, in quo
Scripta decem verbis saxorum pagina Mosi
Traditur ; ille suos suscepta lege revisit :
Forma sed his vituli solus Deus, et Deus aurum.

XI. MANNA ET COTURNICES.

Panibus angelicis albent tentoria patrum.
Certa fides facti ; tenet urceus aureus exin
Servatum Manna : ingratis venit altera nubes,
Atque avidos carnis saturat congesta coturnix.

XII. SERPENS AHENEUS IN EREMO.

Fervebat via sicca eremi serpentibus atris :
Jamque venenati per livida vulnera morsus
Carpebant populum : sed prudens ære politum
Dux cruce suspendit, qui virus temperet, anguem.

XIII. LACUS MYRRHÆ IN EREMO.

Aspera gustatu populo sitiente lacuna
Tristificos latices stagnanti felle tenebat.
Moses sanctus ait : Lignum date, gurgitem in istum
Conjicite : in dulcem vertentur amara saporem.

XIV. HELIM LUCUS IN EREMO.

Devenere viri Mose duce, sex ubi fontes,
Et sex forte alii vitreo de rore rigabant

Septenas decies palmas : qui mysticus Helim
Lucus apostolicum numerum libris quoque pinxit.

XV. DUODECIM LAPIDES IN JORDANE.

In fontem refluo Jordanis gurgite fertur,
Dum calcanda Dei populis vada sicca relinquit.
Testes bis seni lapides, quos flumine in ipso
Constituere patres, in formam discipulorum.

XVI. RAAB MERETRIX.

Procubuit Hiericho : sola stant atria Raab.
Hospita sanctorum meretrix (tanta est fidei vis)
Incolumi secura domo spectabile coccum
Ignibus adversis in signum sanguinis offert.

XVII. SAMSON LEONEM NECAT.

Invictum virtute comæ leo frangere Samson
Aggreditur ; necat ille feram : sed ab ore leonis
Mella fluunt : maxilla asinæ fontem vomit ultro,
Stultitia exundat lymphis, dulcedine virtus.

XVIII. SAMSON VULPES CAPIT.

Ter centum vulpes Samson capit, ignibus armat,
Pone faces caudis circumligat, in sata mittit
Allophylum, segetesque cremat : sic callida vulpis
Nunc hæresis flammas vitiorum spargit in agros.

XIX. DAVID GOLIAM STERNIT.

David parvus erat, fratrum ultimus, et modo Jesse
Cura gregis, citharam formans ad ovile paternum,

Inde ad delicias regis : mox horrida bella
Conserit, et funda sternit stridente Goliam.

XX. REGNUM DAVID.

Regia mitifici fulgent insignia David;
Sceptrum, oleum, cornu, diadema, et purpura, et ara.
Omnia conveniunt Christo : chlamys, atque corona;
Virga potestatis, cornu crucis, altar olivum.

XXI. ÆDIFICATIO TEMPLI.

Ædificat templum sapientia per Salomonis
Obsequium, regina Austri grave congerit aurum.
Tempus adest, quo templum hominis sub pectore Christus
Ædificet, quod Graia colant, quod barbara ditent.

XXII. FILII PROPHETARUM.

Forte Prophetarum nati dum ligna recidunt
Fluminis in ripa, cecidit discussa bipennis.
Gurgite submersum est ferrum : sed mox leve lignum
Injectum stagnis, ferrum revocabile fecit.

XXIII. CAPTIVITAS ISRAEL.

Gens Hebræorum peccamine capta frequenti,
Fleverat exilium diræ Babylonis ad amnes :
Tum patrios cantare modos, præcepta recusat,
Organaque in ramis salicis suspendit amaræ.

XXIV. DE REGE EZÉCHIA.

Hic bonus Ezechias meruit ter quinque per annos
Præscriptum proferre diem, legemque obeundi
Tendere : tot gradibus, quot vespera texerat umbram,
Lumine perfusis, docuit sol versus in ortum.

TESTAMENTUM NOVUM.

XXV. ANNUNTIATIO DOMINICA.

Adventante Deo descendit nuntius alto
Gabriel Patris ex solio, sedemque repente
Intrat virgineam : Sanctus te Spiritus, inquit,
Implevit, Maria; Christum paries, sacra Virgo.

XXVI. CIVITAS BETHLEEM.

Sancta Bethleem caput est orbis, quæ protulit Jesum
Orbis principium, caput ipsum principiorum.
Urbs hominem Christum genuit; qui Christus agebat
Ante Deus, quam sol fieret, quam lucifer esset.

XXVIII. MAGORUM MUNERA.

Hic pretiosa Magi, sub Virginis ubere, Christo
Dona ferunt puero myrrhæque et thuris et auri.
Miratur genitrix tot casti ventris honores,
Seque Deum genuisse Hominem, Regem quoque summum.

XXVIII. AB ANGELIS PASTORES ADMONITI.

Pervigiles pastorum oculos vis luminis implet
Angelici, natum celebrans de Virgine Christum.
Inveniunt tectum pannis; præsepe jacenti
Cuna erat, exultant alacres, et Numen adorant.

XXIX. OCCIDUNTUR INFANTES IN BETHLEEM.

Impius innumeris infantum cædibus hostis
Perfurit Herodes, dum Christum quærit in illis.
Fumant lacteolo parvorum sanguine cunæ,
Vulneribusque madent calidis pia pectora matrum.

XXX. CHRISTUS BAPTIZATUR.

Perfundit fluvio, pastus Baptista locustis,
Sylvarumque favis, et amictus veste cameli,
Tinxerat et Christum; sed Spiritus æthere missus
Testatur tinctum, qui tinctis crimina donet.

XXXI. PINNA TEMPLI.

Excidio templi veteris stat pinna superstes :
Structus enim lapide ex illo manet angulus, usque
In sæclum sæcli, quem spernunt ædificantes,
Nunc caput est templi, et lapidum compago duorum.

XXXII. VINUM EX AQUA FACTUM.

Fœdera conjugii celebrabant auspice cœtu :
Forte Galilæi; jam deerant vina ministris :
Christus vasa jubet properanter aquaria lymphis
Impleri : inde meri veteris defunditur unda.

XXXIII. PISCINA SILOA.

Morborum medicina latex, quem spiritus horis
Eructat variis, fusum ratione latenti,
Siloam vocitant : sputis ubi collita cæci
Lumina Salvator jussit de fonte lavari.

XXXIV. PASSIO JOANNIS BAPTISTÆ.

Præmia saltatrix poscit funebria virgo
Joannis caput, abscissum quod lance reportet
Incestæ ad gremium matris : fert regia donum
Psaltria, respersis manibus de sanguine justo.

XXXV. PER MARE AMBULAT CHRISTUS.

It mare per medium Dominus, fluctusque liquentes

Calce terens, jubet instabili descendere cymba
Discipulum; sed mortalis trepidatio plantas
Mergit: at ille manum regit, et vestigia firmat.

XXXVI. DÆMON MISSUS IN PORCOS.

Vincla sepulcrali sub carcere ferrea Dæmon
Fregerat: erumpit, pedibusque advolvitur Jesu.
Ast hominem Dominus sibi vindicat et jubet hostem
Porcorum raptare greges, ac per freta mergi.

XXXVII. QUINQUE PANES, ET DUO PISCES.

Quinque Deus panes fregit, piscesque gemellos,
His hominum large saturavit millia quinque,
Implentur nimio micarum fragmine corbes
Bis seni: æternæ tanta est opulentia mensæ.

XXXVIII. LAZARUS SUSCITATUR A MORTUIS.

Conscius insignis facti locus in Bethania,
Vidit ab inferna te, Lazare, sede reversum.
Apparet scissum fractis foribus monumentum,
Unde putrescentis redierunt membra sepulti.

XXXIX. AGER SANGUINIS.

Campus Acheldemah sceleris mercede nefandi
Venditus, exequias recipit tumulosus humandas.
Sanguinis hoc pretium est Christi: Judæ eminus arctat
Infelix collum loqueo, pro crimine tanto.

XL. DOMUS CAIPHÆ.

Impia blasphemi cecidit domus ecce Caïphæ,
In qua pulsata est alapis facies sacra Christi.

Hic peccatores manet exitus, obruta quorum
Vita ruinosis tumulis sine fine jacebit.

XLI. COLUMNA, AD QUAM FLAGELLATUS EST CHRISTUS.

Vinctus in his Dominus stetit ædibus, atque columnæ
Adnexus tergum dedit, ut servile, flagellis.
Perstat adhuc, templumque gerit veneranda columna,
Nosque docet cunctis immunes vivere flagris.

XLII. PASSIO SALVATORIS.

Trajectus per utrumque latus, laticem atque cruorem
Christus agit; sanguis, victoria : lympha, lavacrum est.
Tunc duo discordant crucibus hinc inde latrones
Contiguis : negat ille Deum, fert iste coronam.

XLIII. SEPULCRUM CHRISTI.

Christum non tenuit saxum, non claustra sepulcri;
Mors illi devicta jacet : calcavit abyssum.
Sanctorum populus superas simul ivit ad oras,
Seque dedit multis tactuque oculisque probandum.

XLIV. MONS OLIVETI.

Montis oliviferi Christus de vertice sursum
Ad patrem rediit, signans vestigia pacis
Frondibus æternis : præpinguis liquitur humor,
Qui probat infusum terris de chrismate donum.

XLV. PASSIO STEPHANI.

Primus init Stephanus mercedem sanguinis, imbri
Afflictus lapidum; Christum tamen ille cruentus

Inter saxa rogat, ne sit lapidatio fraudi
Hostibus. O primæ pietas miranda coronæ!

XLVI. PORTA SPECIOSA.

Porta manet templi, Speciosam quam vocitarunt,
Egregium Salomonis opus; sed majus in illa
Christi opus emicuit: nam claudus surgere jussus
Ore Petri, stupuit laxatos currere gressus.

XLVII. VISIO PETRI.

Somniat illapsum Petrus alto ex æthere discum,
Confertum omnigenis animalibus; ille recusat
Mandere: sed Dominus jubet omnia munda putare.
Surgit, et immundas vocat ad mysteria gentes.

XLVIII. VAS ELECTIONIS.

Hic lupus ante rapax vestitur vellere molli:
Saulus qui fuerat, fit adempto lumine Paulus.
Mox recipit visum, fit apostolus, ac populorum
Doctor, et ore potens corvos mutare columbis.

XLIX. APOCALYPSIS JOANNIS.

Bis duodena senum sedes, pateris citharisque,
Totque coronarum fulgens insignibus, Agnum
Cæde cruentatum laudat: qui evolvere Librum,
Et septem potuit signacula pandere solus.

FINIS OPERUM PRUDENTII.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 9.

Imitatio est Servii Sulpitii ad Ciceronem de obitu Tulliæ filiæ : « Ex Asia rediens, cum ab Ægina Megaram versus navigarem, cœpi regiones circum circa prospicere : post me erat Ægina, ante Megara, dextra Pyreus, sinistra Corinthus, quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum cogitare, hem nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est; cum in uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant. »

ANNOTATIO (2) pag. 15.

Cedrenus in Hist. hunc magistratum appellat *Honoratum præfectum*, nimirum Constantinopolis, ubi hanc actionem contigisse memorat. Sed in rei veritatem tam multa peccat, ut ejus haberi possit nulla ratio. Valesius in Ammian. Marcellinum, pag. 4, de comite Orientis agens : *Cæterum, inquit, cum hæc civilis potestas fuerit, miror sanctum Ambrosium in epistola ad Theodosium hæc scribere : Relatum est a comite Orientis militarium partium..... sed hunc nodum solvent peritiores.* Fuit sane in eo solvendo felicior Godofredus; hic enim *Chronol. Cod. Theod.* et in Comment. in leg. IX. *de Judæis* docet eum qui ab Ambrosio dicitur *comes Orientis militarium partium*, quem lex citata titulo *comitis* et magistri utrius-

que militiæ per Orientem signat, ut distinguatur ab altero comite Orientis civilium partium, quem describit Zozimus lib. v. Bullengerus, lib. iv, *de imp. Rom.* cap. 25, quamvis duas illas dignitates non videatur satis distinguere, attamen ad comitem Orientis militiam quoque pertinuisse clare indicat hisce verbis : *Quia Persæ Armeniam et Mesoptamiam vastabant, comes Orientis vir spectabilis ei cum exercitu impositus, vicarius præfecti prætorio.* Et paulo post : *Comes et magister militum per Orientem illustris L. VIII, de Metatis.* Idem vero sequenti cap. duos comites rei militaris fuisse in Oriente tradit, quem consule. Hæc porro abunde Valesii diluunt dubitationem.

ANNOTATIO (3) pag. 15.

O beatum mendacium! eodem sensu hoc intellige, quo ab Ecclesia canitur : *O felix culpa!* propter effectum scilicet ; per se enim mendacium semper malum est.

ANNOTATIO (4) pag. 17.

Sensus est, ut ait Nannius : Non audisti, Imperator, eos qui purgabant arenam, a parietinis et caducam materiam eruderabant, ut ubi novum templum jussu Juliani consurgeret, cœlesti igne combustos esse. Nam in Theodoreti, lib. iii, *Eccles. Hist.* cap. 20, legitur ignem ex fundamentis erupisse et concremasse operarios. Hæc ille : Quibus addere potuisset testem hac parte omni exceptione majorem Ammianum, lib. xxiii, cap. 1, et auctorem *Hist. Tripart.* lib. vi, cap. 43.

ANNOTATIO (5) pag. 18.

Rom. edit. *triginta Æonas colant.* Et re vera totidem agnoscunt Irenæus, lib. 1. *Advers. Hæreses*, Tertullianus *Advers. Valent.* Epiphanius Hær. xxxi. Theodoretus, Paulinus in *Vita Ambr.* et Augustinus *de Hæres.* cap. 11. Sed cum ultimus hic proditum a Valentinianis asserat omnes illos Æonas ex Bytho et Sige generatos, movet consensus mss. et vet. edit. ut utrumque ab Ambrosio aliis 30. annumeratum arbitremur. Certe ipsemet, lib. *de Incarn. Dom.* cap. 4, num. 2, ubi eamdem horum hæreticorum insaniam tangit, Æonum numerum non exprimit. Porro per duodecim illos deos, qui superiori versu memorantur, Nannius recte intelligit Consentes deos, quod Jovis consiliis interesse crederentur, ita nominatos, ac suo quemque mensi præfectos. Horum nomina efferuntur hoc disticho apud Ennium :

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Hic multa occurrunt, quæ pertinent ad Ecclesiasticam disciplinam : nimirum publicarum supplicationum antiquitas, celebritas monasticæ institutionis, ac denique Machabæorum martyrum prisca veneratio, quam etiam plurimi sermones Patrum Græcorum ac Latinorum in eorumdem natalibus habiti contestantur.

ANNOTATIO (6) pag. 19.

Hæres hic, ait Nannius, non qui in jus defuncti successit, sed qui successurus esse sperabatur; ut intelligas filium ante patrem mortem obiisse.

ANNOTATIO (7) pag. 20.

Intelligo, inquit Nannius, classem navarchi, quem

Maximus bello maritimo præfecerat, tempestate disjectam fuisse. Sunt enim qui duas naturæ partes appellent, terram et aquam : aërem et ignem non esse elementa, sed elementata : nata nimirum aliunde, non autem primordia, aut semina rerum naturæ. Ita Nannius. Cæterum hic multa tanguntur historiæ capita, quæ cum narrationibus historicorum ejusdem ætatis conferre non fuerit supervacaneum.

ANNOTATIO (8) pag. 42.

Symbolum a græco συμβάλλειν dici non ambigitur. Sed hujus verbi duplex significatio est, altera quæ ad animum, altera quæ ad corpus refertur. Primo modo συμβάλλειν idem est, ac conjicere seu judicare; atque ita symbolum nihil est aliud, quam indicium et quasi arrha quædam, qua se Christiani dignoscebant, et distinguebant ab hæreticis, quemadmodum milites se ab hostibus tessera militari solent distinguere. Secunda ejusdem verbi significatio est, cum sumitur pro conferre ac congerere ; unde symbolum ex eo dictum volunt, quod singuli Apostolorum post ascensionem Domini ad constituendam fidei formulam convenientes, quod sentiebant, in unum contulerint, atque ita symbolum composuerint. Utramque originem tradit Rufinus : sed in ultima acriter a recensioribus impugnatur. Horum præcipua argumenta sunt, 1° quod symboli mentio in *Actis Apost.* nulla occurrat, 2° quod priorum trium Ecclesiæ sæculorum Patres de eodem alte sileant, 3° Denique quod prima symbola in verbis nonnihil dissideant. Unde colligunt non Apostolos ipsos, sed priscos episcopos symbolum e præcipuis fidei capitibus conflavisse. Hanc litem secare non est nostri officii : sed non possumus quin hic dicamus et vocem symboli et sig-

nificationem antiquissimas esse in Ecclesia; siquidem non modo apud Augustinum, Serm. 59, 212 et 214. Hieronymum, *epist. ad Pammach.* et Ambrosium non uno loco, ejus mentio fit; verum etiam apud Tertullianum, *lib. de Veland. virg.* ciciter initium, *lib. de Præscript.* cap. 13, et lib. *Advers. Praxeam.* Non porro dissimulandum ab Hieronymo scribi de hoc symbolo *quod ab Apostolis traditum non scribitur in charta et atramento, sed in tabulis cordis carnalibus;* unde non leve ducitur argumentum adversus eos, qui ab ipsis Apostolis compositum et litteris mandatum esse contendunt. Cæterum quod ait Ambros. apostolicum symbolum ab Ecclesia Romana intemeratum custodiri, hoc ipsum eodem plane modo Rufinus asseverat. Quando vero sacra illa tessera olim traderetur competentibus, atque ab eisdem repeteretur, explicatur in *epist. ad Marcell.* n. 4.

ANNOTATIO (9) pag. 47.

Vel allusum ad coronam Ariadnes, vel in genere sidera hic illic quasi flores sparsa coronas appellat; nimirum unde coronæ stellantes fieri possunt.

ANNOTATIO (10) pag. 48.

Exercitium idem quod palæstra, inquit Nannius; locus nimirum ubi pugiles se se exercent. Aut allusit ad illud Gen. 3. *Emisit illum Dominus, ut exerceret terram.*

ANNOTATIO (11) pag. 50.

Metaphora est a lapide pumice, quo artifices ad lævigandum ac poliendum uti solent; quod adulatores blandiendo atque palpando ferme imitantur.

ANNOTATIO (12) pag. 55.

Certum est Pythagoræos, ut observavit Stobæus, lib. I, Eccl. Physic. cap. 11, omnium philosophorum addictissimos fuisse scientiæ numerorum. Platonici quoque magnam eorumdem rationem habuisse reperiuntur; unde factum est, ut antiqui Patres, qui fere sectam illam philosophiæ amplectebantur, in explicandis numeris non perfunctorie versari consueverint. Multus in his est Ambrosius. Hoc autem unum libet adjicere ipsum et hac epistola, et aliis locis non pauca imitatum e Philonis libro *de Mundi Opific.* et lib. I. *Legis Allegor.* circa initium.

ANNOTATIO (13) pag. 56.

Agellius lib. III, cap. 16, agens de temporis varietate in puerperiis, ex medicis ac philosophis scribit *gigni hominem septimo rarenter, nunquam octavo, sæpe nono, sæpe numero decimo mense.* Ipsum consule, sicut et quæ dixerunt Maurini in Psal. 118. Serm. 15, num. 16.

ANNOTATIO (14) pag. 64.

Allusum hoc verbo *angulatur* ad etymon anguis, quod se circumagat, et voluminibus implicet, quæ a Prudentio Ciceroneque Meandri appellantur.

ANNOTATIO (15) pag. 66.

Κοσμοπολίτης, id est, mundi civis, inquit Nannius. Ita nonnulli philosophi de sua patria responderunt, interrogati cujates essent; unde et illud Poëtæ natum est :

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor.

Porro superioris responsi non alium auctorem indicat Nannius, nisi Socratem, de quo Erasm. Chil. 2. Cent. 2. Adag. 93.

ANNOTATIO (16) pag. 74.

Hæc satis conveniunt cum illis Paulini verbis : *Nec operam declinabat scribendi propria manu libros, nisi cum aliqua infirmitate attenuaretur.* Quod autem præter curam excolendi styli, aliam causam cur ipse scriberet, subjungit, nimirum ut alienæ fatigationi parceret; id quidem eximiam Viri sancti humanitatem pulchre declarat. Hieronymus autem noctu se dictare solitum non uno loco testificatur. Neque ignota res est, dictante Origene, plures simul antiquarios, quibus sumptum suppeditabat alius Ambrosius, excipere consuevisse.

ANNOTATIO (17) ibid.

Deflare hoc loco idem est, ac subito impetu quidquid in buccam venerit, effundere.

ANNOTATIO (18) pag. 76.

Hæc verba huc translata sunt ex Epist. IX, lib. III. Cicer. ubi sic habetur : *Longi subsellii, ut noster Pompeius appellat, judicatio et mora.*

ANNOTATIO (19) pag. 92.

Hîc episcopalem auctoritatem officiosa indulgentia temperat beatus Ambrosius. Alibi vero illum severius egisse animadvertimus cum Valentiniano juniore, dum eum aditu Ecclesiæ prohibendum ab episcopis, ejusque dona rejicienda minitatus est. Imo vero et Theodosium ipsum acer-

bius increpavit, cum eumdem in Ecclesiam per vim ingredi velle suspicatus esset, ut narrat Paulinus in ipsius Vita. Sed sanctis episcopis id moris erat, ut et adversus humiles ac resipiscentes indulgentiam præ se ferrent, et severitatem distringerent in contumaces. Unde Cyprianus epist. LV, antiq. edit. *Si qui autem sunt*, inquit, *qui putant se ad Ecclesiam non precibus, sed minis regredi posse... pro certo habeant contra tales clausam stare Ecclesiam Domini.*

ANNOTATIO (20) pag. 92.

Non omnia somnia sive nocturnas visiones rejiciebant antiqui Patres, quin imo non modo Ambrosium de multis apparitionibus tanquam divinitus immissis subinde loqui animadvertimus, sed etiam Cyprianum pluribus locis, Augustinum in libris *de Civit. Dei*, atque alibi, Gregorium in lib. IV. *Dialog.* et in Homiliis, aliosque benemultos quos prætermittimus.

ANNOTATIO (21) pag. 94.

Ambigi potest cujusnam Gratiani hîc fiat mentio. Et certe vir quidem eruditissimus scripsit non pridem ex hoc Ambrosii loco nec non ex verbis Gregorii Nyss. præter Honorium et Arcadium Theodosii filios par alterum, de quibus auctores ferme sileant, se reperisse, Gratianum scilicet et Pulcheriam. De Pulcheria quidem, quam Baronius aliique multi agnoscunt, nulla controversia est: verum de Gratiano haud ita expeditum fuerit pronuntiare. Etenim locus Gregorii, qui sub finem Orationis in funere Flaccillæ habetur, et quo ille auctor quatuor liberos, tres masculos scilicet ac filiam unam, Theodosio diserte attribui sibi persuadet; ita explicari commode potest, ut e tribus libe-

ris, duos qui virilis sexus essent, marito Flaccilla reliquerit, tanquam ad imperii defensionem idoneos, ipsa vero solam filiam sibi retinuerit. Quod autem Ambrosius hoc loco dicit de Gratiano, non de vero et per sanguinis propagationem sato filio intelligatur, necesse est : cum imperatores ætate provectiores juniorum quanquam alieno semine prognatorum parentes, et juniores eorumdem seniorum principum filios dici consuevisse passim indicetur ab Ambrosio. Sic epist. XVII, n. 12. Theodosium Valentiniani secundi patrem appellat, sic epist. XXIV, n. 7. Maximum tyrannum conquestum refert, quod ad se Valentinianus non venerit *quasi filius ad patrem*, sed multo clarius epist. LIII, num. 5, eumdem Valentinianum etsi jam vita functum vocitat filium Theodosii. Et hinc collige quomodo Gratiani pater hîc dici possit Theodosius.

ANNOTATIO (22) pag. 94.

Titianus ille, seu Tatianus (ita enim vocatum in Cod. Theod. atque alibi reperimus) magni meriti ac auctoritatis fuit, qui dignitatem præfecti prætorii gessit sub Theodosio imperatore, sub quo etiam filius ejus Proclus sive Proculus præfecti Constantinopolis munere ornatus est. Verum cum uterque in odium Rufini incidisset, hic patrem in exilium pelli, filium vero capitali supplicio affici curavit, ut narrat Zozimus, lib. IV.

ANNOTATIO (23) pag. 97.

Justa et Grata Valentiniani hujus sorores in virginitate perseverarunt. Vide Tomum præcedentem, pag. 480, annot. 36.

ANNOTATIO (24) pag. 97.

Eusebii Bononiensis episcopi memoria in *Martyr. Rom.* ponitur VI. Kal. Octobris. Idem in Aquil. conc. memoratur, pag. 801, ubi nos alium non videri ab eo, quem Ambrosius initio lib. *de Instit. Virg.* laudat, submonuimus. Sed illum, ad quem hæc et subsequens epistola destinantur, ab eo existimamus esse diversum. Quod ergo in mss. aliquot, et edit. in lemmate scribitur *Eusebio episcopo*, id errori eorum ascribimus, qui ex utroque Eusebio unum fecerunt. Certe in sequente epistola episcopus non salutatur, nec in ambarum fine vocatur frater, quo nomine episcopos alloqui solet Ambrosius.

ANNOTATIO (25) ibid.

Apparitor, apparere, et apparitum quid sint, quamque varii hujus nominis officiales, et quibus olim paruerint magistratibus, dilegenter explicat Bulengerus, lib. VI, *de Imp. Rom.*, cap. 17. Idemque de apparitoribus præfecti pretorio, e quibus erat is, de quo hîc agitur, nonnulla refert. Adverte porro quam lepide ludat Ambrosius noster in proverbiis a portu derivatis, nimirum accommodando reparandorum portuum redemptori has parœmias, *in portu navigare, et in portu impingere* vel *naufragium facere*, de quibus Erasm. Chil. 1, Cent. 1, Adag. 46, et Chil. 1, Cent. 5, Adag. 76.

ANNOTATIO (26) pag. 98.

Non est dubium quin hic Eusebius idem plane sit, ad quem inscribitur superior epistola, pater Faustini alterius, ejus vero qui tussi laborare nuntiatus est, avus. Utrumque autem hîc designari nemo dubitet : verum haud mediocriter

erravit P. Nannius, dum *Ambrosium pignus* ita exponit, quasi ipsemet Ambrosius noster cum alio Ambrosio, patre suo nimirum, significetur. Atqui certum est non nisi de Ambrosio puero et Ambrosia virgine, cujus gratia liber de *Instit. Virg.* editus fuit, hoc dictum esse. Idem etiam non aliter hallucinatur, dum sequentem sententiam perinde accipit, ac si Vir sanctus per voces *in patre* patrem suum Ambrosium, et per τὸ *in filio minore* Parthenium fratrem suum minorem intelligeret. Sed quis somniet Ambrosii nostri avum fuisse hunc Eusebium. Hæc apinæ sunt, ac meræ nugæ.

ANNOTATIO (27) pag. 101.

De dissidio Ecclesiæ Antiochenæ ob Meletii atque Paulini ordinationes moto, deque pacto novum antistitem in alterius demortui locum non sufficiendi per Flaviani consecrationem violato Ambrosius aliquid jam delibavit epist. XIII, num. 4, et epist. XIV, num. 3. Earumdem autem turbarum continuatione factum est, ut Paulinus, antequam moreretur, Evagrium sibi successorem adoptaret, et nullo alio adjutus episcopo inauguraret; qua utraque re cum in sacros canones peccatum sit, non mirum est utrumque sibi diffidisse, in æmuli autem vitiosa ordinatione spem collocasse. Consulendi porro de hoc schismate Socrates, lib. V, cap. 5, et 15; Sozomenus, lib. II, cap. 31, atque alibi; sed hic ultimus apertius Flaviani fautorem se profitetur.

ANNOTATIO (28) pag. 103.

Adverte quam antiquum sit majores causas ad pontificis Romani judicium remittere, et consule super hoc Inno-

centii primi, ac Leonis item primi epistolas, sicut et Marcæ Concordiam, atque alios.

ANNOTATIO (29) pag. 104.

Quærendum igitur an hæc eadem epistola vere Ambrosii sit, et ad quos data. Et primo quidem præter omnium edit. duorumque manuscriptorum consensum, doctrinæ et argumentorum, quæ hîc proponuntur, perfecta cum indubitatis quibusdam Ambrosii scriptis affinitas eam sancto Antistiti videtur astruere. Verumtamen cum multo plurium mss. consensus opponatur edit. auctoritati, cumque in his litteris Doctoris nostri mentio fiat in hæc verba, *cum Bonosus..... misisset ad fratrem nostrum Ambrosium*, veri multo similius est ab alio quopiam scriptas fuisse. Quapropter non temere fecerunt ii, qui illas Ambrosio adjudicarunt. Atqui non mediocriter iidem inter se dissentiunt in ipsarum auctore definiendo. Holstenius in *Collatione Romana* illas ascribit Syricio : sed utrum mss. aliquorum auctoritatem, an vero Baronii conjecturam secutus, ei propriam quoque adjectam voluerit, incertum manet. Easdem quasi a Damaso profectas citat Jac. Almainus in lib. *de Auctor. Ecclesiæ*, nec in hoc ab eo Cajetanus in *Apologia libri de comparat. auctor. Papæ et Conc.* discrepat. Atqui utrumque chronologiæ ratio falsi convincit; non secus ac Nic. de Cusa, lib. II, *de Concordia Cath.*, cap. 18, ubi multis ex eadem epistola propositis, subjungit : *Fuit, credo, ille papa* (cujus nomen in ms. suo non reperiri supra testatur) *S. Damasus, qui hanc rescripsit, quoniam ut ex immediate sequenti epist.* LXXIII, *habetur, tunc Damasus illis temporibus fuit.* At illa verba, quæ ibidem hic auctor laudat, cum petita sint ex epist. XVII, n. 10, quam datam constat an. circ. 384, ejus

conjecturæ haudquaquam favent. Non ergo etiam audiendus Rob. Cocus, qui lib. III, cap. 14, illam eidem pontifici addicit, et ita affirmatum in conc. Basil. ex Æneæ Silvii, lib. I memorat. Quid vero si quis memoratam epistolam alterius cujusdam ex Italiæ metropolitanis esse voluerit? Quid si ipsiusmet Ambrosii, sed scribentis nomine alicujus synodi post Capuanam habitæ, cui præfuerit? Nos sane in tam densis tenebris nihil definimus. Quod porro ad eos quibus destinata est eadem epistola, quamvis Theophilus in omnibus edit. jungatur Anysio, et in duobus mss. solus ponatur; cum tamen in cæteris, nec non a Cusano et Almaino reticeatur, manifestum est illius nomen non alia re præmissum esse a librariis, quam quia superior inscripta est ad Theophilum. Et certe ejus diœcesis erat remotior, quam ut commode Bonosi causam ipse decideret. Sed neque ad Anysium solum datam arbitramur illam epistolam, alioqui quomodo ad eum de ipso scriberetur, *qui cum episcopo Thessalonicensi*, etc.? Non male igitur inscriptionem eidem fecit citatus Holstenius : *Dilectissimis fratribus Anysio et cæteris episcopis per Illyriam constitutis :* Cusanus vero et Almainus asserunt responsionem esse ad eorum scripta, quibus Bonosi judicium a Capuano concilio fuerat demandatum. Postremo hæc epistola in edit. omnibus ita incipit : *Accepi litteras vestras de Bonoso episcopo :* contra vero in cunctis mss. hoc illius initium est : *de Bonoso direxistis*, nimirum epistolas; plures tamen legunt, *direxit*, sed isti male.

ANNOTATIO (30) pag. 106.

Ambrosium, audito Eugenii adventu, Bononiam se recepisse, indeque causas secessus sui eidem significasse auctor est Paulinus in ejus Vita.

ANNOTATIO (31) pag. 107.

Bautonem idolorum cultui addictum fuisse hîc non liquido indicat S. Ambrosius; annotavimus tamen ad epist. XXIV, num. 4, laudes quibus eum Zozimus prosequitur, ferme suspicionem injicere alienum eum fuisse a christianis sacris. Quod si verum non sit, ejus virtutem singularem extitisse dicendum erit, quæ a tanto christianorum obtrectatore fuerit approbata.

ANNOTATIO (31) *bis* ibid.

Theodosio in Orientem regresso, novos libellos circ. an. 392. Valentiniano, cujus adolescentiam tandem expugnaturos sese credebant, obtulerunt; sed casso conatu, ut hîc, et in ejusdem imperatoris funebri laudatione testatur Ambrosius. Et hinc agnoscimus diversissimos hosce libellos a Paulino in Ambrosii vita male confundi.

ANNOTATIO (32) pag. 110.

Olympicos ludos intellige olim in Græcia celeberrimos, qui propterea quinquennales appellabantur, quod celebrarentur quinto quoque anno. Ilos autem non solum in Elide, sed alibi etiam institutos ex Eusebio, Xiphilino atque aliis discere est.

ANNOTATIO (33) pag. 111.

Paulinum Burdigalæ in Aquitania natum pauci ambigunt, nec Baronius ipse refragatur. Unde nihil erat, cur hujus loci verba magnus Cardinalis a scriptoribus transposita fuisse suspicaretur, atque adeo sic ordinanda : *Paulinum splendore generis nulli secundum, in partibus Aquitaniæ venditis facultatibus.* Sed sincerum esse lo-

cum non modo consensus mss. atque edit. evincit, verum etiam ipsamet verborum sententia. Non enim isthic negatur eumdem Paulinum tam paterno quam materno genere ex majoribus Romanis ortum duxisse, cum senatorii ordinis utrinque esset : sed ei propriam patriam assignat Ambrosius. Si tamen ex mente Baronii exponendus esset hic idem locus, hyperbaton in eo admitteremus, figuram scilicet Auctori nostro minime insolentem.

ANNOTATIO (34) pag. 111.

Paulinus natum sibi in Hispania filium, sed eumdem die octavo e vivis raptum, Compluti in Martyrum basilica sepultum esse in Poem. 32, testificatur.

ANNOTATIO (35) ibid.

Non levis augur hoc loco fuit Ambrosius. Paulini secessum invidiosissime traduxerunt prophani homines, quemadmodum vel ex Ausonii epistolis ad Paulinum hac de re scriptis, nec non ex hujus ad illum responsis intelligimus. Verum e contrario generosum illud hujusce tanti viri propositum summis laudibus extulerunt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus atque alii.

ANNOTATIO (36) pag. 111

Isidis, quæ aliis Io, aliis Ceres dicitur, cultus olim in Ægypto, maxime autem Alexandriæ celebrabatur. Ejus sacra cum Romam inde translata essent, Urbe tandem ob cultus ac cæremoniarum turpitudinem expulsa fueruntPisone atque Gabinio Coss. sed postmodum iterum revocata, ut discimus ex *Apolog.* Tertulliani, cap. 6. Non solum autem capitis ac superciliorum, sed etiam totius corporis

crines abradebant, ut Deæ Osiridis conjugis mortem lugenti dolorem testarentur suum : quæ res in causa fuit, cur christiani imperatores, ne mulieres decalvarentur, multis legibus prohibuerint. Plura de Iside habentur apud Diodorum Siculum lib. I. Apuleium *Milesiar.* cap. ultimo, Plutarchum lib. *de Iside et Osiride* et alios.

ANNOTATIO (37) pag. 115.

Id est, ut Nannius observat, filii mactationem; omnis enim cædes in cognatos patricidium dicitur, et in eos qui titulum patris patriæ emeruerunt.

ANNOTATIO (38) pag. 116.

Severi Neapolitani episcopi nomen sanctorum albo inscribitur pridie Kal. Maii, cujus etiam perhonorifica mentio fit apud Symmachum quamvis ethnicum, lib. VI, epist. LI. Hunc autem ipsum esse ad quem Ambrosiana hæc epistola destinatur, post Baronium tradidit Ughellus, tom. 6. *Italiæ sacræ*, ac Bollandistæ ad memoratam diem; ubi ejusdem sancti episcopi vitam edidere.

ANNOTATIO (39) pag 118.

Observabat Casaubonus *in Spartianum* pag. 6, num. 12, vocem *neptis* ab Ambrosio in hac epistola positam et pro filii filia veteri significato, et pro filia fratris recenti usurpatione, quæ tandem sola invaluit apud Italos et Gallos. Addimus vero Præsulem nostrum, dum nominum consideratione propositum conjugium dissuadet, imitatum videri Sophoclis ac Senecæ tragœdias, in quibus Œdipi cum Jocasta matre conjugium, propositis affinitatum quæ hîc confundebantur, vocabulis, execratione dignum osten-

ditur. Priorem consule Œdipi Tyranni ultimo Actu, posteriorem autem Thebaïdis primo.

ANNOTATIO (40) pag. 119.

Qui ex duobus fratribus nascuntur, fratres patrueles, sororesque patrueles appellantur. Cicero 2. Philip. Sed enim si alter sit masculus altera sit fœmina, qui ex duobus fratribus, sive altero fratre, sive altera sorore nascuntur, æque fratres patrueles vocantur, a digniore transumpta significatione; et sic etiam maritos vocamus, cum et uxorem, virumque ejus intelligimus. Cæterum quæ lex divina hîc indicetur ab Ambrosio, nobis non succurrit.

ANNOTATIO (41) ibid.

Romanis olim moris fuisse, ut cognati cognatas suas, nisi si quæ famosæ erant, osculo salutarent, ex Cicerone observat Adrianus Turnebus, lib. XXIX, *Adversar.* cap. 27.

ANNOTATIO (42) pag. 120.

Paternum hunc magnis dignitatibus ornatum fuisse ishæc Ambrosii verba declarant. Quapropter non absurde conjectant ii, qui eumdem hunc esse putant, ad quem cum titulo comitis Sacr. Largit. destinata est lex 14. Theodosii *de Metallis*, necnon epistolæ quinque Symmachi in ejus libro V, inscribuntur. Excidit porro, quæ hîc indicatur, Theodosii constitutio : sed ejus mentio fit in duabus filiorum ejus legibus, quarum altera quæ est 3, *de incestis nuptiis*, ad Arcadio lata est; altera, *Si nuptiæ ex rescripto petantur*, ab Honorio. Sed et alii quoque ejusdem prohibitionis meminerunt : nimirum Libanius *Orat. de*

Angariis edita a Godefredo : Augustinus, lib. XV, *de Civit. Dei*, cap. 16; Paulus Diac., lib. XIII, et alii.

ANNOTATIO (43) pag. 125.

Hæc inscriptio abhorrere videtur ab Ambrosii consuetudine, quem alia simili nusquam alibi usum reperias. Et hanc quidem facile tribueremus audaciæ librariorum, nisi in omnibus omnino cod. inveniretur. Quamobrem verius existimamus eam idcirco a sancto Præsule adhibitam, quod Ecclesiæ sibi subditæ pastorali modo scribendum putaverit.

ANNOTATIO (44) pag. 126.

Qui ex his verbis epistolam hanc Ambrosio abjudicandam censent, nihil sane vident; non enim illa de Venetiis urbe, quæ nondum constructa erat, intelligenda : sed de Venetiis regione, quam non solum scriptoribus multo antiquioribus cognitam constat, verum etiam commemorat ipsemet Ambrosius epist. XVIII, n. 21.

ANNOTATIO (45) ibid.

Intentio, ut Nannius observat, hîc nihil aliud est quam contentio, id est, animorum in sua cujusque opinione pertinatia. Hæc autem Ambrosio imputabatur, quod pro sua metropolitani auctoritate illam sopire et componere teneretur.

ANNOTATIO (46) ibid.

Vercellensium episcoporum, qui quidem pervenerint ad nostram memoriam, primum esse hunc Eusebium Ughellus lib. IV. *Ital. sac.* litteris prodit. Cujas fuerit non dicitur ab Ambrosio, sed Hieronymus Sardum fuisse testificatur in hæc verba : *Eusebius, natione Sardus, et ex*

lectore urbis Romanæ Vercellensis Ecclesiæ episcopus, ob confessionem fidei a Constantio principe Scythopolim et inde in Cappadociam relegatus, sub Juliano imperatore ad Ecclesiam reversus.... mortuus est Valentiniano et Valente regnantibus. Hunc ipsum obitum idem in Chronico ponit anno 6, eorumdem imperatorum, quem incidere in annum repar. sal. 371, docet Baronius.

ANNOTATIO (47) pag. 126.

Hîc electionem et postulationem apte distinguit Sanctus noster; ut nimirum illam cleri, hanc populi fuisse significet; quemadmodum epist. XV, num. 12, utramque liquido separavit, de sancto Acholio ita loquens : *a Macedonibus obsecratus populis, electus a sacerdotibus.*

ANNOTATIO (48) pag. 127.

Duos hosce apostatas monachos jam pestrinxit sanctus Ambrosius *Enarr. in Psal.* XXXVI, num. 49, ubi tacito eorum nomine, quam simillima iis, quæ hîc dicuntur, in illos scribit. Eorum autem hæresis ex tetro Joviniani fonte ortum ducebat, de cujus erroribus agitur epist. XLII, ad Syricium.

ANNOTATIO (49) pag. 131.

Habetur ista sententia in Epicuri epist. *ad Menæceum*, et adhuc liquidius in ejus *Ratis sententiis;* unde hanc ipsam refert Laertius. Cæterum de opinione hujus philosophi circa mortalitatem animæ, idem plane quod Ambrosius, testantur etiam Hieronymus lib. II, *Contra Jovin.* et Augustinus lib. VI, *Confess.* cap. 16, atque alii bene multi.

ANNOTATIO (50) pag. 145.

Episcopalem consecrationem non nisi a sacerdotibus, hoc est, ab episcopis fieri oportere expressis verbis ostendit sanctus Doctor, nec ambigue etiam quam parum juris populo in episcopali electione semper fuerit, dum nullas illius partes hîc commemorat, satis innuit.

ANNOTATIO (51) pag. 147.

Rom. edit. et pauci mss. *in concilii Nicæni tractatu :* alii mss. aliquot, *in concilio Nicæno tractatus :* reliqui, et vet. edit. *in concilio Nicæni tractatus ;* sicut etiam legitur in ant. edit. Gratiani, et aliorum. At vero quoquo modo legamus hunc locum, difficultate sua non carebit. Etenim cum canones concilii Nicæni tantum 20, habeantur, in quorum nullo de bigamis ad clericatum non admittendis quidquam dicitur, quid his verbis indicet Ambrosius, incertum est. Baronius et qui eum sequuntur, cuneum sibi videntur huic nodo invenisse, dum præter hos 20, canones dicunt alios quosdam ab eadem Synodo conditos esse, qui ad ætatem nostram non pervenerint. Verumtamen,pace tantorum virorum, inquisitio Afrorum antistitum qui temporibus Bonifacii ac Zozimi, missis Alexandriam atque Antiochiam ad quærendos eosdem canones legatis, tantum 20, receperunt : vetera ejusdem Synodi exemplaria, in quibus totidem inveniuntur, nam quod 22, habet Rufinus, nihil est, cum ille 4, e duobus divisis effecerit : postremo testimonia Theodoreti lib. 1, cap. 8, et Hincmari Rhemensis epist. ad Laudunensem non plures Nicænos canones fuisse quam 20 palam faciunt. Quare nonnulli quidem de numero eorum non dissentiunt, sed ii negant agi de canonibus a Doctore nostro, quem

tractatus tantum, hac de re in Nicæno concilio habitos, non autem canones conditos testari dicunt. At vero cum præmiserit Ambrosius, quid Apostolus de episcopo et presbytero statuerit, manifestum est eum quid in memorata synodo de diacono et subdiacono decretum fuerit, subjecisse : neque hunc locum alio sensu posse intelligi. Nobis igitur nihil occurrit verisimilius, quam si dicamus canonem illum ex alio concilio Nicænis canonibus in eo codice, quo utebatur sanctus Antistes, additum esse, quo ille in fraudem inductus fuerit, sicut in simili re alii non pauci. Sed neque ullum movere debet, quod habetur, *neque clericum quemquam*, etc., vocem enim *clericum*, ad diaconos et subdiaconos restringi constat, quemadmodum verba quoque Leonis Magni ex epist. XII, *ad Anast.*, cap. 4, ubi scribitur : *Nam cum extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati.... nec subdiaconis quidem connubium carnale conceditur.* Quibus verbis subdiaconos ac superiores ordines intra clericorum classem includere voluit sanctus Papa, non autem inferiores; cum his uxorum copula permitterentur.

ANNOTATIO (52) pag. 148.

Præscriptio idem hîc sonat ac ecclesiastica seu canonica constitutio : *impressio* autem vis est atque impetus popularis. Frequenter porro de electione sua conqueri solet Ambrosius, exempli causa lib. I, *de Offic.* cap. 1, num. 4, lib. II, *de Pœnit.* cap. 8, num. 72, et alibi. Quod autem adjungit ordinationem suam ab orientalibus episcopis exemplo fuisse comprobatam, Baronius et alii post eum intelligendum censent de Nectario Constantinopolitano.

ANNOTATIO (53) pag. 148.

Hanc institutionem Baronius ad an. 328, ab Eusebio tum factam censet, cum ab Ægypto, quo legatus a Romano Pontifice missus fuerat, ad suos rediit. Sed cum Ambrosius non monachorum Ægyptiorum, ut Baronius asserit, sed Eliæ, Elisei ac Baptistæ exemplis Eusebium ductum memoret, ut monasticam vitam conjungeret cum clericali, nihil prohibet quominus conjunctionem hanc ea legatione priorem arbitremur.

ANNOTATIO (54) pag. 161.

Septenarium remissionis numerum propter Sabbati diem ac Jubilæi annum vocat S. Doctor: et mysticam hanc ejusdem numeri explicationem tot locis tractat, ut apud eum vix quidquam aliud occurrat frequentius.

ANNOTATIO (55) pag. 167.

Mallemus scriptum, *ut emoleretur;* nam subtilitas comminuendo potius, quam emolliendo efficitur, et subjectum mulieris, quæ bene moluerit, exemplum favet: attamen reclamant mss. et edit.

ANNOTATIO (56) pag. 182.

Adverte hîc Ambrosium et sinceram animi conversionem in peccatoribus ad consequendam veniam exigere, et veram auctoritatem in sacerdotibus ad remittendum bene dispositis peccatum agnoscere.

ANNOTATIO (57) pag. 186.

Multa Concilia virilium vestium usu fœminis interdicunt,

ut Gangrense can. 13. et alia. Quod vero similis mutatio viris non item prohibita reperitur, illud inde est, quod rari qui sexus sui dignitatem hac infamia dehonestarent, futuri crediti sunt.

ANNOTATIO (58) pag. 196.

Observa non dicere sanctum Doctorem tegi peccata per extrinsecam, ut Calvinistæ volunt, justitiæ Christi imputationem, sed per bona opera e gratuita ipsius gratia promantia. Quam perpetuam Ambrosii doctrinam esse facile agnosces, si huncce locum et ea quæ lib. *de Noë et Arca* cap. 31, num. 117, nec non *Apol. David* cap. 13, num. 62, atque alibi in eumdem sensum disseruntur, inter se conferas.

ANNOTATIO (59) ibid.

Nonnulla in hujus epistolæ calcem Ambrosius noster conjecit, quæ spectant Horontiani cognitionem. Primo enim illum ab ipsa pueritia significat educatum atque institutum fuisse inter clericos, quemadmodum olim pueros ad ecclesiasticam militiam destinatos consuevisse ad lib. II, *de Pœnit.* cap. 8, num. 72, observare licet. Deinde cum eum impositione manuum suarum sacratum dicit, Mediolanensem clericum fuisse satis declarat. Postremo eumdem fidem suam demonstrasse in diaconatu, indeque ad altiorem pervenisse gradum testificatur; quandoquidem ut quam fidem prius in *ministerio sacro*, id est, diaconatu, præ se tulerat, eam quoque in *hoc gradu* quo tunc eminebat, haud dubie sacerdotio exhibeat, ab eo exigitur. Et hinc conjecturam non levem ducas, ipsum Ecclesiæ cujuspiam extra Mediolanum positæ regimini ab Ambrosio nostro fuisse præfectum.

ANNOTATIO (60) pag. 199.

Nonnulli sunt qui cum ex verbis quibusdam exaratis in libro *de lapsu Virgin.* cap. 8, num. 36, tum ex hoc ipso epistolæ istius loco eam Ambrosio affingerent opinionem, qua inter cœlestem beatitudinem infernique supplicia medius quidam status ab aliquibus admittebatur. Sed præterquam quod ex citato libro, cujus auctor non plane compertus est, de Ambrosii hac in re sententia nihil certi colligi potest, qui attentius proposita ejusdem libri ac epistolæ hujus verba discusserit, ex eis non difficulter sensum eruet commodiorem. Etenim advertendum est illic sermonem fieri de illa puella, quæ amissis continentiæ aliquandiu servatæ nec non aliorum bonorum operum meritis, gravissimorum criminum veniam per continuæ pœnitentiæ labores dicitur esse impetratura : hîc vero eum qui tantum *sub ictu mortis convertitur*, cum illo comparari, qui virtutum ac piorum operum meritis cumulatus, e vivis excesserit. Unde nullo negotio intelligetur illam *pœnæ vacationem*, illam *requiem*, illum *paradisum*, quo perventuros hujusmodi pœnitentes Ambrosius promittit, nihil aliud esse, nisi ultimam in domo Patris mansionem, hoc est, infimum beatitudinis gradum : regnum vero quod sanctis et apostolici meriti viris asserit destinatum, de summo gloriæ cœlestis apice intelligendum. Optime igitur ait : *per paradisum ad regnum pervenitur;* quia prius est ut quis admissorum veniam obtineat, quam ut thronum mereatur sublimiorem. Idem quoque leges lib. *de Fide Resurr.* de quo nos ibi.

ANNOTATIO (61) pag. 203.

Judæospropter abscissum præputium a prophanis per

ludibrium curtos, verpos, ac recutitos appellari solitos deprehendimus.

ANNOTATIO (62) pag. 208.

Apud Ægyptios non solum mares, sed fœminas etiam circumcidi solitas ex testimonio quorumdam refert sanctus Doctor lib. II, *de Abrah.* cap. 11, num. 78. De illis vero cæterisque nationibus, a quibus usurpatam ciscumcisionem idem hic narrat, consuli possunt Josephus *Antiq.* lib. I, cap. 13, et lib. VIII, cap. 4. Epiphanius *Hæresi* 30, num. 30, et Polydorus cap. 3, ubi inter alios auctores Cyprianum citat, sed sermone eidem Patri in antiquis ejus editionibus perperam attributo deceptus.

ANNOTATIO (63) pag. 204.

Cum isti hæretici, ut jam a nobis observatum est, totum antiqui fœderis instrumentum rejicerent; imo etiam Deum Legis auctorem, ut Augustinus lib. *de Hæres.* cap. 4, de Manichæis testificatur, non Deum bonum, sed unum e principibus tenebrarum esse crederent, consequens erat ut circumcisionem proscriberent, ut pote in Lege veteri constitutam. Sed cum hæreticorum sit excessus omnes sanæ doctrinæ oppositos semper tueri, non defuere, qui retinendam etiam sub Evangelio carnalem hanc amputationem profiterentur. Hujusmodi fuisse Ebionitas ac Symmachianos litteris mandarunt Epiphanius *Hæresi* 30, Augustinus lib. de *Hæresi* cap. 9 et 10, lib, I. *Contra Crescon.* cap. 31, et lib. XIX, *contra Faust.* cap. 18, Philastrius atque alii.

ANNOTATIO (64) pag. 205.

Eodem sensu lib. *de Fide Resurr. Morte ejus signa-*

mur, inquit, *mortem ejus orantes annuntiamus*, etc. Tertullianus etiam *de Corona Milit.* cap. 3, hanc frontis muniendæ expressa crucis imagine religionem, quam ex apostolica traditione manasse docet, ad singulos quosque actus ætate sua iterati consuevisse auctor est. Qua de re adi similiter Hieron epist. XXII, *ad Eustoch.* Cyrill, Hieros. Catech. 13, et alios.

ANNOTATIO (65) pag. 207.

Ex anima et corpore constamus et spiritu, inquit sanctus Doctor lib. II, *de Caïn et Abel* cap. 2, num. 6. Quam quidem hominis definitionem passim apud eum advertere est.

ANNOTATIO (66) pag. 224.

Nannius in hæc verba sic annotabat : Cernere hæreditatem est adire hæreditatem ; sic enim vulgo præceptum : sed ex fragmentis Ulpiani et ex Cod. Theod. quart. tit. 1, cretio id temporis est, quod datur hæredi liberum ad cernendum, hoc est consultandum, velit-ne adire hæreditatem. Sed hîc cernere hæreditatem idem est quod aspicere; quanquam non statim, qui aspicit, cernit : ille enim cernit qui rem agnoscit, nec minus animo quam visu perlustrat, ut ex illo prophetico : *Ut audientes non audiant, et videntes non cernant.*

ANNOTATIO (67) pag. 237.

Hermannus his verbis ductus, Horontianum hunc e Judaïsmo conversum existimat : neque nos ab eo hac in re dissidemus. Addimus vero non eumdem illum videri, ad quem destinatæ sunt superiores ad Horontianum epistolæ.

Hunc enim a teneris Ecclesiæ oblatum a parentibus constat, nec videtur ea quæstio a Diacono et a viro ecclesiasticis disciplinis instituto proposita, ad quam exolvendam has litteras direxit Ambrosius.

ANNOTATIO (68) pag. 252.

Possessionem tributariam dici putat Nannius, quod tributa dependat, quæsi suo die non repræsententur, magna mulcta involvunt proprietarium. Sed hinc etiam videtur hujusmodi possessionis administratio viduæ difficilior, quod illæ soleant in tributorum aliorumque onerum distributione atque exactione magis vexari; quippe quæ ab injustitia defendere se minus valeant.

ANNOTATIO (69) pag. 254.

Hoc est, inquit Nannius, hilaris id faciet, proprietatique et etymologiæ sui nominis, quod lætitiam sonat, respondebit. Cæterum Ambrosio hujusmodi allusiones non displicuisse ex epistolis ad Paternum, Irenæum et Priscum intelligimus. Sed hoc ipsum illi commune est cum aliis multis auctoribus, quorum nonnullos Casaubonus in Lampridium, num. 23, memorat, ubi hæc ipsa Doctoris nostri verba duriuscula, ipse forsitan hoc loci paulo delicatior, existimat.

ANNOTATIO (70) pag. 255.

Utrumnam matrimonium a liberis initum insciis, nec assentientibus parentibus, ratum ac firmum habendum sit, disceptatur a theologis. Qui negantem partem defendunt, auctoritatem Ambrosii proferunt, lib. 1, *de Abraham*, cap. 9, num. 91, hujusmodi matrimonia non in filiis-fa-

milias tantum, sed etiam in junioribus viduis condemnantis. Quod autem ad locos e lib. I, *de Virgin.*, cap. 10, num. 5, nec non e lib. *de Virginit*, cap. 5, num. 25, qui primo testimonio videntur contrarii, eos illi hoc sensu explicant, ut puellæ ad nubendum invitæ cogi non possint, si procos a parentibus propositos illis displicere forte contingat. Contra vero qui consensum parentum ad validitatem conjugii contendunt non esse necessarium, ii Doctorem nostrum in libris *de Virginibus* id aperte definire affirmant, in libro autem *de Abraham* parentum voluntatem requirere, non quod si absolutæ necessitatis, sed tantum honestatis atque decori. Advertendum est autem Gratianum, P. Lombardum ac D. Thomam, qui hujus opinionis duces fuere, ex ævi sui disciplina mentem Ambrosii esse interpretatos. Constat siquidem eorum temporibus clandestina matrimonia ab Ecclesia pro legitimis habita esse, ut a Tridentinis quoque Patribus definitum est. Verum non ita obtinebat ærate Ambrosii. Etenim ambigere non licet, quin Ecclesia disciplinam suam principum, quorum est conditiones ad legitimum contractum necessarias constituere, legibus tunc temporis accommodaverit. Cum igitur multæ leges imperiales, quas et in *Codice* et apud Cl. Spencæum in Tractatu de hac materia edito reperire est, hujusmodi furtiva connubia proscripserint, hinc colligimus eadem illa ætate nec ab Ecclesia nec ab Ambrosio admissa esse. Certe quidem multis retro annis filios sine parentum consensu *rite et jure* nubere negaverat Tertullianus, lib. II. *Ad Uxorem*, c. 9. Quapropter locos lib. *de Virgin.* ita exponimus, ac si legatur : Quamobrem filias vestras a servanda virginitate prohibere tentatis, quæ illas ad nubendum non potestis cogere, nisi eisdem non invisos, sed quos amare velint, procos offeratis.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
EPISTOLÆ S. AMBROSII.	
Epistola XXXIX ad Faustinum, p. 8.	Ejusdem analysis et fragmenta, tom. IX, p. 376 et 377.
Epistola XL ad Theodosium, p. 12.	Ejusdem analysis et fragmenta, tom. IX, p. 361-368.
Epistola XLIII ad Horontianum, p. 46.	Ejusdem analysis, tom. IX, p. 377 et 378.
Epistola XLV ad Sabinum, p. 63.	Ejusdem analysis, tom. IX, p. 379.
Epistola LVIII ad Sabinum, p. 110.	Ejusdem analysis, *ibid.*
Epistola LXI ad Theodosium, p. 122.	Ejusdem analysis, tom. IX, p. 374.
Epistola LXXIX ad Bellicium, p. 241.	Ejusdem analysis, tom. IX, p. 380.
Epistola LXXXII ad Marcellum, p. 250.	Ejusdem analysis, *ibid.*
HYMNI S. Ambrosii, p. 265.	Eorumdem analysis et explanatio, tom. IX, p. 445-447.
PRUDENTII omnia opera, p. 287.	Eorumdem analysis, tom. XX, p. 462-473.

INDEX

TOMI SEXAGESIMI SECUNDI.

S. AMBROSII

MEDIOLANENSIS EPISCOPI

EPISTOLÆ.

Prosecutio Classis I.

Classis II.

FINIS OPERUM SANCTI AMBROSII.

AURELII PRUDENTII

CLEMENTIS V. C.

OPERA OMNIA.

EXPLICIT INDEX.

2